B 17
4
60
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Codex Legum Fratrum Minorum
in synopsim redactus

a M. R. P. Fr. Caietano Michelesi
O. M. Obs., Prov. Marchiae.(1)

Romae 1896?

Codex Redactus

Legum Fratrum Minorum

In Sinopsim.

(1) Cf. Luigi da Fabriano, Cenni cronologico-biografici
della Osservante Provincia Picena, Quaracchi
1886, p. 204-5.

Digitized by Google

Digitized by Google

Codex Redactus

Legum Fratrum Minorum

In Synopsim.

Cum Indice Copioso

centies repetita placebunt, ac Diversa in unum
collecta Facilius Breviata servantur, Et
quae usu Vilescunt antiquo pariter
Renovata Delectant.

Ex litteris Joannis Cervantes Cardinalis S. Petri ad Vincula
Legati a Latere ad XXXVI Capitulum generale Assisii
habito lectis anno MCDXXX, die XXI Junii
In eodem Capitulo.

Romae MDCCXCVI

Cura, Et Impensis Aloysii Perego Salvioni
Typographi Vaticani in Platea S. Ignatii

Superiorum Permissu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE

Digitized by Google

B° 17 h. 60

Digitized by Google

Sane non paucas earum invenio in generalium comitiorum acta relatas, uti sunt Salmanticenses, Vallisoletanæ, Neapolitanæ, Segobienses, & similes. Alias extra capitulorum acta superstites, quatuor nempe, quibus supremi ordinis moderatores sapientissimi, & omni exceptione majores elaborantis insudarunt, Joannes Merinero anno 1642., Michael Angelus a Sambuca anno 1663., Joseph Samaniego anno 1676., & Joannes a Soto anno 1734.

Nemo unus nescit, eas compilationes ut leges ordinis habendas esse, quæ exstant in actis capitulorum generalium. De cæteris quale judicium ferendum sit, sequentia declarant. In præfatione operis Joannis a Soto hæc habentur: *Ex legitimo compromisso Capituli generalis Romani anno 1676. optata compilatio assiduis vigiliis Josephi Samaniego fuit elaborata. Sed quamvis in omni sua constructione valde perspicua, plena, & congrua undequaqne appareret; quum tamen se non extenderet ad omnia gremia, & munera nostræ familiæ, ideo in sequenti capitulo integram approbationem non obtinuit*. Hac ratione ductus præfatus scriptor compilationem alteram in lucem emisit pro eadem familia, scilicet ultramontana.

Opus Joannis Merinero editum pro cismontanis vix ullius sub initium fuisse roboris factum ostendit. Quid enim attinebat, ut anno post sextodecimo novam compilationem faciendam decerneret capitulum Toletanum? Et compilationem quidem suam Joannes Merinero absolverat non proprium sequutus ingenium, sed motus decretis capitulorum generalium anno 1625., ut ipse testatur, approbatamque in comitio intermedio Romano anno 1642. exhibuit cismontanis eo fine, ut regularis disciplina (sunt ejus verba) claris, paucisque legibus roborata in dies effulgeret, suoque nitori familia redderetur.

De compilatione Michaelis Angeli a Sambuca, quæ prædictam excepit vigesimo primo post anno, ita lego in præfatione ad partem primam tomi tertii Chronologiæ Historico-Legalis Seraphici ordinis: *Ne mireris, quod in his voluminibus iterum impressum non videas statutorum compendium, quod compilatio Sambucana vulgo audit; quum enim in transmontana familia nullus pene sit usus; in hac vero nostra nullam obtineat auctoritatem, supervacaneum duxi,*

rebus inutilibus paginas onerare . Quod sane adeo verum est , ut in capitulis generalibus Toletano anno *1682.* ; Romano anno *1688.* , Victoriensi anno *1694.* et in congregatione generali Romana anno *1691.* de ejus revisione et correctione actum fuerit .

Rectissime igitur Carolus Maria Perusinus in volumina sua illam non retulit . Quare enim retulisset inutilia ? Age vero compilatio Joannis a Soto quem finem habuit ? Quem compilatio M, SS. , quam laudatus a Sorrexina detulisse dicitur ad comitium , postquam annos septemdecim , nempe ab anno 1723. quo in capitulo generali Romano id muneris obeundum suscepit , eidem perficiendæ operam navavit ? Ut nihil aliud dicam , manifestum est , neutram ordini satisfecisse , quem novimus ad nostra usque tempora compilationem quæsivisse , prout a duobus prope hinc sæculis nequicquam semper illam quæsivit .

Quemadmodum in his rebus maxime laudanda venit præsulum nostrorum solertia , studiumque non intermissum , ut fratres accuratam legum suarum collectionem non desiderarent ; ita mirandum nunquam eos voti compotes fuisse , et nihil unquam actum , quod foret diuturnum . Fecerunt *ex legitimo compromisso* , ex placito , et *decretis* , ut dictum est , capitulorum generalium . Ne id quidem satis . Compilationem Joannis Merinero approbatam legimus in congregatione generali Romana a patribus familiæ , ad quam illa pertinebat , et Sambucanæ publicum hunc titulum claris notis in fronte videmus insculptum : *Per S. Congregationem super negotiis episcoporum , et regularium revisa , et approbata* , insertumque legitimum approbationis , et confirmationis documentum , quo *in futurum inviolabiliter observari mandatur* . Nec rursum id satis , quod plusquam satis videri potuisset . Enim vero si ea , quæ summorum judicum auctoritate , et charactere obsignantur , tantamque spem vitæ longioris præseferunt , brevi corruunt , nescio quis demum sit advocandus , qui voluminibus legum nostrarum suppetias veniat .

Non communem , notamque causam investigo , cur res ita se habuerit . In humanis certe nihil firmum . Fluunt tempora , hominum ingenia , et consilia mutantur , emergunt casus , quibus novæ leges rerum circumstantiis sunt aptandæ . Hæc

Digitized by Google

patent. Ast cur (nos propius quod tangit) compilatio Sambucana, ut de cæteris taceam, veluti recens partus in ipsius ferme parentis ulnis enecatus jacuit? An quia approbatam eam non comperimus ab ullo capitulo generali? Ita et ego arbitrarer, nisi decreto moverer capituli Vallisoletani anno 1776., quo sub gravissimis poenis injungitur observantia *constitutionum generalium nuperrime compilatarum de vestimentorum ratione, de tonsura, divino officio ec.*, quæ una cum capitibus, paragraphis, et numeris, quibus distinguuntur, exstant in compilatione Sambucana. Non diffiteor, fieri posse, ut ex edito legum volumine aliæ probentur, aliæ non item. Attamen vix aliquis in animum inducet suum, capituli patres remittere voluisse subditos suos ad codicem nullius auctoritatis.

Si mihi fas est opinari, putaverim ego, compilationibus id unum nocuisse, quod Franciscani (de iis loquor, qui magna volumina sibi comparare nequeunt) non ex parte legibus informari cupiunt, sed omnia inspicere, et meditari, quæ ad communem vivendi normam, et disciplinam sapientissime sunt ordinata. Quare, ajunt, patrimonii nostri nobis pars datur, pars absconditur, legesque, quas rogarunt patres nostri, non universæ nobis exhibentur? At in eis plures sunt abrogatæ. Nemo id ignorat. Nosse tamen ipsi colunt et abrogatas, ut quid juris sibi competat certius sciant, et in exacta rerum omnium cognitione fructum etiam aliquem eruditionis capiant. Ideo compilationes fastidire solent; et præterea quia suspicio facile suboriri potest, an compilator necessaria omnia retulerit; quæcumque enim præcedat operis sanctio, vel approbatio, ea efficiet quidem, ut credatur, nihil falsi in illo contineri, non autem ut credatur, nihil deesse.

Nequicquam tamen in his immoror, quasi de compilationum præstantia mihi foret cum aliquo disceptandum. Satis superque est tantum, ut ex prædictis merito deducere queam, anonymi M. SS. editionem mihi fuisse prætermittendam, omnemque aliam cogitationem compilationis deponendam, quum ejus generis scripta infausto alite in lucem emitti experientia sit compertum, sicuti etiam anno 1343. contigit,

revocatis in capitulo Massiliæ statutorum compilationibus.

Quapropter ad alia me verti, et fratrum meorum voluntati morem gerens, leges ordinis, quotquot sunt, ad oculum exhibere statui, (prout olim factum anno 1461. sub Ludovico de Vicenzia Vicario generali familiæ), nihil addens, vel mutans, verum eas sigillatim complexus, servata, ut licuit, dictione, amputatisque iis, quæ ad historiam pertinent, superfluis præterea, nimisque *particularibus*, quæ ad unum, vel alterum eventum singularem referuntur, ac denique diplomatibus ita contractis, ut necessaria tantum excerpserim. Hoc pacto æque doctrina locupletibus me satisfacturum speravi, et æque pauperibus, quibus, ut nolentes quoque fateri oportet, non erat, qui frangeret panem.

Dum opus urgerem, dicebatur mihi ab amico, et familiari meo: Quid si ab aliquo non credaris idoneus labori accurate perficiendo? Is, inquam, librum meum non leget, vel lectum contemnet. An mihi non licet, mandare literis id, quod volo, si id legitime possim? Atqui tum laudatus episcopus Cerviensis, tum minister generalis, cui librum meum dedico, verbo ille, alter epistolis suis perhumanis, et ambo beneficiis amplissimis non solum hortati, quin etiam ad laborem suscipiendum, absolvendumque incitarunt. Nuper vero ab Hilario de Monte Magno commissario generali familiæ, celsi ingenii, exquisitæque doctrinæ viro, novos stimulos mihi additos sensi, pluribus erga me benevolentiæ suæ argumentis.

Quonam criterio, addebat alter, distinguent lectores, textus compendii tui esse genuinos? Eodem, inquam, quo usi forent, si fecissem compilationem; tam enim compendium, seu synopsis legum, quam compilatio dimanat ex eisdem fontibus, qui semper consulendi erunt, si alicui suspicio ingeratur, scriptorem non fuisse sincerum, aliquid supplantasse, aliquid pro arbitrio finxisse. Dixi paullo ante, me librum scripsisse pro illis, qui voluminum plurium supellectile sunt destituti. Iis porro sufficiunt rivi, vel urcei, qui ex fontibus bibere non possunt. Non intelligo autem, quinam fontes legum nostrarum esse queant, præter acta capitulorum generalium,& diplomatum apostolicorum

Digitized by Google

quæ adamussim , et integre , demptis iis, quæ visa sunt inutilia prosequutum me fuisse dico , quidquid sit de hominibus scrupulosioribus , qui in rebus cunctis hærere solent .

Legibus ceteris insertas quoque illas volui , quæ capitulis generalibus Romano anno 1723. , & Mediolanensi anno 1729. tribuuntur ; tum quia utrasque paullo post Capitulorum celebrationem nempe anno 1730. publici juris facere non dubitavit Joseph Maria ab Ebora commissarius generalis familiæ vir summus ; tum quia leges capituli Romani confirmavit Benedictus XIII. *Ad pastoralis*. Anno V. post sedulum examen habitum a duobus S. R. E. Cardinalibus Laurentio Corsino , et Laurentio Cozza , ut eorum liquet testimonio . Auctor anonymi MSS. supra memorati hæc de iis habet : *Quamvis statuta Romani* 1723. *et Mediolanensis* 1729. *per Vallisoletanum* 1740. *rejecta fuerint , et consequenter præsens collectio eis carere debuerit ; aliqua tamen ex iis fuerunt , quæ non spernenda moti ratione referenda duximus* .

Non piguit pariter , leges plures repetere , quo magis compertum foret , me nihil compilatum in lucem emisisse . At etiam repetitiones legentibus non erunt inutiles , si perpendant , eas ad idem *subiectum* sive argumentum , non vero ad eadem *obiecta* , seu personas ut plurimum referri , et quod minus clare fortasse exponitur in uno loco declarari in alio ; nam et in libris , ex quibus hæc desumpsi vel eadem numero diplomata quandoque repetuntur . Hinc neminem mihi molestum futurum confido .

Methodum sequutus sum simpliciorem , & magis obviam . Singulæ leges singulis notantur numeris , qui ordine retrogado signant locum , ad quem spectant, & familiam , vel nationem , quam afficiunt . Alia nulla materiarum distributio occurrit , quam naturalis locorum , & temporum . Indicem locupletem apposui , quem qui consulet , nulla in re , ut sperare juvat , hæsitabit .

Quærenti alicui quam auctoritatem hoc opus sit habiturum , reponam , eam tantummodo , quam legentes eidem tribuere voluerint . Privatus enim librum scripsi , quia placuit , quia licuit , ac semper licebit , bonum reipublicæ promovere , vel niti saltem in ejus augmentum . Nihil itaque juris mihi arrogo ; quinimo exopto , quemadmodum , non valde dissimili ex causa , de

Digitized by Google

collectione sua scribebat olim Joannes a Soto, ut *hujus operis exemplaribus per provincias dispersis omnia prolixe considerentur, et si quid superfluum, aut quid de necessariis omissum fuerit dignoscatur, ut hæc statutorum series a viris doctis perpendatur, et si quid animadversione dignum fuerit significetur.*

Si labores mei, quos multos gravesque sustinui, aliquam unquam utilitatem filiis matris meæ erunt allaturi, peramplam mercedem consequar. Si secus, operam, oleumque me perdidisse non pœnitebit, & voluntate mea, quæ optime certe fuit, libenter acquiescam.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo P. Mag. S. P. A.
Franciscus Xaverius Passeri Archiep. Lariss. ac Vicesgerens .

F. HILARIUS DE MONTEMAGNO

Ordinis Minorum S. P. N. Francisci Lector Jubilatus, & in Universa Cismontana Familia tam Observantium, quam Reformatorum Commissarius Generalis, Visitator, ac Reformator Apostolicus, & Servus.

Cum opus, cui titulus = *Codex Legum Fratrum Minorum in Synopsim redactus* = a duobus Patribus Theologis Ordinis Nostri, quibus id commisimus, revisum, & approbatum fuerit, præsentium serie facultatem facimus, quatenus, servatis servandis, prelo dari possit.

Datum ex Nostro Aracœlitano Conventu de Urbe pridie Nonas Maii 1796.

F. Hilarius de Montemagno Commissarius Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

De Mandato Rmi in Christo Patris
Fr. Aloysius Maria de Carpo Def. Gen., & Sec. Generalis.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Vincentius Pani Ordinis Præd. Sac. P. A. Magister.

Digitized by Google

MONITUM.

DEcreveram initio, leges abrogantes, vel expresse aliis legibus, vel earum oppositione, vel consuetudine, quæ manat ex præscriptione, vel tandem privilegio, notare in indice signis peculiaribus, quibus dignoscerentur. Verum animadverti postea, non esse id necessarium; imo potius confusionem parere posse, quum fortasse aliquid in una familia, natione, aut provincia abrogatum sit, non autem in altera.

Leges alias morales dico, alias civiles, et œconomicas. Illæ ordinem constituunt, fixæque permanent, et immutabiles, ut sunt, quæ præcepta regulæ, eorum exsecutionem proxime respiciunt. Has, quæ extrinsecæ, et accidentales appellari queunt, subesse liquet mutationibus, et vicissitudinibus temporum, et circumstantiarum, arbitrio etiam legislatorum, quibus jus est, veteribus novas, diversasque substituere, prout commune bonum expostulat. Hinc abrogatio nonnisi in postremas cadere potest.

Utrum vero ea facta sit respectu legis, de qua aliquis inquirere voluerit, tum ex præmissa distinctione, tum multo apertius ex citationibus in indice appositis perspiciet. Ubi unica occurrit citatio, lex censeri debet non abrogata, nisi forsan ex consuetudine, vel privilegio id acciderit, de quibus facile quisque judicium feret. Ubi plures citationes occurrunt, singulas consulendas moneo ad eum finem, ut lex ultimo loco edita, seu recentior reperiatur, quæ etiamsi cum antecedentibus non concordet, præferenda est ut vigens, dummodo, ut dixi, non obstet consuetudo, aut privilegium, aut etiam (quod diligenter notandum) non spectet ad tempus ante Leonem X., cujus ætate primævus ordinis status in pluribus novam modificationem accepit, vel ad tempus posterius, quo incœpit Reformatorum familia sub Custodibus.

Hæc regula generaliter præ oculis habenda in legibus comitiorum generalium, ac in iis, quæ ordini aliunde advenerunt. Compertum est, aliqua indulta apostolica nominatim minoribus concessa revocata fuisse per literas posteriores, ut sunt illa, quæ *mare magnum* appellantur, et similia. Id tamen in singulis accurate nosse tam difficile videtur, quam universi bullarii pontificii cognitionem adipisci.

LEGES

Digitized by Google

LEGES MINORUM

EDITÆ IN COMITIIS GENERALIBUS.

Cum Serie Chronologica

MINISTRORUM, VICARIORUM, ET COMMISSARIORUM GENERALIUM.

I. CAPITULUM GENERALE ASSISII HABITUM. Anno 1216. S. FRANCISCUS. Actum est tantum de beneficio Religionis in genere, & ministri missi sunt per provincias cum facultate recipiendi novitios.

II. CAPITULUM GENERALE ASSISII. Anno 1219. ELIAS A CORTONA. LEGES. I. Quolibet sabbato celebretur sacrum Immaculatæ Deiparæ.

2. In orationibus: *Exaudi nos, Deus, &c*: *Protege, nos Domine*, fiat commemoratio SS. Apostolorum Petri, & Pauli.

3. Cœnobia construantur ex cannis, & cratibus, seu ligno, & luto paleato.

III. CAPITULUM GENERALE ASSISII. Anno 1220. PETRUS CATANEUS. *Leges* I. Fratres non habeant libros.

2. Novitii non retineant apud se Psalterium, nec emittant professionem ante annum.

3. Novitiorum bona non serventur quocumque prætextu.

IV. CAPITULUM GENERALE ASSISII. Anno 1221. ELIAS a CORTONA. *Leges* nullæ. Anno 1223. promulgata est Regula fratrum minorum prout confirmatur ab Honorio III., & testamentum Seraphici Patris, qui obiit anno 1226.

V. CAPITULUM GENERALE ROMÆ. Anno 1227. ELIAS A CORTONA. *Leges* nullæ. Indultum est Eliæ ministro generali, ut, si vellet, uteretur cibis delicatis, & equitaret, dummodo administrationem ordinis susciperet.

VI. CAPITULUM GENERALE ASSISII. Anno 1230. JOANNES PARENS. *Leges*. Nemo vocetur magister, & dominus, sed frater.

2. SS. Eucharistia servetur in pixide eburnea, vel argentea.

3. Incorrigibiles expellantur, nec expulsi recipiantur, si sint fornicarii, vel suspecti de fide.

4. Fratres nondum professi non audiant confessiones sæcularium, vel religiosorum, nec professi, sine approbatione ministri generalis, aut provincialis.

VII. CAPITULUM GENERALE ASSISII. Anno 1236. ELIAS A CORTONA. *Leges* nullæ. Minister generalis instituat visitatores, qui morum censores agant in provinciis. Ferunt,

Digitized by Google

ipsi tunc licuisse ministros provinciales ab officio dimovere, idemque licuisse ministris provincialibus, & custodibus quoad guardianos.

VIII. CAPITULUM GENERALE ROMÆ. Anno 1238. ALBERTUS DE PISIS. *Leges* nullæ. Confirmatæ sunt præcedentes.

IX. CAPITULUM GENERALE ROMÆ. Anno 1239. HAYMO ANGLUS. *Leges* I. Pro rubricis fratres utantur libro f. Haymonis generalis iscripto: *Indutus planeta Sacerdos*.

2. In quæstu modus servetur, ne alii pauperes esuriant.

3. Monachi Cistercienses non recipiantur in ordine minorum, & qui recepti jam sunt, & professi, in suo statu perseverent, quemadmodum minoritæ recepti, & professi in ordine Cisterciensium.

X. CAPITULUM GENERALE GENUÆ. Anno 1244. CRESCENTIUS AESINUS. *Leges* I. Recensitis addantur aliæ Rubricæ.

2. Laici, cæteris paribus, non assumantur ad officia ordinis in concursu clericorum.

3. Auctoritas ministri generalis, provincialium, & custodum coerceri possit per capitulum generale. *Nota*. Non est certum, ita fuisse decretum. Si verum sit, lex interpretationem admittit.

XI. CAPITULUM GENERALE AVENIONIS. Anno 1247. vel 1248. B. JOANNES A PARMA. *Leges* I. In peragendis divinis officiis modulationes sæcularium eliminentur, & in choro nihil legatur, vel canatur, quod in ordinario S. Matris Ecclesiæ non continetur, vel non est approbatum a capitulo generali, exceptis antiphonis B. M. Virginis post completorium decantandis.

2. Hostia in missa collocetur a sinistris sacerdotis, & palla a corporali divisa calici supponatur.

XII. CAPITULUM GENERALE ROMÆ. Anno 1256. S. BONAVENTURA. *Leges* nullæ. Anno 1260. in capitulo intermedio Narbonensi hæ sunt editæ. I. Mensæ utensilia humilitati, & paupertati respondeant.

2. Sani, & sospites jejunent quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania.

3. Habitus minorum differat a pastoritio, & idcirco addatur capiti cooperimentum rotundum, demisso ad scapulas antiquo acumine, & ad pectus parte orbiculari.

4. Fratres provinciæ Aquitaniæ celebrent festum S. Martialis. Ipsi vero, & cæteri fratres faciant officium duplex SS. Trinitatis post octavam Pentecostes: officium semiduplex SS. Quatuor primariorum ecclesiæ doctorum: officium S. Bernardi die 20. Augusti: officium duplex S. Claræ, ejusque nomen ponant in litaniis. In confessione addant nomen S. Francisci. Canant post completorium antiphonas consuetas S. Mariæ, excepto triduo ante Pascha. Canant interdum in vesperis pro commemoratione Stigmatum S. Francisci: *Cælorum candor splenduit &c.* Et in matutinis: *Hic vir in vanitatibus nutritus indecenter, divinis charismatibus præventus est clementer*.

Sequuntur leges Capituli Pisarum. Anno 1263.

5. Petatur in protectorem ordinis nostri Joannes cardinalis de Ursinis Caetanus.

6. Di.

6. Dimittatur cura Damiatarum, sive Clarissarum.

7. Breviario addantur aliæ rubricæ, & hymni a Nativitate Domini usque ad Epiphaniam claudantur stropha: *Gloria tibi, Domine, qui natus es de Virgine &c.* Ad Primam in responsorio brevi dicatur: *Qui natus es de Maria Virgine.*

8. Fiat festum Conceptionis B. M. Virginis, Visitationis, B. Annæ, & S. Marthæ Virginis.

9. Qualibet hebdomada, die non impedito, celebretur ubique missa de S. Francisco saltem una.

10. Sacerdos quilibet, si velit, celebret feria V. in Cœna Domini. Solus autem hebdomadarius in sabbato sancto.

11. Cereus Paschalis remaneat usque ad Ascensionem, & accendatur in missa saltem diebus festis.

Sequuntur leges capituli Lutetiæ Parisiorum eodem anno.

12. De addendis breviaro novis rubricis.

13. In concionibus fratres hortentur populum, ut in completorio ad campanæ sonum B. Mariam aliquibus vicibus salutet.

Sequuntur leges capituli Lutetiæ Parisiorum anno 1266. editæ ex commissione patrum, & diffinitorum ordinis.

14. Caveant Fratres 1 a frequentia discursuum. 2. ab importunitate quæstuum 3. a sumptuositate ædificiorum, librorum, vestium, et ciborum. 4. a prædicatione contra prælatos coram laicis. 5. a litigiosa invasione sepulturarum. 6. a testamentis solicite condendis.

Sequuntur leges capituli generalis Assisii anno 1269.

15. Renovata est lex prima capituli II., & prima capituli XII.

16. Admoneantur Fideles, ut ad triplicem campanæ pulsum sub imo vespere salutent ter Deiparam verbis Angelicis.

17. In gymnasio generali Parisiensi constituantur quatuor assistentes, sive regentes, scilicet Romanus, Lombardus, Hispanus, & Germanus, qui præsint suæ nationis hominibus, nec quidquam necessarium eis desit.

Sequuntur leges capituli generalis Pisarum. Anno 1272.

18. In Vigilia translationis S. Francisci fiat anniversarium solemne Alexandri IV., sicut fiebat de Gregorio IX., & Innocentio IV.

19. Post Festum S. Bartholomæi fiat anniversarium solemne S. Ludovici regis.

20. In omnibus comitiis fiant specialia suffragia pro episcopo Tullensi Leucorum ordini valde addicto.

XIII. CAPITULUM GENERALE LUGDUNI. Anno 1274. HIERONYMUS AB ASCULO. *Leges* nullæ. Confirmatæ sunt præcedentes.

XIV. CAPITULUM GENERALE ASSISII. Anno 1279. BONAGRATIA A S. JOANNE. Occurrunt *Leges* contentæ in literis encyclicis ministri generalis, qui alia inter hæc statuit.

1. Fratres locum non mutent absque licentia speciali ministri generalis.

2. Circa pecuniam vitent etiam loquutiones dandi, accipiendi, habendi, emendi, & vendendi. Suum nihil dicant, sed loquantur in tertia persona.

3. Occupentur in divino officio, in lectionis studio, in aliis utilibus exercitiis. Fugiant discursus inutiles, per-

Digitized by Google

noctationes superfluas,occasiones damnosas.

4. Qui equitaverint acrius solito puniantur.

5. Nemo notatus in ordine de aliqua macula criminis, maxime de lapsu carnis ad studia generalia, seu lectoris officium promoveatur. Et quicumque de tali promovendo consuluerit, vel promoverit, per ministrum, vel visitatorem ordinis privetur libris omnibus, qui ei non reddantur sine licentia speciali capituli provincialis.

6. Capitula culparum non fiant de sero, sed post matutinum, vel ante tertiam.

7. In die indulgentiæ plenariæ S. Mariæ de portiuncula nulla oblatio pecuniaria a fratribus recipiatur, vel recepta expendatur pro illorum necessitatibus. *Legem idem minister edidit anno* 1280. *sub pœna excommunicationis*.

XV. CAPITULUM GENERALE MEDIOLANI. Anno 1285. ATHOLOTTUS, seu ARLOTTUS DE PRATO. *Leges* I. Minister generalis promotus ad aliquam dignitatem ecclesiasticam ordinem amplius moderari non possit.

2. Instituatur vicarius generalis, qui ministri generalis morte ordini præsit, usque ad electionem novi ministri generalis.

Pro decreti observantia electus est vicarius F. Guillelmus Fulgarius, qui mortuo post annum ministro generali statuit, ut etiam fratres laici ferre possent suffragia pro præsentandis ad gradus academicos.

Sequuntur leges contentæ in epistola encyclica ejusdem ministri generalis.

3. Nulla sit rerum proprietas in communi, vel in particulari; sed usus tantum fratribus relinquatur utensilium, librorum, & mobilium, quæ habere licet.

4. Fratres, & conventus nullam habeant auctoritatem ea commutandi, vel ad vitam dandi alicui fratri, vel alii pro summa pecuniæ ad usum commendandi, aut assignandi.

5. Soli ministri, & custodes possint assignare fratribus in singulari, vel in communi usum librorum. Qui contra fecerit, privetur libris, quos prius habebat, eosque ministri de consilio diffinitorum tradant aliis in usum.

6. Libri fratrum unius custodiæ non tradantur fratribus alterius custodiæ, seclusa necessitate, vel pia utilitate ex causa rationabili.

7. Puniantur tamquam proprietarii illi, qui libros oppignoraverint, vel distraxerint absque speciali licentia ministri.

8. Libris personis sæcularibus non commodentur ultra spatium unius mensis, sine memoriali plus valente.

9. Nemo, sine proprietatis pœna, occultet eleemosynas fratri, vel conventui datas, aut impediat, quominus illæ ad notitiam illorum veniant.

10. Benefactorum clariorum peculiaris memoria habeatur in capitulo.

11. Vetantur prolixa colloquia, & familiaritates cum mulieribus.

12. Custos mittens fratrem periculosum de uno conventu in alium, & minister ipsum mittens ab una custodia in aliam, teneantur certiorem facere per literas superiorem de ejus moribus, si is eos ignoret. Idem fiat, si mitti debeat in aliam provinciam.

13. Custos, vel minister fratribus ju-

Digitized by Google

juvenibus etiam professis assignet confessarium, qui eos bonis moribus informet, & disciplina regulari rite coerceat.

14. Nemo accedat ad curias regum pro negotiis expediendis; sed ea committat fratribus in curia exsistentibus. Si vero expediri nequeant sine petentium præsentia: assignetur illis tempus aptum veniendi ad curiam.

XVI. CAPITULUM GENERALE APUD MONTEM PESSULANUM. Anno 1287. MATTHÆUS AB AQUASPARTA. *Leges* nullæ. Confirmatæ sunt præcedentes.

XVII. CAPITULUM GENERALE REATIS. Anno 1289. & 1292. RAYMUNDUS GAUFREDI. *Leges* nullæ. Anno 1292. in capitulo generali Lutetiæ Parisiorum editæ sunt *Leges* I. Ministri secum deferant ad capitulum generale memorias historicas rerum præclare in ordine gestarum ex peculiaribus regestis collectas.

2. In singulis provinciis instituant collegia, in quibus adolescentes pietatem, & literas discant.

3. Notabiles excessus fratrum, graviores culpæ, vel fide dignæ accusationes, sententiæ latæ, & inflicta supplicia adnotentur in libris propriis archivo mandandis, & successoribus prælatis fideliter consignentur.

4. Custodes non visitent secreto custodias, seu conventus sibi commissos, nisi ex speciali ministrorum mandato, quibus tradere debeant peractas visitationes.

5. Festum S. Claræ celebretur vel receptis hymnis, vel aliis de novo componendis a perito hymnographo, quem eliget minister generalis.

6. Confirmatur lex I. Capituli II.

Sequuntur leges capitulis generalis Assisii anno 1295.

7. Studentes juvenes sequantur doctrinam, & vestigia magistrorum suorum.

8. Magistri, seu lectores non defendant, vel alios doceant opiniones suspectas, secus, si pertinaces fuerint, a ministris dejiciantur a suo gradu, nec ipsum recuperent absque expresso mandato ministri generalis.

9. Nemo accedat ad capitulum generale, vel ad urbem, nisi ii, quibus licet ex regula. Nec ii alios secum ducant absque licentia ministri generalis.

10. Ministri licentiam facile non concedant suis subditis petendi Assisium pro lucranda indulgentia portiunculæ, neque dent illis, qui aliam lucrati fuerint.

11. Fratres Assisium euntes ad indulgentiam lucrandam non equitent, nec sint in comitatu mulierum, nec apud sæculares hospitentur in locis, ubi sunt cœnobia ordinis. Assisium non perveniant ante postremum Julii diem, nec absque ministri vel custodis licentia moram ibi trahant ultra triduum.

XVIII. CAPITULUM GENERALE ANAGNIÆ. Anno 1296. JOANNES A MURO. *Leges* nullæ. Confirmatæ sunt præcedentes.

Sequuntur leges capituli generalis Genuæ anno 1302, I. Festum S. Mariæ ad Nives fiat sub ritu duplici, & celebrentur consecrationes Ecclesiarum S. Salvatoris, & SS. Petri, & Pauli.

2. Ne recipiantur, & assignentur conventibus agri, vineæ, domus, commissariæ perpetuæ onerum, & pensionum annualium sub pœna excom-

communicationis latæ sententiæ, quæ prout statutum est anno 1304. extenditur ad eos, qui scienter, & ex deliberatione, procuraverint legata perpetua, seu commissarias ad vitam, & illos, qui attentaverint pro iis retinendis in judicio experiri, vel in iis se intromiserint.

XIX. CAPITULUM GENERALE ASSISII. Anno 1304. GUNDISALVUS A VALLEBONA. *Leges* I. Confirmata est II. Capituli antecedentis, III. Capituli II., & I. Capituli IX.

2. Magna circumspectione, & restrictione mittantur fratres ad studia generalia.

3. Visitatores provinciarum idonei eligantur.

4. Instituantur confessarii, qui præter prælatos possint absolvere delinquentes etiam in casibus reservatis.

4. Curent ministri, ut fratres stricte observent capitulum: *De modo interius conversandi*; & carnes non ministrentur Fratribus sanis.

5. Pecunia, quæ deponitur pro necessitate præsenti, vel imminenti de ministrorum, vel custodum permissu, applicetur infra breve tempus necessitati ejus qui illam deposuerit, sub pœna gravi transgressoribus statim infligenda.

6. Pecunia proveniens a bonis ordinis venditis, dum deponitur distinguatur ab illa, quæ provenit ab eleemosynis sæcularium.

7. Nemini permittatur pecuniam recipere, vel recipi facere pro laboribus.

8. Pœnis in proprietarios statutis subjaceant tam in vita, quam in morte ii, qui vitiosi fuerint in debitis contrahendis, sicuti & congregantes, ac deponentes pecuniam modo indebito.

9. Qui sumptuositatem ædificiorum promoverint in picturis, sculpturis, cælaturis &c. priventur libris, & actibus legitimis. Conventus vero, in quibus talia fuerint, si personæ sæculares impediant, ne amoveantur, priventur studio, et facultate mittendi discretum ad capitulum provinciale, in quo nullus sit vocalis pro ipso conventu, & privatio tamdiu remaneat, quamdiu culpa.

10. Fratres mittendi ad infideles sint viri probatissimi.

XX. CAPITULUM GENERALE BARCINONIS. Anno 1313. ALEXANDER AB ALEXANDRIA. *Leges* nullæ. Confirmatæ sunt præcedentes.

XXI. CAPITULUM GENERALE NEAPOLI. Anno 1316. MICHAEL A CÆSENA. *Leges* I. Tunicis omnes utantur æqualibus in longitudine, latitudine, & qualitate.

2. Ædificia sumptuosa, aut curiosa non construantur.

3. Si Fratres equitare, vel calceos ferre contigerit, examinetur prius eorum necessitas a discretis conventus, qui tradant facultatem in scriptis.

4. Nemo adolescens ad studia mittatur, qui pedester ire nequeat. Qui contra fecerit a studio arceatur, nec recipiatur a guardianis. Qui vero cursu studiorum absoluto, pedester non non regrediatur, privetur officio lectoris, & prædicatoris.

5. Fructus, & hortalia exteris non vendantur.

6. Qui vitam non duxerit communem cum cæteris, nec guardianus fiat, nec ad alia ordinis officia admittatur.

7. Mensa parce, modeste, et sine fer-

Digitized by Google

ferculorum multitudine paretur, apposita modica carnium quantitate.

XXII. CAPITULUM GENERALE PARISIIS. Anno 1329. GERALDUS ODONIS. *Leges* nullæ. Anno 1331. in capitulo Perpiniani minister generalis, mandavit, ut recipiendus ad professionem staret in missa conventuali ante altare prostratus, & post communionem sacerdotis & ipse devote communicaret. Novitates etiam, & cæremonias alias præscripsit.

XXIII. CAPITULUM GENERALE MASSILIÆ. Anno 1343. FORTANERIUS VASSALLIUS. *Leges*. Serventur in posterum, cæteris revocatis statutorum compilatioribus tam papalibus, quam generalibus, constitutiones S. Bonaventuræ.

XXIV. CAPITULUM GENERALE VERONÆ. Anno 1348. GUILLELMUS FARINERIUS. *Leges* nullæ. Anno 1350. in capitulo generali Lugdunensi decretum est, ut officium translationis S. Antonii de Padua celebraretur die 15. Februarii, & de B. Ivone die 27. Octobris sub ritu semiduplici.

Anno 1354. in Capitulo Generali Assisii decretum est, ut a quibusdam peccatis nemo possit absolvere, nisi minister provincialis, vel aliquis ab eo deputatus.

LEGES CONTENTÆ IN CONSTITUTIONIBUS FARINERIIS.

I. Recipiendus in ordine novitius sit fidelis, & catholicus, de nullo errore suspectus, matrimonio non ligatus per copulam carnalem, corpore sanus, animo promptus, legitime natus, debitis expeditus, conditione liber, ætatis 14. annorum ad minus, nisi fuerit a parentibus oblatus, nulla vulgari infamia maculatus, competenter literatus, vel ad labores Fratrum honestos, & utiles aptus, aut talis conditionis exsistens, quod ejus receptio clero, & populo non modicam ædificationem afferat.

2. Qui absque his qualitatibus receptus fuerit, non admittatur ad professionem sine licentia ministri generalis, vel ministri provincialis cum consilio discretorum.

3. Nemo pro laico recipiatur sine licentia ministri generalis, nec recipiatur citra annum 18., aut ultra quadragesimum, nisi esset persona valde insignis, vel notabilis, cujus receptio cederet in magnam ædificationem populi, & cleri.

4. Nemo de statu laicali ad clericalem transeat sine assensu capituli generalis.

5. Si novitii ex dispensatione peculiari non deferant caputium probationis, nullum jus propterea acquirunt in ordine, nisi professionem emittant, etsi annus probationis transiret, idque eis antea juridica protestatione palam fiat.

6. Nulli prælato liceat recipere aliquem ejectum ab ordine, vel per se egressum de administratione alterius ministri, sive sit in habitu nostro, sive non.

7. Nemo professus in ordine mendicantium recipiatur in nostro, nisi prius a suo superiore licentia postulata.

8. Nemo receptus pro aliena provincia, vel ad suam translatus instantiam, possit ad nativam redire provinciam, nisi de ministri generalis licentia speciali.

9. Receptio novitiorum ad professionem fiat tantum in capitulo co

ram

ram Fratribus ad hoc specialiter congregatis.

10. Nemo recipiatur ad professionem, nisi, completo anno probationis, habeat laudabile testimonium fratrum, quibus cum conversatus est, & accedat licentia ministri generalis, vel provincialis. Quæ duo si constiterint, custodes proprii possint novitium ad professionem recipere; & guardiani etiam, si ex rationabili causa facultatem impetraverint a ministro.

11. Si conversatio novitii fuerit dubia, res cognoscenda reservetur ministro provinciali.

12. Novitius ante professionem sit omnino expropriatus, & nihil in testamento sibi, vel aliis reservari faciat.

13. Nullus pro clerico professionem emittat, nisi totum divinum officium per seipsum sciat dicere. Aliter professus non promoveatur ad ordines sacros, nec mittatur ad studia, nec assumatur ad aliquam præsidentiam, antequam divinum officium recitare perfecte didicerit. Custos vero, vel guardianus, qui eum etiam nescientes ad professionem receperint, graviter puniantur a ministro.

14. De qualitate habitus. Habitus fratrum non sit nec valde pretiosus, nec valde vilis, de quo, antequam pannus incidatur, judicare debeat custos, vel guardianus conventus, qui contrafacientes privent ipso panno.

15. Ministri, custodes, & guardiani nemini deferre permittant tunicas, vel pallia respersa diversis coloribus, vel nimium alba, vel nimium nigra, sed æqualia.

16. Longitudo habitus talis sit, ut nec plica ultra quatuor digitos protendatur, nec chordam operiat. Latitudo vero sit 18. palmorum, vel non minor 15.

17. Caputii extremitas a capite extensa non excedat cingulum per longitudinem duorum digitorum, nec per eamdem longitudinem remaneat supra cingulum.

18. Excessus quoad numerum in habitibus, tunicis, & palliis, seu mantellis prælati reprimant debitis pœnis. Et qui in præmissis corrigendis, vel in aliquo ipsorum fuerint negligentes tamdiu a vino abstineant, quamdiu ex eorum culpa remanserint incorrepta.

19. In forma habitus servetur modus antiquus.

20. Pallia sint de panno vili, & humili, non rugata circa collum, nec crispia, nec usque ad terram, per integrum saltem palmum protensa.

21. Nemo, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate coactus, dormiat sine habitu, femoralibus, & corda. Secus in sequenti prandio comedant in terra coram fratribus sine habitu.

22. Qui camisiam lineam, ex bombice, vel de cottone ad carnem portaverit, in sequenti prandio in terra comedat, habens coram se camisiam pro tobalea, vel mantili. Relapsus privetur ipso facto voce activa, & passiva, & per mensem ferat caputium probationis.

23. Iisdem pœnis subjaceat quicumque sine scitu, & licentia superioris retinuerit in suo cubiculo vestes sæculares.

24. Graviter puniantur illi, qui vitiosi fuerint, non cogente necessitate, portare capitergia, seu sudaria circa collum, & almutia alba, seu rubea de panno, vel de tela:

25. Fratres benevalentes non utantur in dormitorio culcitris, linteami-

ni-

nibus, et pulvinaribus de pluma.

26. Cingulum sit ex chorda communi, & rudi sine curiositate, et singularitate.

27. Nemo portet calceamenta, nisi necessitate cognita a ministro, ejusque licentia speciali, vel, eo absente, custodis, guardiani, aut vicarii cum consilio discretorum. Contrafacientes per unum diem naturalem non bibant, nisi aquam, nec aliud comedant, nisi panem.

28. Habeantur calceamenta pro celebrandis missis in communi.

29. Clerici, et laici in æstate ad quindenam semper radantur. In hyeme vero infra tertiam septimanam, nec inter rasuram, & aures sint plusquam tres digiti.

30. Nemo pecuniam apud aliquem deponi sustineat, vel conservari, sine speciali licentia, & inscio guardiano suo.

31. Depositum, seu conservatio pecuniæ nemini concedatur, nisi pro necessitate præsenti, vel de proximo imminenti.

32. Recipiens eleemosynam, quocumque modo pro se, vel aliis expendendam, teneatur integram guardiano suo revelare infra octo dies, postquam guardiani præsentiam habuerit. Et hoc idem guardianus custodi, & custos ministro facere teneatur. Qui legem contempserit, incidat in pœnam proprietarii, & recursu ad dictam eleemosynam sit privatus.

33. Eidem pœnæ subjaceat qui pecuniam portaverit, vel contrectaverit, vel in cella retinuerit pro prima vice. Pro secunda autem qui pecuniam portaverit, vel contrectaverit pœna carceris puniatur.

34. Pœnam proprietarii subeat qui res suo usui destinatas deposuerit apud personas extra conventum, sine scitu guardiani, & aliquorum fratrum proborum conventus, seu loci.

35. Certum terminum præfigant ministri, & custodes, infra quem pecunia in res licitas convertatur.

36. Pœna proprietarii puniantur qui pro se, vel alio in contrahendis debitis fuerint vitiosi, & qui libros, vel res alias suo usui destinatas pro se, vel alio oppignoraverint, sine sui ministri licentia, qui eam dare possit custodibus, si id viderit opportunum.

37. Guardiani nullam rem conventuum oppignorent sine magna necessitate, vel utilitate evidenti, & sine assensu majoris partis fratrum suorum, maxime seniorum. Nec se, vel locum aliquem inducant in debita onerosa, aut induci permittant, ministro inconsulto.

38. Nullum debitum fiat pro ædificiis construendis, locis ampliandis, vel mutandis, libris scribendis, vel emendis, nisi ministri ex rationabili causa dispensandum judicaverint.

39. Nullus fratrum libros scribi faciat ad vendendum, nec habitos vendat carius in ordine, quam sint empti. Qui ultra acceperit, eidem penitus auferatur, & nihilominus puniatur.

40. Fratres non habeant, nec mutent vasa aurea, vel argentea, nec iis, utantur, nec jocalibus aliis pretiosis sub pœna spoliationis habitus, aliisque arbitrio ministrorum.

41. Nulla litera, vel instrumentum conficiatur, in quo fratres protestentur, se pecuniam recepisse. Dicant tantum, sibi esse satisfactum de

Digitized by Google

data pecuniæ quantitate accepta ab aliqua persona pro sua necessitate, vel utilitate.

42. Libri fratrum decedentium pertineant ad illos conventus, pro quibus ad ordinem sunt recepti. Indistincte vero in provinciis, & custodiis proprius fratris decedentis conventus censeatur ille, ex cujus terra originem duxit. Hinc quando aliquis frater recipitur in provincia non nativa, determinetur per ministrum, ad locum aliquem ipsum pertinere.

43. Libri fratrum translatorum de provincia, custodia, vel conventu per incorporationem, quos tempore translationis habuerint, ad conventum pristinum eorum revertantur. Qui post translationem eis obvenerint, sint conventus, cui fratres per ministrum fuerint deputati. Idemque judicium esto de pecunia pro fratrum necessitatibus indistincte apud spirituales amicos deposita, nisi per dominum revocetur.

44. Sub pœna privationis librorum, & officiorum ordinis, aut æquivalenti, nullum depositum fiat in conventibus auri, argenti, gemmarum ec. (solis libris exceptis); nisi necessitas ea emergat, ut sine scandalo vitari nequeat. Nunquam vero depositum accipiatur sine licentia guardiani, aut vicarii, & consilio discretorum. Quo in causu scribantur literæ authenticæ, & claudantur sigillo deponentis, fratresque protestentur, se de custodia non teneri. Deposita hujusmodi serventur in communi loco a guardiano assignato, & reddantur cum idonea cautione.

45. Ministri reddant rationem de collatis, & expensis, ac suo consilio, & assensu ad dispensandum commissis in capitulo provinciali. Custodes ibidem coram fratribus propriæ custodiæ. Guardianus, & procurator infra quindecim dies coram aliquibus discretis conventus. Alii fratres ministro, & custodi, cum fuerint requisiti.

46. Ædificia, ecclesiæ, paramenta, & vasa ecclesiastica respondeant numero fratrum conventus, amota omni superfluitate.

47. Puniatur pœna irrevocabilis exilii, aliisque gravioribus, qui sine licentia, & dispensatione ministri ædificium aliquod construxerit, vel destruxerit.

48. Nulla eleemosyna perpetua, vel ad vitam recipiatur, aut recepta exigatur in judicio sub pœna excommunicationis reservata ministro, vel ejus vicario.

49. Sine speciali licentia ministri nullam guardiani, custodes, vel eorum vicarii pactionem perpetuam, & de re notabili faciant cum clericis; & quicumque iis pactionem facientibus consenserint, suspensus sit actu legitimo, ad quem per solum generalem ministrum restitui possit. Eidem pœnæ subjaceant pactionis auctores.

50. Tempore generalis interdicti fratres matribus ecclesiis se conforment, juxta statutum Clementis V. Caveant autem ab omni scandalo clericorum sæcularium, & irreverentia prælatorum.

51. Exhibeant curatis portiones funerarias, nec cum eis lites ullas instituant; nisi ex prudenti jurisperitorum consilio.

52. Prælati ordinis bene tractent, & favorabiliter nutriant fratres excellen-

lentes in literis devotione, & obſervantia regulari.

53. Fratres habitent indifferenter in conventibus, & eremitoriis ſecundum diſpoſitionem miniſtrorum, & cuſtodum. Ad eremitoria vero non mittantur, niſi homines probatiores.

54. Ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant ii, qui ex noſtris cenſuerint contra determinationem Gregorii IX., quod fratres rem ſibi neceſſariam non poſſint emere, vel ſolutionem facere pro re jam empta de eleemoſyna pecuniaria per nuntium illius, a quo res emitur, vel aliquem alium volentem facere eleemoſynam præſentata; aut imminentibus neceſſitatibus, ad ſpiritualem, vel familiarem amicum, apud quem per dominum pecuniæ, vel nuntium ejuſdem domini depoſita fuerit pecunia, pro neceſſitatibus fratrum diſpenſanda, recurrere non poſſe abſque ſuæ regulæ transgreſſione.

55. Eidem pœnæ ſubjaceant illi, qui contra declarationem Joannis XXII aſſeruerint, quod ex arbitrio miniſtrorum, & cuſtodum, fratribus, quando viderint, et ex certa ſcientia, & experientia probaverint, quod vitæ neceſſaria pro communitate conventuum, & locorum de emendicatis non ſufficiant, ut poſſint vivere, abſque congregatione grani, & vini in granariis, & cellariis; prædicta congregatio grani, & vini minime conveniat ſecundum regulæ puritatem. Et qui contra has duas conſtitutiones exſtiterint pertinaces vel in prædicatione, & diſputatione, vel in privata informatione, pœna carceris per idoneos teſtes convicti puniantur, nec liberari debeant, niſi poſt proteſtationem, ſe numquam deinceps fore recidivos.

56. Qui nolunt jejunare in quadrageſima, quæ incipit ab Epiphania, non graventur. Tunc hora ſexta comedant fratres, & ſint contenti una refectione in conventu. *Hoc poſtremum non præcipitur a capitulo generali, ſed tantum commedatur.*

57. Jejunent omnes in vigiliis SS. Apoſtolorum, exceptis iis, quas ecclesia excipit, & in vigilia S. P. N. Franciſci. Inchoent autem obſervantiam quadrageſimæ communis a quinquageſima.

58. Circa eſum carnium temperate, & ſtricte ſe habeant, & de ſero in locis ſuis nullo tempore carnes comedant, exceptis infirmis, & hoſpitibus; inſuper iis, qui prædicaſſent, manualiter artificibus, ac quæſtoribus, qui pro communi utilitate tota die laboraſſent, niſi carnes in prandio comediſſent.

59. Sub pœna amotionis confuſibilis de conventu nemo audeat in feſtis S. Nicolai, vel Innocentium, vel aliis veſtes extraneas, religioſas, clericales, vel ſæculares, vel muliebres induere; aut novitates alias diſſolutas inducere.

60. Miniſtri, cuſtodes, guardiani, eorumque vicarii teneantur providere, ut infirmis debitum præſtetur ſervitium, & nihil eis deſit de cunctis neceſſitatibus, idque ex communibus eleemoſynis, niſi aliqua pro neceſſitate patris infirmi fuerit deputata.

61. Teneantur etiam infirmos perſonaliter viſitare. Hinc cuſtodes in quolibet loco ſuæ cuſtodiæ deputent unum fratrem, qui in ejus abſentia infirmos frequenter viſitet, & guar-

dianum , procuratorem , & infirmarium ſollicitet .

62. Miniſtris facultas ſit, cuſtodes, guardianos, eorumque vicarios in his delinquentes , in provinciali capitulo ab officiis amovere. Infirmarios vero, aliosque inſervientes juxta qualitatem delicti debitæ ſubjicere diſciplinæ.

63. Viſitatores provinciarum ſignificent capitulo generali eas provincias, quæ in his vitioſæ repertæ fuerint.

64. Guardiani non poſſint indui de quacumque elemoſyna , nec pannum recipere pro veſtitu , donec omnibus fratribus *indigentibus* ſui loci de veſtimentis fuerint proviſum. *Indigentes* ii intelliguntur , qui per obedientiam requiſiti , dicunt , ſe eleemoſynam non habere , nec habere poſſe a ſuis conſanguineis , vel amicis , unde poſſint ſibi de veſtibus hujuſmodi providere.

65. Hoſpites fratres benigne recipiantur, maxime venientes de provinciis extraneis , & longinquis. Fratres ordinis prædicatorum recipiantur, ut noſtri , & quicumque inter illos , & nos ſeminaverit zizania , & ſcandala, graviter puniatur.

66. Hoſpites poſt tres dies dicant culpam in capitulo, eaque dicta, & acceptata pœnitentia , egrediantur.

Sequuntur nonnulli ritus genufle ctendi ad verba, quæ leguntur in miſſa , in quibus adſtantes ſolent genuflectere. Præſcribitur etiam genuflexio ad illa verba: *Ecce ancilla Domini*.

67. Fratres ſinguli confiteantur bis ad minus qualibet hebdomada determinatis de conſcientia guardiani confeſſariis.

68. Fratres laici teneantur communicare de quindena in quindenam in miſſa conventuali.

69. Procurator ordinis in curia Romana, ejuſque ſocii antequam officium exſequantur , præſtent juramentum tactis evangeliis generali miniſtro, vel alteri, de miniſtri ipſius ſpeciali mandato, ſe in munere ſuo fideles futuros. Vide formam juramenti Chronologiæ tom. I. pag. *69*.

70. Procurator ordinis noviter inſtitutus recipiat a ſuo prædeceſſore, vel ſocio literas, & inſtrumenta omnia cauſarum ordinis in Romana curia ſub inventario , & ſpeciali regeſto coram guardiano loci curiæ prædictæ, & aliquorum diſcretorum, quos noviter inſtitutus procurator vocaverit.

71. Guardianus faciat ſibi fieri exemplaria eorum omnium, quæ prædictus procurator recipit, illaque cuſtodiat arca, in qua ſigillum conventus conſervatur; ut quando ordinabitur alius procurator , ex collatione ſcripturarum procuratoris antiqui , & ipſius guardiani, colligi valeat, an ea, quæ eidem procuratori per prædeceſſorem ejus fuerant tradita , integre , & fideliter conſignentur.

72. Procurator ordinis, & ſocius ejus teneantur accedere ad capitulum generale, ibique de officio ſuo , receptiſque , & expenſis rationem reddere, ac immediate poſt miniſtros officium ſuum reſignare, ſic ut ibidem de ſua idoneitate diſcutiatur, quæ ſi non conſtiterit, ejus reſignatio acceptetur, & provideatur de alio procuratore.

73. In aſſumendis, & proſequendis cauſis ordinis procurator , & ejus ſocius (ſi bono modo fieri poterit) ſemper ſint ſimul.

74. Quilibet miniſter ab uno ad aliud capitulum generale ſolvant tres flo-

Digitized by Google

florenos procuratori ordinis, totidemque inquisitor hæreticæ pravitatis eidem, vel socio solvat, quos procurator advocatis, et defensoribus causarum ordinis assignet.

75. Nullus fratrum vadat pedes, vel eques sine fratre socio, vel sine eo alicubi commoretur, alioquin ei caputium, & omnia, quæ portat, auferantur.

76. Nemo, nisi ex officio prædicationis, confessionis, visitationis, vel ex speciali licentia sui ministri obtenta in scriptis, accedat ad monasteria monialium ordinis curæ commissa. Nec cum moniali aliqua loquatur, nisi socio fratre præsente, exceptis iis, quibuscum minister, ex causa rationabili, in scriptis duxerit dispensandum. Qui secus fecerit, privetur per annum accessu ad monasteria, nisi forte causa prædicationis, ubi alius haberi nequeat, ita tamen, ut omnino cum monialibus non loquatur.

77. Si frater talis sit conditionis, ut eum pœna proposita non gravaret, custos eum puniat probationis caputio, usque ad adventum ministri provincialis, vel generalis.

78. Non mittantur fratres extra provinciam sine urgenti necessitate, vel utilitate, eisque in literis obedientialibus præfigatur terminus revertendi. Transgressores jejunent in pane, & aqua.

79. Fratribus euntibus extra provinciam sine ministri literis testimonialibus, vel extra custodiam sine literis custodis, auferantur caputia, & omnia, quæ portant, nec eis reddantur, nisi in casu excusabili de consilio discretorum.

80. Remittantur confusibiliter ad suum provincialem ii, qui sine licentia ministri provincialis accesserint ad ministrum generalem.

81. In locis, ubi morantur fratres, nemo comedat, vel bibat, nisi cum dominis terrarum, prælatis, aut viris religiosis; secus octo dierum spatio abstineat a vino in una completa refectione.

82. Mulieres non permittantur comedere in domibus fratrum, nisi de licentia ministri, nec ingredi ad interiora conventuum, nisi de licentia guardiani, vel vicarii cum consilio discretorum.

83 Iter facientes divergant ad loca fratrum, ad comedendum, & hospitandum cum eis, vel saltem ad se excusandum, si necessitate fuerint impediti. Secus comedant semel in terra coram omnibus fratribus.

84. Exeuntes a suis provinciis in singulis locis fratrum, ad quos pervenerint, literas obedientiales ostendant guardianis, aut vicariis eorum, intra diem naturalem, vel citius, si fuerint recessuri. Ipsi autem guardiani, vel vicarii easdem literas requirant.

85. Nemo in via, vel alibi portet pecuniam alicujus, nec bursarium secum ducat.

86. In itineribus prolixioribus, si probabile sit, cibaria haberi non posse, subveniri possit fratrum necessitatibus per aliquem honestum nuntium, cui eleemosyna debito modo committatur ab aliquo benefactore, expendenda temperate, & stricte sicut decet pauperes. Qui contra fecerit, pro qualibet refectione suscepta jejunet duobus

Digitized by Google

bus diebus in pane, & aqua absque dispensatione.

87. Fratres transeuntes per viam nihil acquirant in locis, ubi morantur fratres, nisi de licentia custodis, vel guardiani, quibus obediant, & subsint quoad correptionem evidentium offensarum, quas facere eos contigerit. Nihil autem agant verbis, vel scriptis, quod possit redundare in scandalum alicujus. Secus probationis caputio puniantur, vel alia pœna arbitrio ministri juxta qualitatem delicti.

88. Vide Capitulum Generale XVI. num. 12. Si frater aliquis onerosus, vel periculosus transferatur de provincia in aliam, minister significet alteri ministro ejus qualilates, & hic custodi; custos autem guardiano; nulla tamen infamia fratri ipsi transferendo irrogata.

89. Vide Capitulum Generale VII. num. 10. & 11. Ministri exprimant in literis obedientialibus, quod fratres Assisium petentes ad lucrandam indulgentiam portiunculæ, non intrent provinciam S. Francisci ante VI. Cal. Augusti, & post habitam indulgentiam infra quinque dies provincia egrediatur.

90. Ministri careant facultate mittendi fratres ad locum, ubi residet Romana curia, vel Sedes Apostolica. Fratres, qui sine licentia ministri generalis contrarium attentaverint, priventur omni actu legitimo. Nemo autem ad prædictum locum accedere possit sine literis testimonialibus sui ministri.

91. Procurator curiæ scribat in libro peculiari culpas graves fratrum & pœnas, in quas incidisse eos contigerit, notificandas ipsi per ministrum provinciæ, & referendas in librum coram socio procuratoris.

92. Literæ ministri clausæ dentur fratri ad Romanam curiam eunti, quas nisi exhibuerit, procurator illum expellat de curia.

93. Nullus in Romana curia dormiat, vel moretur extra conventum, nisi apud notabiles prælatos, cardinales, aut principes. Protector tamen ordinis in casu, quo ministros, vel alios fratres notabiles infra locum suum non possit commode locare, hospitia honesta ad eorum provisionem assignet in villa.

94. Studentes nec euntes ad studia, nec redeuntes transeant per locum curiæ Romanæ sub pœna privationis studiorum, & promotionis habitæ, vel habendæ.

95. Carceri mancipetur quicumque discordiam seminaverit inter sæculares quoscumque maxime magnates, et principes.

96. Ministri, et custodes voce activa, & passiva privent tam clericos, quam laicos, qui in laboribus competentibus se non occupaverint. Visitatores animadvertant in ministros, et custodes negligentes.

97. Si fratres indigeant obsequiis puerorum sæcularium, eos assumant, honestos tamen, et securos, qui, sine necessitate de consilio discretorum per minisrtum judicata, non admittantur ad officinas interiores.

98. Nemo vel pro confessione audienda, vel alia de causa stet juxta mulierem, aut sedeat, nisi in conspectu socii.

99. A sociis accusentur ii, qui habue-

buerint suspecta consortia, vel prolixa colloquia cum mulieribus.

100. Puniatur caputio probationis per sex menses quicumque requisiverit a muliere votum continentiæ, aut oblatum receperit, vel ad faciendum sibi obedientiam induxerit.

101. Nemo judex sit, vel arbitrer quæstionum, nec in officiis ordinem nostrum indecentibus se intromittat sub pœna privationis actuum legitimorum.

102. Lectores incipiant lectiones a festo S. Francisci, & eas continuent usque ad terminum capituli provincialis sequentis.

103. Qui in lectionum continuatione fuerint notabiliter vitiosi, priventur per ministrum omnibus gratiis, quæ lectoribus conceduntur, & insequenti anno in nullo officio ponantur. Notabile vero non continuationis vitium est, quando lector nulla longa ægritudine, vel alio legitimo impedimento fuerit detentus, & in anno quinquaginta lectiones non legerit.

104. Fratres clerici non occupati cogantur ad ingressum scholarum, & negligentes gravi subjaceant disciplinæ, vel de loco studii expellantur.

105. Idem tempore vacationum aliquibus lectionibus occupentur, & sint propterea exempti ab humilitatis obsequiis, & divinis officiis.

106. Studentes non audiant confessiones mulierum, nisi foret aliqua, cujus linguam nullus alius intelligeret de conventu.

107. Notabiliter insolentes, vel in studio negligentes remittantur ad proprias provincias de consilio discretorum.

108. Fieri nequeat divisio, vel commutatio studii Parisiensis, nisi tantum de uno anno integro, & ex casu infirmitatis, vel causa alia rationabili judicanda per consilium Parisiense.

109. Nemo sacros ordines recipiat sine licentia ministri, vel custodis, cui minister id commiserit, sub pœna suspensionis ab ordine suscepto.

110. Nemo recipiat presbyteratus ordinem, nisi attigerit vigesimum quintum ætatis annum.

111. Nemo procuret committi sibi, vel alteri fratri negotia procuranda per reges, principes, prælatos, seu communitates.

112 Neque maneat, vel equitet cum eisdem, neque se ingerat nimis curiis prælatorum, dominorum ec. sub pœna suspensionis ab officiis ordinis, & inhabilitationis ad eadem. Sacerdotes vero contrafacientes suspensi sint ipso facto a confessionibus audiendis.

113. Fratres ad studia generalia de debito mittendi eligantur per capitula suarum provinciarum.

114. Ministri, & discreti in capitulis generalibus exhibeant plenam informationem de fratribus promovendis ad officia lectionum.

115. Leges 102. & 103. circa lectores renovantur, & injungitur ipsis ut continuent lectiones a festo S. Francisci usque ad festum Pentecostes. Ministris vero, ut denuncient capitulo generali lectores notabiliter in officio negligentes, ut de aliis loco ipsorum celeriter provideatur.

116. Inquisitores hæreticæ pravitatis remaneant in officio per duos annos, nisi aliud res exigat, quo in casu informetur minister generalis, et interim inquisitor sit tantum vicarius.

Digitized by Google

rius . Intersint capitulis provinciarum, computum reddant, & subjaceant visitationi de excessibus, et defectibus . Notabiliter in officio vitiosi deponantur a ministro, seu præside capituli cum consilio discretorum, & assensu diffinitorum .

117. Inquisitoribus non dentur victus, & vestitus, si aliunde eis fuerit provisum .

118. Peccata inobedientiæ contumacis, in qua scilicet præcessit trina monitio facta congruis intervallis per diem naturalem , proprietariæ rerum detentionis , lapsus carnis , furti rei notabilis ; injectionis manus violenter, falsi testimonii in judicio facti, compositionis, vel projectionis, aut publicationis libelli famosi, falsificationis sigilli cujuscumque personæ notabilis , falsæ criminationis per infamiam cujuscumque, sint reservata ministris generali, & provincialibus , eorumque commissariis , qui, si crimen probatum fuerit, nequeant absolvere, nisi tantum in foro conscientiæ.

119. Si frater in his delinquens, antequam sit accusatus, vel delatus, faciem ministri coram testibus in confessione prævenerit, possit minister de ipsorum testium consilio pœnitentem absolvere quoad forum extrinsecum, injuncta ei minus confusibili pœnitentia. Hoc autem intelligendum est de primo recursu, et semper cum protestatione, quod pœnitens ad statum pristinum redeat, si de ejus relapsu probatio sufficiens habeatur .

120. Confessariis interdicitur facultas absolvendi a tactibus impudicis, nisi habeant licentiam absolvendi a lapsu carnis .

121. Consuetudinarii in tactibus impudicis, si præmissa canonica monitione se non correxerint, puniantur sicut de lapsu carnis .

122. Si tactus impudici essent valde enormes, nulla requiratur monitio, sed puniantur delinquentes, si ministris videbitur, de consilio discretorum .

123. De solicitatione ex certa scientia ad peccatum carnis idem judicium habeatur .

124. Custodes non possint absolvere in prædictis, nisi ex commissione speciali ministri, præter quam ab excommunicatione pro injectione manuum violenta, non tamen atroci, vel de injectione subditi in prælatum. Eamdem, si custos infra diem naturalem haberi non possit, facultatem habeat guardianus, et vicarius, si guardiani, vel custodis præsentia infra triduum haberi non possit .

125. Mortuo ministro, qui dedit facultatem absolvendi, remaneat apud confessarium auctoritas usque ad electionem alterius .

126. Confessari sine auctoritate absolventes suppensi sint ab audiendis confessionibus, & vitiosi pœna carceris puniantur .

127. Quicumque affirmaverit , quemlibet sacerdotem in his absolvere posse, ministro inconsulto, & correctus perstiterit in errore, tamquam errans, & subversor carceri mandetur.

128. Nullus incarceretur, nisi pro excessu manifesto , et enormi, vel ratione gravis peccati, ut est lapsus carnis , inobedientia contumax, & perfidia hæresis, vel ratione circumstantiæ, sicut est furtum rei notabilis,

Digitized by Google

lis, vel notorie factum, seu etiam quia frequenter iteratum; & de similibus idem judicium esto.

129. Carceri mancipandus habitu ordinis spolietur, & eo ipso actis legitimis sit privatus, ad quos non restituatur, nisi ei postea libero hoc beneficium explicite impendatur.

130. Quando excessus commissus patet, guardianus, custos, vel illorum vicarii de consilio discretorum possint detinere delinquentem subditum, sive non subditum, donec per ministrum definitum fuerit quid sit agendum.

131. Carceres sint boni, fortes, & multiplices, sed humani.

132. Quicumque per se, vel alium falsificaverit literas, vel sigilla prælatorum, principum, ministrorum generalis, vel provincialis, ipso facto excommunicationis sententiam incurrat. Et, si legitime fuerit deprehensus, carceri tradatur.

133 Qui falsificaverit sigillum ministri generalis, non absolvatur ab excommunicatione sine speciali mandato ipsius ministri.

134. Quicumque eorumdem literas malitiose per se, vel alium destruxerit, vel impediverit, ne eisdem mittantur, seu retinuerit, vel aperuerit, suspensus sit ipso facto omni actu legitimo, & cui hæc pœna non competit, puniatur caputio probationis, nec relevetur,nisi per ministrum generalem, vel provincialem, ad quem ipsæ literæ spectant.

135. Eisdem pœnis subsint illi, qui superiorum literas sibi missas legere, vel aperire malitiose distulerint, & qui retinuerint, aperuerint, vel reddere distulerint literas missas sociis generalis, vel provincialium ministrorum, seu missas ab eisdem.

136. Literarum, vel libellorum famosorum auctores sententiam excommunicationis incurrant ipso facto. Si eos edant in infamiam quarumvis personarum, absolvi possint a ministro provinciali. Carceri tradatur quicumque in his legitime fuerit deprehensus.

137. Ministri, custodes, ipsique guardiani de consilio discretorum graviter puniant improperantes ignominiosas culpas, & pœnas, gravesque injurias irrogantes.

138. Si quis de persona summi Pontificis, vel de constitutionibus apostolicis obloqui temerarie præsumpserit, & in hoc legitime deprehensus fuerit, puniatur pœna carceris, vel privationis, vel probationis, vel alia competenti coram eo, coram quo deprehensus fuerit.

139. Quicumque falso, & scienter infamaverit aliquem in occulto nequeat absolvi præterquam a ministro, vel custode, imposita pœna criminis, de quo alium infamaverit, & restitutionis famæ.

140. Si de veris alium infamaverit, puniatur arbitrio ministri.

141. Nemo sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda revelet quoquo modo peccatum sibi in confessione detectum. Et si legitime fuerit deprehensus, subeat carceris pœnam.

142. Nemo sit nuntius quarumcumque personarum extra ordinem, nisi consentientibus ministris, vel eorum vicariis, vel custodibus, vel guardianis in eorum absentia de consilio discretorum.

143. Si quis per se, vel alium sua-

serit alicui prælato, regi, principi, communitati, seu personæ cuilibet extra ordinem immutationem aliquam faciendam in ordine, vel aliquid de ordinatione provinciæ, unione, divisione, amotione fratrum, sit excommunicatus, & suspensus ab executione ordinum, privatusque actibus legitimis, nec absolvi possit, nisi a ministro generali, vel provinciali, vel ejus vicario. Et cui hæc pæna non competit, puniatur caputio probationis, & sine spe redeundi expellatur a sua provincia.

144. Si quis per se, vel alium quocumque modo procuraverit promotionem in ordine, vel remotionem suam ab aliquo conventu, vel collocationem in alio per personas sæculares, incurrat in excommunicationem, & privetur omni actu legitimo, illaque promotione, & omni actu careat ipso facto; nec relevetur, nisi de consensu sequentis capituli generalis.

145. Si quis scienter publicaverit extra ordinem causam depositionis generalis, provincialis, custodis, guardiani, eorumque excessus, & correctionem, aut secretum capituli cujuscumque, seu dissentionem diffinitorum, vel fratrum, vel aliquid aliud, unde ordo possit turbari, vel infamari, omni actu legitimo, & officiis ordinis per ministrum privetur. Et cui hæc pœna non competit, puniatur caputio probationis, aut graviori ad arbitrium ministri de consilio discretorum.

146. Nemo relevetur ad officia ordinis, nisi per ministrum provincialem de consensu capituli, vel majoris partis ejusdem.

147. Nemo convictus de crimine, cui adnexa est pœna carceris, promoveatur ad studia generalia, vel ad lectionis officia, aut prælationis, sine consensu capituli generalis.

148. Cum delinquentibus tamen emendatis, de quorum culpis non exstet fama publica, minister provinciæ possit dispensare de consilio, & assensu quatuor fratrum discretorum custodiæ, ad quam delinquens pertinuerit.

149. Nullus prælatus, vel lector apostata cum notabili scandalo restituatur in perpetuum, absque dispensatione ministri generalis.

150. Prohibetur sub pœna carceris ludus taxillorum cujuscumque rei; & si quis taxillos retinuerit, vel luserit eis etiam solatii causa, prima vice comedat panem, & aquam; secunda, privetur actibus legitimis; tertia, carceri tradatur. Eidemque carceris pœnæ subjaceat qui aliquid docuerit contra fidem catholicam clam, vel publice. Ministri autem inquirant diligenter de erroribus hujusmodi.

151. Si quis habuerit postillam fratris Petri Joannis super Apocalypsim, eamque infra mensem non exhibuerit ministro suo, carcere puniatur. Item omnes eidem exhibere teneantur alia ejusdem auctoris opera.

152. Si frater fratri, vel alteri personæ minatus fuerit, portet uno mense caputium probationis. Si manum levaverit, vel aliquid ad percutiendum fratrem acceperit, portet illud tribus mensibus. Si non graviter percusserit, uno anno. Si graviter lapidem, vel aliud projecerit, vel gladium, & arma etiam in cella tenuerit, carcere includatur.

153. Perpetuo carcere mancipentur

Digitized by Google

tur ii, qui enormiter alium vulneraverint, vel venenum propinaverint per se, vel interpoſitam perſonam, aut eorum aliquid machinati fuerint.

154. Si quis malitioſe conſpiraverit contra aliquem, maxime ſuperiorem, privetur omnibus officiis ordinis, & actibus legitimis, nec reſtituatur, niſi præmiſſa condigna ſatisfactione a miniſtro generali, vel provinciali.

155. Ipſo facto ſit excommunicatus qui verbo, vel facto tentaverit diviſionem ordinis, & legitime deprehenſus carcere includatur.

156. Qui admonitus de ſuſpectis conſortiis mulierum ſe non emendaverit, ſuſpendatur ab officiis, quæ obtinet, & ſi non fuerit in officiis, privetur actibus legitimis, & libris, aut caputio probetur, ſi alicui hæc pœna non competat. Item judicium eſto de iis, qui cum mulieribus ſeorſum a ſociis ſuis converſantur, qui ſi violenta exſtiterit contra eos ſuſpicio, arctentur ad veritatem dicendam; convicti autem uno teſte fide digno, arctentur arctius in domo diſciplinæ.

157. Interdicuntur operationes alchimiæ, & artium omnium ab eccleſia reprobatarum, ſub pœna excommunicationis, & carceris.

158. Proprietarii priventur libris, & actibus legitimis, ſi fuerint clerici; laici probentur caputio; & mortui careant eccleſiaſtici ſepultura.

159. Qui tentaverint ſæcularium opera, ut obedientiæ recedendi ab aliquo conventu revocentur, vel noluerint ſecum habere prælatos, aut ſubditos non de ſuis nativis, cum eiſque pacifice vivere, expellatur a ſuis conventibus tamquam locorum appropriatores.

160. Fratres incorrigibiles tranſmittantur ad capitulum provinciale cum ſuis exceſſibus fideliter conſcriptis, & examinatis. Qui culpas ſuas humiliter non recognoverint, aut impoſitam pœnitentiam contempſerint, in cuſtodiam dentur.

161 Si frater extra conventum notabiliter peccaverit, teneatur ſocius ejus rem ſecreto revelare guardiano ſuo. Quod ſi eam ſciverit per duas vias, utpote per confeſſionem, & per alium modum, non propterea tacere debeat coram guardiano, & alio ſuperiori ſuo, ab eo per obedientiam requiſitus. Qui contrarium fecerit, vel aſſeruerit, & correctus revocare noluerit, privetur actibus legitimis.

162. Qui docuerit, ſocium in crimine non teneri ad alterum ſuperiori denuntiandum, privetur libris, & actibus legitimis, & ſi pertinax fuerit, ſubeat pœnam carceris.

163. Puniatur pœna talionis qui accuſaverit alium de crimine, quod probare non poteſt; idemque fiat de illo, qui ſcienter accuſaverit aliquem de crimine, de quo fuit ſufficienter correctus. Quod ſi in probatione defecerit, pro culpæ modo puniatur. Accuſantem eum dicimus, qui coram prælato ſe obligat ad probandum per teſtes idoneos.

164. Excommunicationi ſubjaceat qui falſo accuſaverit, vel induxerit ad accuſandum, quique vere depoſita revocaverit, vel revocari fecerit.

165. Accuſantium nomina occulta ſint, niſi accuſati a ſuperiore petierint, ut ad ſe defendendos accuſantium, & teſtium nomina ſibi revelentur. Præter hunc caſum, ſi quis inquirat nomina accuſantium, non poſ-

sit absolvi, nisi a ministro provinciali, vel ejus delegato.

166. Ministri, custodes, & guardiani, qui inquisiverint, aut revelaverint accusatores, jejunent infra sex menses quindecim diebus in pane, & aqua; secus absolutio eorum sit nulla.

167. Facultate gaudeant ministri visitandi fratres suos publice, vel occulte. Custodes non visitent publice, vel occulte, nisi accepta a ministris speciali commissione. Nemo autem inferior possit dispensare fratrem a pœnitentia, quam superior imposuit.

168. Nemo obligetur ad pœnam excommunicationis, suspensionis, & privationis, quæ aliquando exprimitur in statutis, nisi scienter, & ex deliberatione peccaverit. Quod si hujusmodi pœna non sit latæ sententiæ, sed tantummodo sit comminatio de futuro, nec indicetur a quo infligi debeat, intelligatur, eam infligi debere a judice, coram quo legitime probatur excessus, dummodo is sit judex ordinarius.

169. Privatio officiorum ordinis includat privationem prælationis, confessionis, prædicationis, lectionis, diffinitionis, visitationis, & electionis ad capitulum pro discreto. Per privationem actuum legitimorum non intelligatur, privatio exsequutionis ordinum, vel testificationis in judicio, nisi specialiter exprimatur.

170. Legantur hæc statuta coram fratribus semel in mense, vel ad minus infra duos, extraneis non publicanda, & guardiani puniant eos, qui illa non servaverint; qua in re ministri invigilent, & negligentes accusentur apud capitulum generale.

171. Si minister generalis moriatur, acta ordinis, & sigillum ministerii ejus sigillentur sigillo ministri provincialis, si præsens fuerit, necnon sigillis sociorum ejusdem generalis, custodis, & guardiani conventus, aut loci, in quo contigerit eum mori, vel vicariorum eorumdem in absentia prædictorum; item sigillis aliquorum fratrum solemnium, si qui fuerint in conventu, & tradantur sociis generalis, qui ea conservent, & dent successori ministro generali in proximo generali capitulo. Si vero capitulum non proxime celebretur, tunc possint ea relinquere ministro provinciali, ab eo ad generale capitulum deferenda.

172. Si minister provincialis graviter infirmetur, acta provinciæ, & sigillum officii in præsentia sui socii, custodis, & guardiani, vel, in eorum absentia, vicariorum, faciat sigillari, & claudi arca cum tribus seris, quarum claves una tradatur socio, alia custodi, alia guardiano. Idem fiat, si minister decedat, antequam peragi id possit.

173. Quicumque fratrem incarceratum a carcere liberaverit, vel ex consilio, vel ex negligentia, sive fuerit custos, sive guardianus, sive vicarius, in carcerem conjiciatur.

174. Carcere includantur apostatæ, & tamquam apostatæ habeantur ii, qui sine licentia ministri generalis receperint prælationem extra ordinem, & illi, qui jam promoti infamem duxerint vitam.

175. Apostatæ bis in anno excommunicentur, vel excommunicati nominentur a custodibus coram fratribus congregatis, donec fuerint absoluti. Idem faciant ministri in capitulis provincialibus, quolibet anno.

Digitized by Google

176. Ministri, custodes, & guardiani etiam in casu necessitatis, possint excommunicare, & vinculis constringere apostatas quoscumque in suis provinciis. Fratres quoque alii possint illos capere.

177. Ubi commode recipi, & corrigi non possunt apostatæ, transmittantur de custodia in custodiam, vel de provincia in provinciam cum demeritis eorum conscriptis ad proprios custodes, vel ministros.

178. Nullus apostata repellatur, qui voluerit ad ordinem redire; & nullus professus ejiciatur; sed vel transferatur in aliam provinciam, vel constringatur vinculo perpetuæ disciplinæ.

179. Singulis tribus annis quælibet provincia recipiat visitatorem, cui detur socius honestus, discretus, & amans regularis disciplinæ, quique, si visitator infirmitate detineatur, vel moriatur, visitatoris munus continuet.

180. Si visitator, aut socius, aut ambo decedant, vel aliter impediantur, ante egressum a sua provincia, minister, qui illos erat recepturus, substituat alios ex consilio custodum, & aliquorum discretorum, qui advocentur ex diversis custodiis.

181. Si alter eorum decedat, vel impediatur, post egressum a sua provincia, custos illius custodiæ, vel custode absente, guardianus, provideat superstiti de socio usque ad provinciam visitandam, cui quoque primus custos provinciæ ipsius assignet socium.

182. Visitator lustret loca singula, in eisque nihil mutet quoad personas, constitutiones, & ædificia.

183. In locis non conventualibus visitationem absolvat infra tres dies ad plus. In conventualibus infra septem dies, nisi magna necessitas, vel utilitas aliud postulaverit.

184. Non inquirat de criminibus, quorum non præcessit infamia, vel publica accusatio, nec de occultis, nec de indiscrete correctis, nec de discretione, vel indiscretione correctionis, nisi talis indiscretio a fratribus fuerit accusata.

185. Ingressus locum visitandum legat regulam, & constitutionem Benedicti XII., ac generales constitutiones ordinis, quantum ei visum fuerit pro officio suo utiliter exsequendo. Deinde moneat fratres, ut sibi ad postulata respondeant bona fide. Fratres autem dicant coram eo culpas suas sigillatim, & discedant per ordinem ita, quod residui incusent egressum, de quo in publico fuerat accusandus.

186. Accusationes, quæ scribendæ fuerint, scribantur certis verbis juxta approbationem capituli.

187. Fratri accusato, postquam fuerit revocatus, audientia non negetur; & sic per ordinem culpæ dicantur, & pœnitentia imponatur, quæ non se extendat ultra annum.

188. Ordinaria visitatoris potestas non includat facultatem excommunicandi, interdicendi, suspendendi, absolvendi custodes, & guardianos, accedendi ad monasteria monialium.

189. In iis tantum, quæ spectant ad officium visitatoris, non autem in aliis fratres teneantur visitatori obedire. Et de nullo teneantur eidem obedire, quod nequeat probare per duos fratres.

190. Visitator corrigat excessus fratrum; hoc salvo, quod excessus mi-

Digitized by Google

ministri provincialis. & alia difficilia renuntiet capitulo provinciali.

191. Post electionem diffinitorum, uno die tantum operam impendat excessibus corrigendis. Cum ministro vero, & diffinitoribus correctionem exerceat coram illis dumtaxat, qui sciunt, nisi excessus pœna publica sit puniendus.

192. Neque visitator, neque socius intersit aliis rebus capituli, aut ipsi capitulo.

193. Si visitator repererit aliquid in provincia, quod minister, & diffinitores corrigere non possint, vel nolint, seu correctione dignum non putent, casus instructus cum rationibus, & oppositionibus utriusque partis conscriptus communiter sub sigillo suo, & ministri, mittat ad capitulum generale per discretum provinciæ, vel per seipsum.

194. Nuntiet capitulo generali provinciæ statum sive bonum, sive malum absque dissimulatione, vel palliatione, sub pœna inhabilitatis ad omnia officia ordinis, cum nota inobedientiæ, & mendacii.

195. Statum hujusmodi non revelet alicui, nec de eo testimonium perhibeat verbo, aut scripto provinciæ fratribus.

196. Provincia, a qua visitator mittitur, ei provideat de vestimentis, & expensis necessariis tam in eundo, quam in redeundo. Nihil autem hujusmodi petat a provincia, quam visitat, aut ab illa accipiat omnino; secus accusetur capitulo generali.

197. Nullæ concedantur visitatori literæ commendatiæ.

198. Excessus visitatoris examinati a patribus capituli provincialis transmittantur ad capitulum generale; ita tamen ut visitator, si præsens fuerit, verbo, sin absens, literis moneatur, ut compareat coram capitulo generali se excusaturus; alioquin puniatur.

199. Visitatio conventus Parisiensis, Assisii, & loci, ubi fuerit Romana curia, pertineat ad ministrum generalem; conventus tamen Assisii sit subjectus ministro provinciali.

200. In conventu Romanæ curiæ ponantur a ministro generali fratres diversarum nationum, qui prælatis, & aliis personis notabilibus ad eamdem curiam venientibus servire valeant, quando, & sicut secundum Deum procuratori ordinis videbitur necesse esse.

201. Tollantur a visitatoribus picturæ falsæ, vel indecentes. Quare nec repræsentatio Trinitatis, nec figurarum rei nunquam visæ, nec lascivus, aut dissolutus sanctorum gestus, permanere permittantur.

202. In capitulo generali ante omnia post invocatam Spiritus sancti gratiam, fiat inclussio electorum; deinde minister generalis coram omnibus se accuset.

203. Minister, in cujus provincia capitulum celebratur, instituat disquisitores de consilio duorum, vel trium discretorum. Disquisitores vero singulorum vota seorsum aliquantulum coram oculis omnium perquirant fideliter, & conscribant, ita quod singuli, antequam recedant ab eis, audiant, qualiter conscripserint vota sua.

204. Item, antequam fratres inde discedant, vel colloquantur inter se, vota publicentur; isque sit minister ge-

Digitized by Google

generalis, in quem vel omnes, vel plures medietate omnium eligentium consenserint; & priusquam electio publicetur, ut talis habeatur.

205. Si nullus electus fuerit a majori parte, tunc possint compromittere communiter in tres, vel quinque fratres idoneos, & discretos, qui vice omnium de præficiendo valeant providere.

206. Si minister generalis moriatur ante festum S. Michaelis, minister, in cujus provincia moritur, convocet capitulum generale in sequenti festo Pentecostes.

207. Si mors contingat post festum S. Michaelis, significet illam aliis ministris; non tamen fiat capitulum generale, nisi alias illo anno celebrari debeat, sed celebrabitur anno postero in loco, ubi a ministro generali ordinatum fuerat.

208. Præfatus minister provincialis habeat potestatem super alios in capitulo, quousque electus sit minister generalis.

209. Si minister generalis electus absens sit, tunc idem provincialis minister, assumptis secum duobus ministris, uno ultramontano, altero cismontano, de seipsis, vel aliis de ministro provideant, qui super cæteros usque ad finem capituli habeant potestatem. Quod etiam fiat, si quacumque de causa minister generalis non intersit capitulo.

210. Eamdem facultatem habeat custos in absentia provincialis sui, qui tamen non se immisceat aliis tractatibus capituli.

211. In electione ministrorum provincialium idem servetur ordo, excepto, quod electores non oportet includi.

212. Ministri provinciales possint eligi de toto ordine, dummodo eligantur a : ibus de corpore capituli provincialis, & confirmentur a ministro generali,

213. Si electores non eligant sequenti die, postquam ad capitulum convenerint, vel dissenserint in eligendo, electio devolvatur ad ministrum generalem. Interim possint, & debeant sibi de vicario providere.

214. Si congregato capitulo, minister provincialis moriatur, vel absolvatur, electores possint alium sibi in ministrum eligere, etsi ad id missi, & vocati non fuerint.

215. Custos custodiæ, in qua moritur minister, convocet capitulum provinciale, nisi propinquus fuerit terminus habendi capitulum.

216. Custos custodiæ, in qua capitulum celebrabitur, vel, si ipse defuerit, & in provincia vicarius non habeatur, guardianus illius loci, in quo capitulum celebratur, capitulo præsidebit; donec minister, vel vicarius fuerit institutus.

217. Nemo fungatur simul officio custodis, electoris, aut visitatoris, nisi magna necessitas id requirat.

218. Excludantur ab officiis ordinis fratres assignati curiis dominorum, in quibus frequenter eos manere oportet; exceptis iis, qui non solum alibi, & apud illos, sed etiam in curiis ipsis, & apud curiales necesse est, vel expedit exerceri.

219. Si moriatur guardianus non conventualis post capitulum provinciale, custos alium instituat de assensu ministri, & consilio aliquorum discretorum. Locus non conventualis is est, in quo duodecim fratres non ha-

Digitized by Google

habitant, nec habitare possunt pro majori omni parte.

220. Custodes, et guardiani habeantur pro prælatis, et guardiani obediant custodibus.

221. Minister provincialis instituat vicarium, si infirmetur, vel eat ad capitulum generale, vel egrediatur a sua provincia.

222. Minister provincialis absolutus in capitulo generali, exerceat officium suum, donec sibi constiterit, se esse absolutum.

223. Vicarius provincialis sive institutus a ministro, sive a capitulo provinciali, habeat potestatem ministri in omnibus, exceptis iis, quæ sibi ex privilegio specialiter conceduntur.

224. Possit absolvere fratres ab iis differentiis peccatorum, quæ ministris solummodo relinquuntur; sed nequeat aliis facultatem committere.

225. Non mittat fratres a custodia in custodiam ad morandum, nec extra provinciam, exterosque in sua non recipiat.

226. Custos exiens a provincia instituat vicarium in sua custodia, de consilio discretorum.

227. Guardiani, dum egrediuntur a conventu, non possint relinquere vicarios, nisi fratres discretos, et probos, de consilio ministrorum, vel custodum.

228. Fratres patientes defectum natalium, seorsum a prævia dispensatione, non possint esse prælati, nec vicarii ordinarii, nec præsidere capitulis, nec fieri inquisitores, visitatores, aut diffinitores.

229. Nemo assumatur ad prælaturas, et officium confessarii, nisi habeat triginta ætatis annos completos, et ducere possit vitam communem.

230. Prohibetur ambitus omnis ad officia lectionis, visitationis, et dignitates ordinis sub pœna privationis ipso facto ab omni actu legitimo.

231. Singulis annis in qualibet provincia celebretur capitulum provinciale, in quo conveniant custodes, et alii juxta morem provinciæ.

232. Fratres, qui assistunt ad monasteria monialium, non habeant vocem in capitulo, sed tantum in electione discreti ad capitulum transmittendi in locis, juxta quæ degunt, sicut cæteri fratres.

233. In electione, quæ fit per scrutinium, nemo vocem suam possit committere alteri, nisi juxta formam privilegii papæ Nicolai.

234. Nemo in electione discreti, eodem anno, habeat plusquam unam vocem.

235. Fratres, qui annum ætatis vigesimum non compleverint, careant voce in electione discreti.

236. Lectores, et studentes extra provinciam habeant vocem tantum activam in eadem electione.

237. Nisi electio discreti fiat prima die, devolvatur ad ministrum, custodem, vel ejus vicarium. Item si discretus moriatur, aut legitime sit impeditus, provisio spectet ad ministrum, vel custodem.

238. Guardianus præsideat capitulo, si inquiratur de excessibus, et insufficientia ministri, et custodis.

239. Si vero de guardiani excessibus inquiratur, aliquis a guardiano institutus, de consilio aliquorum discretorum, teneat capitulum, in quo de excessibus diligens examen fiat in-

Digitized by Google

infra unum diem naturalem, custosque non intersit.

240. Excessus guardianorum coram fratribus recitentur eis, si ad capitulum ituri non fuerint.

241. Si grave aliquid accidat in provincia, quod ad capitulum non esset missum, debeant fratres, quibus illud notum est, coram diffinitoribus accusare.

242. Vocales in loco capituli congregati eligant ex seipsis tantum quatuor diffinitores per disquisitionem trium, quos minister, custos, & guardianus loci, vel duo ipsorum, si tertius defuerit, ad hoc duxerint eligendos.

243. Si in electione hujusmodi plures, quam quatuor, majorem partem vocum medietate omnium habeant illi, qui majores voces habuerint, pro diffinitoribus habeantur. Si vero qui pauciores fuerint ex ipsis, sint in æquali numero, iteretur scrutinium quoad illos, donec per pluralitatem vocum electio unius alteri præferatur.

244. Capituli initio custodes, & guardiani sive præsentes, sive absentes, per se, vel alium officiis suis renuntiare teneantur.

245. Custos habeat capitulum, si minister, vel ejus vicarius interesse nequeat.

246. Diffinitores possint corrigere ministrum provincialem, diffinire, & expedire cum illo omnia, quæ pertinent ad capitulum provinciale, & sunt 1. Collatio super transmissis ad capitulum. 2. Correctio eorum, quæ provinciali capitulo corrigenda notificantur. 3. Ordinatio eorum, quæ ad honestatem provinciæ, vel necessitatem morum, videbuntur pertinere.

247. Nullas constitutiones edant absque consensu majoris partis capituli.

248. Qui fuerunt diffinitores in capitulo præcedenti, non sint diffinitores in capitulo proxime sequenti.

249. Electores ex seipsis renuntient quintum diffinitorem, qui in eo tantum articulo vim habere possit, si nempe quatuor diffinitores in partes æquales se diviserint in correctione ministri, & eorum sententia prævaleat, quam ipse duxerit approbandam.

250. Quintus diffinitor non numeretur inter alios, & in capitulo sequenti possit eligi in diffinitorem.

251. Diffinitores recipiant, & examinent accusationes contra ministrum, ipsumque corrigant.

252. Si diffinitores voluerint de ministro inquirere, teneatur ipse exire de capitulo. Inquisitio tamen non fiat ultra unum diem.

253. Ministrum incorrigibilem suspendant ab officio, & vicarium constituant, de consilio, & assensu majoris partis capituli; quod generali ministro significetur.

254. Ministrum insufficientem denuntient ministro generali.

255. Minister suspensus non impediatur, quominus eat ad ministrum generalem ad se excusandum.

256. Fratres in capitulo provinciali, quod generale immediate præcedit, visitent generalem ministrum de notabilibus excessibus, qui conscripti transmittantur ad capitulum generale per cu-

Digitized by Google

stodem ad illud euntem, sub sigillis ministri, custodis, & guardiani loci, in quo celebratur capitulum provinciale. Custos vero omnia exhibeat iis, ad quos spectat ex regula correctio ministri generalis.

257. Capitula provincialia notificent capitulo generali excessus, & insufficentiam ministri, receptionem inutilium, statumque, & communem pacem provinciæ, nullo inserto mendacio, quod si constiterit, custos, & diffinitores, qui in illud consenserint, declarentur, & sint inhabiles ad omnia officia ordinis.

258. In literis, quæ idcirco mittuntur ad capitulum generale, non apponatur nomen ministri provincialis, sed solum sigillum; idemque servetur modus scribendi contra custodes, et guardianos.

259. Capitulum generale non differatur ultra triennium, nisi minister generalis in capitulo proxime præcedenti duxerit prolongandum ex manifesta necessitate; fiatque alternatim ultra montes, & citra in provincia, & loco determinando a ministro generali.

260. Ad capitulum conveniant quilibet minister cum honesto socio, custos electus a custodibus, et unus discretus electus a capitulo provinciali.

261. Si alterum ipsorum mori contigerit, vel infirmari, vel legitime impediri, alius custos a custodibus, aliusque discretus a discretis aliquibus a ministro convocatis eligatur.

262. Si ipsorum aliquis non veniat, nihil eorum, quæ expedienda sunt per capitulum, propterea omittatur.

263. Si aliquis remanserit, qui judicio ministri generalis, vel capituli non fuerit legitime impeditus, si fuerit in officio prædicationis, aut lectionis absolvatur, nec restitui queat usque ad sequens capitulum generale.

264. Nemo ad capitulum accedat ante tempus præfixum sine licentia ministri generalis, vel in ejus absentia, ministri illius, in cujus provincia capitulum celebratur. Neque aliquis accedat, cui id non competit jure, nisi permissum sibi fuerit a ministro generali, aut provinciali, si ministerii generalis officium vacet.

265. Qui jus non habet accedendi ad capitulum, et provinciæ suæ limites transgressus fuerit, animo ad illud accedendi, sit privatus ipso facto omni actu legitimo per annum.

266. Si is intraverit locum capituli, expellatur inde a guardiano, vel vicario loci, cum caputio probationis, quod deferat octo diebus. Quod si guardianus, vel vicarius talibus sic non fecerit, una die tantum jejunet in pane, et aqua

267. Idem servari debeat circa eos, qui nullo jure, aut sine licentia legitimorum superiorum accedunt ad capitulum provinciale.

268. Diffinitores capituli generalis sint ministri, et unus discretus subditus de qualibet provincia in provinciali capitulo ad hoc electus.

269. Ministri generalis correctio, absolutio, et electio pertineat ad ministros, & custodes.

270. Ministri tam præsentes, quam absentes, voce, vel literis renuntient officiis suis, et renuntiatio a ministro generali, vel capituli præside, si videbitur, admittatur.

271. Fratres extra propriam pro-

vin-

Digitized by Google

vinciam habitantes in studiis generalibus non possint eligi in discretos capituli generalis.

272. In diffinitionibus sententia plurium prævaleat, nec ab ea detur appellatio.

273. Fratres non occupati in diffinitione negotiorum capituli, qualibet die, (excepta vigilia, & die Pentecostes) solemniter celebrent unam missam Conceptionis, quando fieri bono modo possit; quod observetur quoque in capitulis provincialibus.

274. Ministri, & custodes congregati feria sexta proxima ad festum Pentecostes, prius quiescant, & deliberent usque mane diei sequentis, & tunc dicta missa, recitatisque consuetis orationibus, ingrediantur locum capituli.

275. Præsententur ministro generali, & ministris provincialibus literæ testimoniales custodum; & agatur de correctione, & statu ministri generalis.

276. Is, postquam se accusaverit coram omnibus, exeat, & guardianus loci, assumptis secum aliquibus discretis de conventu, ministros, et custodes in conclavi recludat; sic ut nemo exire valeat, nec illis alimenta præbeat, donec providerint, ut oportet, circa statum ministri generalis. Ad quod tam includentes, quam inclusi sub pœna excommunicationis ipso facto teneantur.

277. Minister provinciæ, in qua fit capitulum, aut illo absente, custos requirat a singulis per ordinem in publico, si quid habent dicere de excessibus, et insufficientia ministri generalis.

278. Scribat accusationes omnes notabiles, adhibitis secum duobus discretis præsentibus ibi; deinde eas palam recitet.

279. Revocetur minister generalis, et audiatur, mox eodem dimisso, habeatur collatio super accusationibus communibus, et scribantur vota singulorum, ac publicentur.

280. Si major votorum pars decreverit, ministrum esse corrigendum, corrigatur; sin amovendum ab officio, tres disquisitores eidem revocato secreto suadeant cessionem voluntariam, quam si non fecerit, habeatur pro amoto, statimque ipso emisso, et ostio occluso, procedatur ad electionem alterius, ita ut sequenti mane habeat ordo alium ministrum præsentem, vel absentem.

281. Numerus fratrum in capitulo recitatus mittatur ad singulas provincias, idemque fiat in capitulis provincialibus.

282. Præsententur literæ, quæ præsentari debent, et commendatiæ legantur in fine capituli, et respondeatur, de quibus fuerit respondendum, amotis omnibus, qui non debent interesse capitulo.

283. Nemo alterius ordinis, cujuscumque dignitatis admittatur tractationibus capituli.

284. Audiantur fratres missi ad excusandum vocales, qui non venerint.

285. Fiat collatio super his, quæ de provinciis ad capitulum sunt transmissa, et de singulis provideant minister, et diffinitores, qui etiam diligenter perquirant, utrum regula, et statuta in singulis provinciis observentur.

286. Provideant etiam de lectoribus, prædicatoribus, fratribus mitten-

tendis ad infideles, et iis, qui ituri erunt in aliam provinciam ad manendum, aliaque hujusmodi. Et in fine assignetur locus capituli subsequentis.

287. Fiat confessio, et absolutio, perseverantibus benedictio, apostatis anathematizatio.

XXV. CAPITULUM GENERALE BARCINONE. Anno 1357. JOANNES DE BUCCHIO. *Leges* I. Habitus, & mantelli fratrum sint simplices, & pauperes, sine aliqua curiositate.

2. Festum S. Claræ fiat ritu duplici die secunda Octobris.

XXVI. CAPITULUM GENERALE JANUÆ. Anno 1359. MARCUS DE VITERBIO. *Leges* nullæ. Confirmatæ sunt præcedentes.

XXVII. CAPITULUM GENERALE ASSISII. Anno 1367. THOMAS DE BONONIA, ALIAS DE FERIGNANO. *Leges* nullæ.

XXVIII. CAPITULUM GENERALE TOLOSÆ. Anno 1373. LEONARDUS DE GIFONIBUS. *Leges*. I. Visitatores provinciæ Tusciæ sumantur a provincia Bononiæ, et provinciæ Mediolanensis ab Etruria.

2. Liceat provinciæ Tusciæ mittere suos adolescentes ad studia, sive accademias Bononiæ Patavii, Januæ, & montis Pessulani. Ad Florentinam vero suos destinare liceat provinciis Romanæ, Calabriæ, Sclavoniæ, Romaniæ, et Franciæ.

XXIX. CAPITULUM GENERALE STRIGONIÆ. Anno 1379. LUDOVICUS DE VENETIIS. *Leges* I. Viri docti seligantur, & excitentur ad propagationem fidei in partibus infidelium; eosque ad subsidiariam hanc operam suis confratribus numero imminutis prestandam solicite exhortentur ministri.

2. Deputentur religiosi probi, experti, & zelo æstuantes ad tollendos abusus, moresque reformandos in provinciis.

XXX. CAPITULUM GENERALE FERRARIÆ. Anno 1383. PETRUS DE CASSANA, seu CANZANO. *Leges* nullæ.

XXXI. CAPITULUM GENERALE PADUÆ. Anno 1384. MARTINUS DE JANUA, ALIAS A S. GEORGIO RIPALENSIS. *Leges* I. Nemo impetret literas apostolicas pro magisteriis, aliisque gradibus academicis, neque alio quovis modo ad hos aspiret absque superiorum licentia, ante sex annorum cursum in studiis. Si quis contrafecerit, privetur omnibus facultatibus, nec pro magistro reputetur.

2. Minister generalis non possit in his dispensare, sine consensu capituli generalis; salva tamen summi pontificis reverentia.

XXXII. CAPITULUM GENERALE FLORENTIÆ. Anno 1387. HENRICUS ASTENSIS. *Leges* nullæ. Confirmatæ sunt præcedentes.

XXXIII. CAPITULUM GENERALE ARGENTINÆ. Anno 1405. ANTONIUS DE PYRETO. *Leges* nullæ.

XXXIV. CAPITULUM GENERALE FOROLIVII, vel juxta Gonzagam MANTUÆ. Anno 1421. ANGELUS SALVETTUS SENENSIS. *Leges* ibidem statutæ circa officium divinum, paupertatem, institutionem octo collegiorum generalium, modum visitandi provincias ec. non exstant.

XXXV. CAPITULUM GENERALE ASSISII, vel juxta Gonzagam FOROLIVII. Anno 1424. ANTONIUS DE MASSA. *Leges* nullæ.

XXXVI. CAPITULUM GENERALE ASSISII. Anno 1430. GUILIELMUS DE CASALI. *Leges* editas pro reformatione ordinis alibi dabimus.

Sequuntur leges primi observantium vicarii generalis S. Bernardini Senensis. I. Nullus novitius receptus pro laico ad professionem, & postea effectus presbyter, possit audire confessiones sæcularium, sed tantum fratrum, & similiter alii ignorantes presbyteri juxta judicium vicarii eorumdem.

2. Nullus novitius recipiatur ad professionem, nisi sciat divinum officium.

3. Nemo spurius, vel miles per quinquennium recipiatur ad ordinem sine licentia vicarii generalis.

4. Nullus laicus addiscat litteras, aut ascendat ad clericatum.

5. Nemo ingrediatur monasteria mulierum tertii ordinis in congregatione viventium, nisi pro confessionibus audiendis in earum ecclesiis, si tamen sint domicilio separatæ, excepto casu gravis necessitatis. Earum confessiones nemo audiat absque dispositione vicarii generalis.

6. Non possit aliquis fratrum accipere eremitoria, inconsulto vicario generali, qui det licentiam ea accipiendi.

7. Fratres ex eorum professione non teneantur ad aliqua consilia, vel præcepta evangelica, ultra alios christianos, præterquam ad illa, quæ in regula specialiter, & expresse ponuntur præcipientia, vel inhibitoria, vel sub verbis æquipollentibus.

8. Non teneantur ex eadem professione ad alium strictum usum rerum, quam in regula particulariter exprimitur. Usus earum moderatus ad vitæ substentationem, & officiorum sui status exsequutionem, excepta pecunia, concessus est fratribus.

9. Superfluitas, et curiositas non debeat discerni respectu necessitatis certæ, seu usus certi, quoad statum minorum, scilicet moderati.

10. In moderatione usus attendatur qualitas personarum, varietas temporum, locorum conditiones; aliæque occurrentes circumstantiæ. Hinc terminus superfluitatis, et curiositatis neque discerni faciliter, neque debeat judicari a subditis; sed a ministris, et custodibus, vel iis, quibus ab ipsis committitur.

11. Si in locis sit magna superfluitas, & curiositas, non inde vitiantur fratres, nisi solum introducentes, vel consentiores, si ad eorum officium pertinet, et possunt, vel quicumque alii, si commode possint, legitime non resistentes; et non alii, qui hujusmodi rebus utuntur ob aliquam necessitatem, aut vitandum scandalum.

12. Excedens superfluitas, et curiositas non habeatur, ut causa sufficiens, propter quam frater debeat recedere a loco, nisi fuerint de illis aliqua, propter quæ regula non possit spiritualiter observari; videlicet 1. Quando loco est annexa proprietas. 2. Quando eidem est annexa cura animarum, baptizandi, vel alia parochialia exercendi. 3. Si morentur fratres in loco contra voluntatem domini loci. 4. Si propter penuriam rerum ne-

necessariarum oporteat facere congregationes, & quæstus inhonestos contra puritatem regulæ, & usum generalem ordinis. 5. Si sit inhonesta societas, et importabilis fratribus, præsertim infirmis, & rudibus.

13. Si hujusmodi aliquid occurrat, vel urgeat detrimentum religionis, judicium relinquatur prælatis.

14. Usus carnium sit moderatus, et discretus tam in conventibus, quam alibi.

15. Permittatur pretiositas in calicibus, et patenis, dum non nimiæ magnitudinis, et pretiositatis sint.

16. In omnibus dubiis subditi teneantur stare judicio prælatorum suorum, et obedire; secus digne a superioribus censura ecclesiastica, vel alia decenti pœna castigentur.

XXXVII. CAPITULUM GENERALE PADUÆ. Anno 1443. ANTONIUS DE RUSCONIBUS. *Leges* I. Auctoritas, quam habet minister generalis in totum ordinem, conveniat quoque vicario generali in fratres observantes.

Sequuntur leges editæ eodem anno in monte Alvernæ a vicario generali familiæ S. Joanne de Capistrano. 1. Quilibet locus eligat suum discretum mittendum ad capitulum, seu congregationem familiæ, et ad electionem admittantur omnes professi presbyteri, clerici, & laici.

2. Discreti, & guardiani congregati in loco capituli eligant quatuor diffinitores de fratribus coadunatis ibidem, vel exsistentibus de familia in loco capituli.

3. Vicarius provinciæ resignet in manibus diffinitorum officium, literas, & sigillum, præsentibus guardianis, et discretis. Quo facto, diffinitores, & discreti discutiant, & examinent conditiones, atque opera vicarii resignantis.

4. Possint eumdem vicarium iterum eligere, vel alium instituere per majorem partem fratrum prædictorum numero dumtaxat. Quod si fiat, electio sit canonica, & postuletur confirmatio a ministro provinciali.

5. Officium vicarii extendi non possit ultra triennium. At per intervallum sequentis triennii, vel saltem duorum annorum, licita sit electio de eodem.

6. In qualibet annua congregatione vicarius cum diffinitoribus instituat guardianos quorumlibet locorum familiæ.

7. Vicarius saltem bis in anno visitet omnia loca, domos, & conventus, diligenterque inquirat, & corrigat suos subditos.

8. Nemo recipiatur ad ordinem, qui non attigerit annum ætatis XVIII., & virilem potius, quam puerilem vultum ostenderit; sitque idoneus ad honestos labores, ac religionis onera supportanda.

9. Nullus fratrum alliciat quemquam ad nostrum ordinem quocumque modo sive muneribus, sive promissis; immo omnes in id incumbant, ut petentibus ordinem ingredi exponant vitæ ducendæ rigorem, & severitatem disciplinæ.

10. Priusquam novitius recipiatur ad pannos probationis, instruatur, ut si possit commode bona sua pauperibus erogare, de illis faciat testamentum.

11. Vestimenta venientium ad ordinem non serventur per fratres, sed de illis disponat novitius, qui, si velit

Digitized by Google

lit, ut serventur, remittat illa ad domum parentum, vel faciat alibi servare.

12. Si novitii, priusquam susceperint habitum, votum emiserint ingrediendi religionem, suscepto habitu habeantur ut tacite professi.

13. Si in susceptione habitus firmum propositum habuerint non redeundi ad sæculum, aut infra annum probationis se perseveraturos spondeant in vita regulari, aut scienter, & sine protestatione habitum professorum deferant distinctum ab habitu novitiorum per triduum continuum, aut si completo probationis anno remaneant in ordine cum habitu sine protestatione, etiam per unum diem naturalem; in his omnibus casibus intelligantur tacite professi, nec ullo modo eis liceat ad sæculum reverti.

14. Si horum aliquis prodeat coram sæcularibus sine habitu religionis sit excommunicatus, & apostata; multoque magis, si matrimonium contrahere præsumeret.

15. Novitii absoluti in ordine a criminibus, & censuris, si deposito habitu ad sæculum redeant, reincidunt ligati ut antea.

16. Novitius tacite professus non possit ejici ab ordine; sed prælatis jus competat, eos, si peccaverint, puniendi, maxime si dicat, se velle emendare, & perseverare in ordine nostro.

17. Fratres se conforment ritui, qui pro tempore servatur in capella apostolica in persolvendis divinis officiis.

18. Prohibentur gestus leves, cantus dissoluti, & fracti.

19. Qui solus recitat divinum officium, dicat nedum illud, quod incumberet sibi, si cum socio diceret, sed etiam partem alteram.

20. Fratres sint contenti esu carnium semel in die, exceptis infirmis, peregrinis, prædicatoribus, & illis, qui pro utilitate communi quotidianis laboribus occupantur.

21. Dum hospitantur in domibus sæcularium, se conforment eisdem in cibariis.

22. Eleemosynæ pecuniariæ, quas necessario procurare contingit, consignentur integraliter procuratori, seu œconomo, ab illo expendendæ.

23. Non acceptentur eleemosynæ pecuniariæ sine licentia prælati.

24. Non contrahantur debita, nisi de licentia prælatorum modis, & forma licitis.

25. Vitentur labores superflui, & exercitia corporalia, atque etiam spiritualia, ex quibus officiorum divinorum exsolutio detrimentum capiat.

26. Nemo se ingerat officio, vel exercitio, quod sibi commissum non est, in scandalum fratris sui, cui ex commissione hujusmodi officium pertinet.

27. Nemo rem, quantumvis parvi momenti, arbitrio suo retineat quoquo modo, absque licentia vicarii provinciæ, vel guardiani sui, a quibus ad usum ei fuerit concessa.

28. Nemo quidquam emat, vel vendat, aut vendi faciat, nisi de licentia prælati; et tunc per modum licitum, & permissum, per amicos spirituales, procuratores, vel œconomos fiat emptio, & venditio.

29. In-

Digitized by Google

29. Interdicuntur annui redditus, pecuniarumque oblationes in altari, cippo, vel trunco.

30. Procuratores, vel œconomi non permittantur nomine fratrum in judicio agere contra quemquam ad capturam personalem, vel ad violentam apprehensionem rerum temporalium, etiam secundum ordinem judiciarium, ex quo possit contra fratres oriri scandalum.

31. Superiores non patiantur cuiquam loco nostri ordinis permanere annexam ullam proprietatem, puta vinearum, olivarum, aliarumque rerum mobilium, et immobilium, quæ sint contra puritatem regulæ.

32 Caveant ab oppignorationibus, et permutationibus, cæterisque contractibus, et negotiis sæcularibus. Quum vero expedit, procuratores possint aliquid hujusmodi exsequi.

33. Satisfaciant creditoribus per modos licitos. Numquam tamen per se, vel alias vendant panem, & vinum, aliaque mendicata, vel commutent, vel creditoribus tradant.

34. Omnes fratres cujuslibet loci saltem bis in hebdomada confiteantur guardiano suo, vel de conscientia, & consensu ejusdem quilibet determinatum suum nostri ordinis habeat confessarium.

35. Presbyteri juxta gratiam a Domino sibi datam se præparent ad frequentanda mysteria Sacramenti.

36. Qui non sunt presbyteri communicent de quindena in quindenam.

37. Si quis in aliquo offenderit fratrem suum, veniam ei postulet, antequam communicet, imo antequam dormiat.

38. Habeatur recursus ad vicarium provinciæ pro illis peccatis, de quibus recurrendum esset ad generalem, vel provinciales ministros.

39. Nemo ex vicariis, guardianis, cæterisque confessoribus, & officialibus quemquam suis manibus disciplinet, aut committat laicis, ut presbyteros, vel clericos disciplinent, sed potius ipsismet injungant, ut seipsos disciplinent, & corrigant.

40. Committatur laicis, ut incorrigibiles includant in domo disciplinæ.

41. Congregationes, si bono modo fieri id possit, celebrentur quindecim, vel octo dies ante capitulum provinciale, ut confirmatio vicarii, & publicatio guardianorum commodius terminentur.

42. Congregatio fiat, etiam si non sit habendum capitulum, & determinentur in ea conventus recipiendi, reparandi, & similia.

43. Prædicatores prudenter, & honeste se gerant in munere suo exsequendo.

44. Nemini concedatur officium prædicationis, nisi diligenter examinatus a docto, et valente examinatore.

45. Quilibet vicarius in sua provincia determinet unum, vel plura loca, in quibus locentur fratres idonei ad docendum pariter, & discendum, qui proficere valeant nedum in primitivis scientiis, sed etiam in sacra pagina, in qua prædicator doctus esse debet.

46. Vicarii, & guardiani non occupent, nec occupari permittant fratres idoneos ad discendum, neque in scribendo, neque in aliis laboribus, nisi in quantum inevitabilis necessitas suadeat.

47 Vi-

Digitized by Google

47. Vicarius, dum visitat provinciam, studeat servare famam fratrum, et si secretum est crimen, secreto corrigat ad finem tantum emendationis vitæ. Inquirat autem sedulo, & omnia scrutetur.

48. Nemini liceat accedere ad Romanam Curiam, nisi cum speciali licentia vicarii generalis.

49. Guardiani non mittant fratres sibi commissos extra terminos suæ quæstuæ, nisi justa, & necessaria ex causa.

50. Tempore messium, et vindemiarum si fratres nostri necesse habent quærere blada, et vinum in quæstuis fratrum conventualium, deferant eis, ut prius illi quærant, et postea nostri ad evitandum scandalum inter ipsos, et nos.

51. Interdicitur accessus ad convivia festivitatum, ad prandia, et cœnas, et potationes cum sæcularibus, præterquam in itinere.

52. Nemo, seu guardianus, seu subditus aliquid immutet, addat, vel minuat de ædificiis locorum, inconsulto vicario provinciæ.

53. Non acceptentur paramenta superflua, et nimis pretiosa, sive libri portatiles pro choro, aliaque hujusmodi curiosa.

54. Bona sæcularium non asserventur in nostris locis; neque aliquis se intromittat ad dispensandum bona aliena inter pauperes, vel de matrimoniis, & aliis contractibus, ac negotiis.

55. Prælati non inducant, nec patiantur, sibi fieri superfluas reverentias, ac frequentes genuflexiones, maxime ad mensam, quum subditi aliquid eis sunt dicturi.

56. Fratres incaute non scribant unus alteri res scandalosas, nec aliquid de bellis, nec de impudicitiis, & similibus. Neque deferant ambasciatas sæcularium personarum, ex quibus verisimiliter scandalum oriri queat.

57. Secreta nostra non revelentur alicui extra ordinem:

58. Nullæ fiant repræsentationes festivitatum quarumcumque vel in die lamentationis Dominicæ Passionis, vel in aliis diebus cum dissimulatis vestibus sæcularium personarum, vel cum armis, & similibus non convenientibus statui regulari.

59. Nemo accedat ad spectacula, vel ad ludibria, & dissolutas repræsentationes.

60. Color saltem, & forma habitus omnium sint conformes, ne prælatis quidem exceptis.

61. Nemo pro interulis utatur tobaleis apparentibus circa collum in conspectu sæcularium personarum putantium exinde, fratres deferre camisias delicatas.

62. Nemo appareat coram sæcularibus sine habitu, sive causa piscandi, sive natandi, sive balneandi, etiamsi balnea adhibeantur ob infirmitatem. In tali casu, si nequeunt balnea intrare, nisi a sæcularibus videantur, sibi provideant de aliqua levi tunica cum caputio, vel de aliquo antiquo, & levi habitu, ut faciunt Carthusienses, Camaldulenses, & religiosi Montis Oliveti.

63. Nemo laicus sine licentia vicarii generalis ad clericatum ascendat, aut literas discat, sine ejusdem, vel vicarii provincialis licentia.

64. Suspecta consortia mulierum, quæ prohibet regula, intelligantur

de suspectis familiaritatibus quibuscumque, sive cum sæcularibus, sive cum fratribus professis, vel novitiis.

65. Extra loca nostra, vel publicas ecclesias non audiantur confessiones mulierum quarumcumque.

66. Nemo accedat ad domos sæcularium causa audiendi confessiones, nisi forsan tempore gravis necessitatis, cum socio, qui ipsum confessorem teneatur diligentius intueri, nec ab ipso noctu separetur, si oporteret remanere in eisdem domibus.

67. Mulieres, pueri, & adolescentes suspecti non admittantur intra officinas fratrum, nec in hortum, nec in sylvam clausam, neque in claustrum interius, nisi ex concursu populi in claustro prædicetur, quo in casu claudantur aliæ officinæ; vel nisi forte aliqua magnifica, & excellens domina cum copiosa, & honesta societate, causa devotionis, & spiritualis recreationis, postulet nostrum locum visitare.

68. Nemo accedat ad monasteria quæcumque, nisi causa prædicationis, vel eleemosynæ petendæ, ad quæ officia mittantur fratres maturiores.

69. Ad Monasteria S. Claræ nemo unquam accedat quoquo modo, nisi confessor electus a vicario, & diffinitoribus in loco, & tempore congregationis, cum socio sibi deputato. Uterque sit de maturioribus, & exemplarioribus familiæ.

70. Confessores monialium S. Claræ semel dumtaxat in mense audiant earum confessiones, easque communicent ad cratem in ecclesia.

71. Si in extrema necessitate confessor debeat ingredi monasterium, ipse, & socius superpelliceis induantur, et socius semper assistat confessori, & si quid perceperit inhonestum, statim renunciet vicario, qui corrigat delinquentem.

72. Vicarius, & diffinitores tempore congregationis eligant unum fratrem notabilem, maturum, & idoneum, qui cum ipso vicario debeat interesse visitationi monialium fiendæ ad cratem tantum, sine ingressu monasterii, nisi forte aliqua esset carceranda, & non esset dispositio, nisi visitator intraret ad disponendum. Superpelliceis tunc utantur.

73. Quidquid alias est corrigibile, corrigant ad cratem, et si opus fuerit, telam tunc a crate faciant amoveri.

74. Visitationem faciant tantum semel in anno.

75. Nemo literas destinet alicui moniali, vel recipiat, nisi prius præsententur vicario, et legantur, præsentibus duobus. Neque offerat vel recipiat munuscula, vel fercula, nisi forte pro infirmis cum licentia vicarii, vel eo absente, guardiani.

76. Nemo præsumat, aliquid laboritii, recamaturæ, vel suturæ, aut similium ab aliqua moniali, pro se, vel alio fratre, aut sæculari fieri facere; vel e converso ab aliqua alia persona pro aliqua moniali; aut de factis earumdem intromittere se, nisi sit vicarius, visitator, vel confessor, qui de rebus spiritualibus, vel quæ ad spiritualia pertinent quoquo modo agere possint.

77. Si quidquam occurreret expediendum cum aliqua moniali, fratres licentiam petant a vicario, qua obtenta, nonnisi cum confessore monialium, & socio suo præsentibus, audienti-

bus,

Digitized by Google

bus, & videntibus, ad cratem publice licitus ſit acceſſus.

78. Si quis ſecus fecerit pœna carceris puniatur.

79. Supradicta omnia extendantur ad ſorores tertii ordinis in congregatione viventes ſub ſimilitudine monaſterii regularis.

80. Qui noluerint ire ad prædicandum infidelibus non compellantur.

81. Mittantur tantum idonei, & probati in regulari diſciplina, ſpiritu ferventes.

82. Laici habeant vocem activam, & paſſivam, & poſſint eligi in diſcretos, diffinitores, vicarios locorum, dummodo in tabula capituli provincialis, pro forma ſervanda legatur aliquis ſacerdos pro gubernio loci, in quo laicus deputatur.

83. Novitii tacite profeſſi ante expreſſam profeſſionem non expellantur, vel expolientur; ſed ad aliam religionem dirigantur.

84. Si caputium, vel habitum quoquomodo deponant, ſive commiſſæ ſibi diſciplinæ oſores, ſive aliter perverſos oſtendant, tunc caute eis auferatur habitus, nec reſumere permittatur, & ſi honeſtius fieri poterit, obmittantur.

85. De commemorationibus fiant feſta novem lectionum. De officio S. Anaſtaſiæ fiat ut in miſſali. De officio Viſitationis fiat octava, & officium Nativitatis ejuſdem B. Virginis.

86. Fratres non permittant, quantum eſt in ſe, procuratores noſtros agere in judiciis contra quemquam,

87. In correctionibus faciendis laici laicos, clerici clericos, presbyteri presbyteros, clericos, & laicos diſciplinare poſſint.

88. Quando puniendus eſt incorrigibilis, presbyteri, & clerici per laicos diſciplinari poſſint.

89. Juvenes idonei ad ſtudia literarum non occupentur a prælatis in aliis exercitiis, quod fiat juxta diſcretionem prælatorum.

90. Lex illa: *Fratres non appareant coram ſaecularibus ſine habitu*; non intelligatur de eremitis, aut aliis fratribus, dum ſunt præſentes.

91. Conſulatur Sedes Apoſtolica, ut fratres cauſa infirmitatis poſſint balneum petentes habitum deponere in præſentia ſæcularium ſine periculo excommunicationis.

92. Confeſſor, et ſocius in domibus ſæcularium ſe diligenter intueantur, quando commodius fieri poteſt, juxta diſpoſitionem domus, in qua confeſſiones audiuntur.

93. Servetur lex de non introducendis pueris ſuſpectis in clauſtrum, & dormitorium, ſicut commode fieri poteſt.

94. In ſupradictis declaratis, & aliis omnibus contentis in his conſtitutionibus, fratres non obligentur ad peccatum, niſi in illis, quæ concernunt ſubſtantialia regulæ ſub verbis præceptivis, vel prohibitivis, vel æquipollentibus, & niſi in his quatuor, videlicet. 1. Quod officium vicariorum ſucceſſive non extendatur ultra triennium. 2. Quod juvenes non recipiantur ad ordinem ante annum decimum ſeptimum ætatis. 3. Quod ſtudia inſtituantur juxta diſcretionem vicariorum. 4. Quod fratres non accedant ad monaſteria monialium quarumcumque incluſarum, nec ad loca ſororum tertii ordinis, quæ vivunt, more monialium incluſarum.

95. In nullis aliis occurrat obligatio ad peccatum, etiamsi in dictis constitutionibus verba præceptoria, vel inhibitoria, vel quomodocumque posita videantur.

96. Fratres non mittantur ad indulgentiam Portiunculæ, nisi quatuor pro qualibet provincia annuatim. Et illi, qui missi fuerint uno anno, non possint mitti iterum, nisi post quinque annos immmediate sequentes; & sic in perpetuum.

97. In inquisitionibus, et visitationibus nemo obligetur ad accusandum seipsum, aut alios de criminibus occultis inter Deum, et ipsos, nec etiam de criminibus correctis, licet quacumque verborum forma id præciperetur.

98. Fratres venientes de conventibus, sive sint professi in conventibus, sive inter nos, non passim, et indistincte recipiantur a vicariis, sed cum maturitate, et consilio aliquorum discretorum.

99. Fratres hujusmodi recepti teneantur, et gubernentur sub humilitate, et ordinis disciplina. Non possint per duos annos promoveri ad officia prædicationis, confessionis, nec ad prælationes, et dignitates ordinis. Possint tamen interesse capitulis locorum, et habere vocem activam tantum.

Leges editæ in capitulo generali familiæ habito in æde Aracælitana Anno 1446. sub Vicario generali Jacobo Primaticio.

1. Nemo possit esse vicarius generalis ultra triennium continuum.

2. Abbatissæ, seu priorissæ vel matres spirituales monialium ipsis non præsint ultra triennium; & multiplicentur monasteria.

3. Prædicatores apostolici non possint recipere aliquos ad religionem, nisi de consilio, & consensu majoris partis fratrum loci proximioris, & sociorum ipsorum prædicatorum.

4. Recipiendus ad ordinem examinetur, & attingat annum ætatis decimum octavum.

5. Anno quolibet non possint accedere ad indulgentiam portiunculæ nisi sex fratres pro unaquaque provincia, vel vicaria; nec ipsi per quinque sequentes annos possint illuc redire.

6. Eleemosynæ receptæ pro itinerando ad dictam indulgentiam, convertantur in legitimas fratrum utilitates, & non sæcularium personarum etiam attinentium.

7. In locis, in quibus sunt loca nostra, non comedant, seu bibant fratres in domibus sæcularium, etiam attinentium sine licentia prælati dicti loci, nec ea concedatur sine urgenti necessitate.

8. Observentur constitutiones Martini V. factæ Assisii in capitulo generali. Sed non obligent ad peccatum mortale.

9. Statuta hujusmodi contra peccatum innominabile, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, possint commutari secundum conscientiam, & discretionem vicariorum provinciarum.

10. Vicarii provinciarum, & alii prælati curent, ut fratres, maxime confessores, & prædicatores sciant necessaria ad salutem, & officium.

11. Idonei ad studia literarum promoveantur ad studia secundum eorum capacitatem, & commoditatem provinciarum.

12.

Digitized by Google

12. Non recipiantur loca nova absque licentia vicarii generalis.

Sequuntur leges editæ Assisii in æde S. Mariæ de Angelis Anno 1447.

13. Serventur leges capituli generalis Romani proxime præcedentis.

14. In electionibus vicariorum servetur modus constitutionum Joannis de Capistrano.

15. Diffinitores capituli, seu congregationis unius non possunt institui anno sequenti.

16. Non recipiantur, nisi juvenes annorum decem & octo, qui nimis puerilem effigiem non referant. Contradictores priventur ipso facto auctoritate recipiendi.

17. Si quis laicus ut fiat clericus transierit a familia ad conventuales, volens ad familiam reverti clericus, non recipiatur.

18. Qui acquirunt libros in aliena provincia sine licentia prælatorum illius provinciæ, priventur libris acquisitis, qui remaneant in loco, ubi acquisiti sunt.

19. Si quis acquirat libros sub conditione, quod eorum usum habeat in vita, & postea revertantur ad provinciam, ubi eos acquisivit, vel sub alia hujusmodi conditione, servetur conditio, apposita licentia.

20. Libri largiti fratribus ratione personæ, acquirantur provinciæ, & loco fratrum, quibus largiuntur.

21. Circa conventuales recipiendos in familiam servetur ordinatio f. Joannis de Capistrano.

22. Prædictæ constitutiones in provinciis cismontanis legantur omnibus fratribus in singulis locis semel in mense.

XXXVIII. CAPITULUM GENERALE ROMÆ. Anno 1450. ANGELUS A PERUSIO.

Sequuntur leges editæ in capitulo generali familiæ in loco S.Juliani apud Aquilam anno 1452. sub MARCO DE BONONIA VICARIO GENERALI. 1. Laici nullo modo ascendant ad clericatum.

2. Guardiani habeant vocem activam in electione discretorum.

3. Vicarii provinciarum careant voce activa in electione diffinitorum, et vicarii eligendi.

4. Non fiant commissarii per vicarios provinciales, nisi ad certas causas, quibus finitis cesset commissariatus officium.

5. Illegitimi non recipiantur ad ordinem, & jam recepti non assumantur ad prælaturas.

6. Commissarius, vel procurator curiæ non se intromittant de fratribus quoad regimen provinciarum.

7. Discreti veniant ad capitulum generale cum literis suæ congregationis.

8. Guardiani mittentes fratres de loco ad locum, faciant literas obedientiales fratribus mittendis, vel scribant alteri guardiano.

9. In quolibet loco, quantum fieri potest, cantetur una Missa pro SS. D. N. PP. Julio, secundum consuetudinem capitulorum.

XXXIX. CAPITULUM GENERALÆ BONONIÆ. Anno 1454. JACOBUS A MOZZANICA. *Leges* nullæ. In congregatione Mediolani anno 1457. statutum est, ut provincia Pennensis vocetur provincia S. Bernardini.

Leges familiæ editæ Bononiæ in lo-

loco S. Pauli, sub vicario generali Joanne Baptista de Levanto.

1. Congregationes provinciarum semper fiant post capitulum generale.

2. Confirmationes electionis vicariorum provinciarum postulentur a ministris, non autem institutiones, aut gratiæ.

3. Ad capitulum generale de nulla provincia veniant, nisi quinque fratres, salvo mandato vicarii generalis.

4. Fratres per urbem non transeant, nisi forte pro necessitatibus provinciarum mittantur ad curiam, quo in casu portent secum literas cambii, vel ferri faciant per aliquem pecunias opportunas pro expendendis in curia, præsententque procuratori.

5. Expositis negotiis, post tres dies recedant, relinquentes negotia expedienda procuratori curiæ, qui dabit operam transmittendi literas expeditas per argentarios.

6. Possit procurator mittere hujusmodi fratres ad circumstantes provincias, donec negotia expediantur in curia.

7. Fratres, qui veniunt absque provisione pecuniarum, statim emittantur.

8. Fratres volentes redire de conventibus, cum charitate recipiantur, salva tamen ordinis disciplina.

9. Studia remaneant juxta facultatem provinciarum. Idonei tamen ad studia promovendi judicentur per capitulum provinciale.

10. Vicarii provinciales nullum possint delegare ad receptionem ordinis.

11. Nemo procuret aliquam gratiam in curia, etiam pro bono familiæ, sine licentia vicarii generalis, vel procuratoris curiæ.

12. Vicarii provinciales, & diffinitores in capitulis promoveant tantum idoneos ad prædicationes, et confessiones; nec sustineant minus idoneos jam promotos.

13. Vicarii provinciales cohibeant fratres, ne discurrant per provincias maxime alienas; fratresque leves, vel fatuos apud se retineant.

14. De congregandis victualibus, de retinendis famulis in locis fratrum, de ferendis sandaliis clausis, de equitando ec. juxta formam nostrarum constitutionum fiat de consilio discretorum.

15. Non procedatur per vicarios ad incarcerationem alicujus sine consilio discretorum.

16. Guardianis non liceat ex officio eorumdem incarcerare, sed tantum detinere, si videbitur opportunum, usque ad aliam determinationem vicarii provinciæ.

Sequuntur leges capituli generalis familiæ Mediolani in conventu S. Angeli anno 1457. sub vicario generali Antonio de Monte Falcone.

17. Nulla nova ædificia fiant, puta infirmaria, foresteria, et hujusmodi sine auctoritate congregationis provincialis, quæ committat vicario, et quatuor aliis loci inspectionem.

18. Si congregatio debeat in longum tempus differri, vicarius cum consilio discretorum, et guardiani loci provideat.

19. Guardiani contradictores priventur officiis, et puniantur aliis pœnis arbitrio vicarii.

20.

20. Guardiani locorum, aliique fratres sub pœna privationis officiorum (vel actuum legitimorum cui prædicta pœna non competit) non recipiant paramenta, vel alias res alicujus importantiæ, sine licentia congregationis; si receptio bono modo differri potest; sin autem, sine licentia vicarii provincialis cum consilio discretorum illius loci.

21. Curent insuper guardiani, ut, si bono modo fieri potest, superflua paramenta a sacristiis abdicentur, quæ in iis reperiuntur.

22. Fratres caveant ab emptione breviariorum, bibliarum, & librorum magni pretii. Vicarii contradictoribus pœnitentias debitas imponant, & nullo modo patiantur, ut fratres retineant librorum superfluitatem.

XL. CAPITULUM GENERALE ROMÆ. Anno 1458. JOANNES A SARSOLA. *Leges* nullæ.

Sequuntur leges editæ in capitulo generali familiæ Romæ habito sub eumdem annum, vicario generali Joanne Baptista de Levanto.

1. Nemo promoveatur ad officium prædicationis & confessionis, nisi attigerit annum vigesimum quintum, & steterit annos quinque in religione. Excipiuntur illi, quos maturos, & idoneos vicarius generalis judicaverit.

2. Promoti ad prædicta officia ante tempus suspendantur, vel dimittantur in suis promotionibus secundum dispositionem vicariorum in capitulo provinciali.

3. Fratres non subjecti curiæ vicarii generalis, tractentur in nostris locis humaniter, sicut fratres conventuales; ut sunt Hungari, & Burgundii.

4. De patientibus defectum natalium servetur constitutio capituli generalis Aquilæ, hoc addito, quod quicumque contrafecerit puniatur arbitrio vicarii generalis.

5. Nemo vadat ad Curiam Romanam sub pœna detentionis, vel alia arbitrio procuratoris curiæ.

6. De monasteriis servetur constitutio facta in conventu S. Mariæ de Angelis; hoc addito, quod si etiam per bullam fratribus præcipiatur, non acceptentur sine consensu vicarii generalis.

7. Nihil pretiosum acceptetur pro ecclesia, exceptis calicibus argenteis quindecim unciarum, & valoris decem & octo ducatorum, & bussolinis pro conservatione Corporis Christi; sub pœna ad arbitrium vicarii.

8. Gratiæ pontificiæ de absolutione plenaria intelligantur sine præjudicio prælatorum, et servata ordinis disciplina.

9. Tempore Adventus, quando ponuntur propriæ laudes, vel evangelium, fiat officium de feria. Aliis diebus de festo, si occurrat, vel reponendum sit.

10. In Visitatione, et Conceptione B. M. Virginis fiat officium de Nativitate, mutato nomine Nativitatis in Conceptionem, vel Visitationem, et hoc quantum ad historiam, idest responsoria, capitula, antiphonas, & orationem. Lectiones legantur propriæ, si habentur, & evangelium: *Exsurgens Maria*.

11. Pro S. Bernardino fiat officium confessoris non pontificis cum octava, donec aliud per sedem apo-

sto-

stolicam fuerit approbatum.

12. In posterum fiat officium de Transfiguratione secundum mandatum D. Papæ, & sine octava.

13. Officium S. Ludovici fiat de communi confessoris pontificis.

14. Servetur consuetudo provinciarum circa festa SS. Joannis Chrysostomi, Birgittæ, Julianæ, Longini, & Anastasiæ.

15. Fiat officium de S. Vincentio Ord. Præd. die V. Aprilis.

16. Immediate post octavam Nativitatis B. M. Virginis fiat de S. Nicolao de Tolentino Ord. eremitarum. De S. Osmundo non fiat.

XLI. CAPITULUM GENERALE PERUSIÆ. Anno 1464. FRANCISCUS DE RUVERE. Anno eodem VICARIUS GENERALIS MARCUS A BONONIA. *Leges* nullæ.

Anno 1467. Florentiæ statutum est, ut provinciæ Poloniæ, Boemiæ, & Austriæ, quæ eousque a vicario generali Italo rectæ fuerant, regerentur a provincialibus nationalibus. In capitulo generali familiæ in loco S. Mariæ de Angelis prope Assisium inter alia decretum fuit, ut vicarius generalis facultatem habeat totius generalis congregationis, agendi, tractandi, & definiendi in causa Bosnensium, & Dalmatinorum, sive illos dimittendo, sive retinendo in unitate familiæ, seu alteram earum provinciarum, prout ei secundum Deum, & familiæ honorem videbitur expedire. Occurrit guardianus S. Montis Sion f. Paulus de Albenga provinciæ Januæ, quem alii pariter de familia deinde excipiunt.

Anno 1467. sub Joanne Baptista de Levanto in capitulo generali familiæ Mantuæ habito ordinatum est. 1. Diffinitores generales, & provincialium congregationum eligi possint tam de vocalibus ex corpore capituli, quam de fratribus convenientibus ad locum capituli generalis; & de omnibus provinciis ad locum congregationis provincialis.

2. Diffinitores electi de non corpore capituli non habeant vocem activam in electione vicarii, nec discreti ad generalem congregationem mittendi. In cæteris habeant voces suas, ut alii vocales.

3. Vicarii provinciales habeant vocem activam in electione discreti mittendi ad congregationem generalem, sicut guardiani in electione discretorum ad congregationem mittendorum.

4. Frater rediens ab aliena provincia, a qua non obtinuit recipi, ad nativam per sequens capitulum provinciale pœnitentietur probationis pœna, vel alia, quæ videbitur. Nativa provincia intelligatur illa, a qua ultimo recessit incorporatus.

XLII. CAPITULUM GENERALE VENETIIS. Anno 1469. JOANNES AB UTINO. Eodem anno VICARIUS GENERALIS MARCUS A BONONIA. *Leges* nullæ.

Sequuntur leges capituli generalis familiæ in insula Bisentina. 1. Vicarii provinciales visitent Bizzocas, seu sorores tertii ordinis cum socio deputato in capitulo provinciali, quemadmodum ex determinatione congregationis provincialis visitare tenentur moniales quascumque.

2. Si semel ingressi fuerint monasteria S. Claræ, & S. Dominici absolvi possunt a fratribus nostris, habi-

habita promiſſione de non amplius intrando.

3. Serventur conſtitutiones ordinis circa picturas, & imagines SS. Trinitatis.

4. Si aliquis diffinitor eligatur in vicarium provincialem, vicarius depoſitus non ſit quartus diffinitor; ſed vicarius electus, & commiſſarius inſtitutus a vicario generali cum tribus diffinitoribus poſſit exſequi omnia exſequenda, non tamen habeat duas voces.

5. Limites provinciarum in quæſtuationibus habeantur ſecundum conſuetudinem conventualium.

6. Publicentur voces juxta morem, & conſulatur D. Papa.

7. De Sanctis non virginibus, nec martyribus fiat officium, ut obſervatur in provinciis.

8. Fratres maxime Boemi, & Poloni petentes licentiam a vicariis ſuis (qui ſunt commiſſari vicarii generalis in provinciis ſuis) veniendi ad vicarium generalem, non mittantur paſſim, & indiſtincte. Contraditores puniantur in loco diſciplinæ, vel aliter arbitrio vicarii generalis, vel commiſſarii in curia.

9. Nemo ſeu prælatus, ſeu ſubditus abſolvat aliquem a caſibus reſervatis ſuis ſuperioribus, niſi tam confeſſori, quam confitenti conſtet de commiſſione.

10. Vicarii provinciales poſt triennium ſui vicariatus non ſint guardiani per biennium immediate ſequens.

11. Nemo habeat ſimul breviarium, & diurnum, ſed vel unum, vel alterum.

12. Exceptis conventibus Aracæli, Vineæ, Mantuæ, Neapolis, & hujuſmodi, organa non habeantur, ſi fieri poteſt, ſine ſcandalo, & habita alienentur.

13. Fratres nulli ſe ingerant matrimoniis, ſine conſenſu vicarii provinciæ, qui eam non concedat, niſi cum conſilio proborum patrum.

14. Servetur conſilium, & exhortatio f. Baptiſtæ de Levanto quoad eſum carnium in quadrageſima.

Anno 1472. ſub vicario generali Angelo de Clavaſio. Sequuntur nonnullæ leges temporariæ de quibuſdam provinciis.

Leges Capituli generalis familiæ habito Aquilæ. 1. Quælibet provincia ſolvat ducatos tres pro ſolutione Sixtianæ revocatione Calixtinæ.

2. Nullo modo communicentur in triduo Paſchatis, ſine licentia parochiali.

3. Communicentur ſolum illis diebus, quos congregatio provincialis determinaverit, & non amplius.

XLIII. CAPITULUM GENERALE URBINI, Anno 1475. FRANCISCUS SAMPSON. *Leges* nullæ. Sequuntur Leges capituli generalis familiæ Neapoli in loco S. Crucis ſub Petro de Neapoli vicario generali anno eodem. 1. Impetretur breve cum clauſulis competentibus, quod vicarius generalis noviter electus remaneat immediate poſt electionem ſuam commiſſarius apoſtolicus uſque ad confirmationem ſuæ electionis.

2. Fratres Raguſæi, & Dalmatini nominent tres pro qualibet parte, non ex eis; & nunquam poſſint eligere ex eis, ſed neutralem, qui fiat pro uno anno, & de cætero remaneat in pectore vicarii; & pro hoc anno

anno vicarius Dalmatiæ vocatis guardianis, & discretis, & electis per eos, quatuor deputent officiales. Idem fiat in locis Ragusæorum.

3. Ad capitulum generale non vocentur, nisi vicarius, & discretus cum duobus sociis pro quolibet ipsorum; sine expressa licentia vicarii generalis, qui nonnisi ex magna causa eam concedat.

4. Vicarii provinciarum, & guardiani locorum statuant in suis provinciis, & locis, de loco, & tempore orationis, quæ fiat indeficienter.

5. In monasteriis tertii ordinis, quæ vivunt sub clausura, servetur modus quoad confessores, & alios fratres, qui servatur in monasteriis S. Claræ.

6. Nemo possit dare munuscula mulieribus non consanguineis, vel affinibus usque ad tertium gradum inclusive, sine licentia vicariorum provinciarum tantum, sub pœna ad arbitrium vicariorum ipsorum.

7. Guardiani se non ingerant in monasteriis sine expressa licentia vicarii provincialis, qui non facile, nec universaliter eam det.

8. Licentiati ad conventum non licentientur impuniti pro criminibus suis, si puniri possunt ad arbitrium licentiantium.

9. Vicarii visitent de libris prædicatorum, confessorum, aliorumque, nec permittant eorum multiplicitatem.

10. Vicarius generalis non facile concedat prædicatoribus literas, quas gerere debent, vel literas apostolicas, nisi in capitulo generali de consensu diffinitorum. Concessas tamen possit confirmare.

11. Apostatæ remissi per vicarium generalem ad suas provincias, etiam puniti ab eo propter apostasiam, possint puniri a suo vicario de suis criminibus, præter apostasiam, etiamsi scribatur, quod non puniantur. Excipe: nisi vicarius generalis scribat, pœnitentiam dedisse eis pro aliis criminibus, & expresse nominet crimina; & pro illis non puniantur. Sed si alia commiserint, possint pro illis puniri ad arbitrium vicarii provinciæ.

12. Guardianus Hierusalem non remittat fratres ad provincias alias nisi urgente maxima causa.

13. Fratres provinciæ Austriæ, Boemiæ, & Poloniæ possint quolibet triennio, congruo tempore, eligere discretum mittendum ad capitulum vicarii generalis.

14. Servetur constitutio, quæ dat modum circa legationes, seu imbasciatas dominorum temporalium, aliorumque sæcularium, & circa literas eorum deferendas, inviolabiliter. Contradictores puniantur sine remissione.

15. Non liceat habere ex pacto, vel privilegio pecunias annuales a dominis, vel communitatibus pro victu, & vestitu fratrum, ad locum, & tempus.

16. Commissarius curiæ habeat sigillum proprium, & faciat registrum tam pro universitate familiæ, quam pro qualibet provincia.

17. Fratres, qui possunt aliter habere suas necessitates, non possint facere quæstuas pecuniarias per plateas, quærendo sigillatim. Nec quæs-

Digitized by Google

tuæ fieri queant, niſi pro neceſſariis, nec fratres ultra tres piatantias in hebdomada poſſint procurare.

18. Circa commeſſationes in monaſteriis ſervetur ordinatio f. Joannis de Capiſtrano; & circa commeſſationes mulierum ſæcularium, ſeu tertii ordinis ſervetur conſtitutio Benedicti XII., & conſtitutiones generales ordinis. Transgreſſores puniantur, & guardiani negligentes pœnæ ſubſint a capitulo provinciali infligendæ.

Anno 1478. ſub vicario generali Angelo de Clavaſio. *Leges* capituli generalis familiæ Papiæ.

1. Graviter vulnerantes, vel occidentes ultra perpetuum carcerem, ter in hebdomada jejunent in pane, & aqua, & diſciplinam ſuſcipiant per manus alterius.

2. Vicarii provinciales ſervent inviolabiliter conſtitutiones ordinis contra vulnerantes, verberantes, mutilantes, occidentes. Secus teneantur capitula provincialia ipſos non eligere in ſequenti anno, ſi poſſunt non eligi; aut ſi non poſſunt eligi puta, quia conpleverunt triennium vacent per quinquennium ſequens.

3. Nemo recipiatur ad familiam a vicario generali, niſi de conſenſu provinciæ, in qua eſt incorporandus.

4. Fratres recepti ad ordinem, vel ad familiam in aliqua provincia, ſi non ſunt incorporati in alia, remittantur ad eam, quæ eos teneantur retinere.

5. Vicarii provinciarum non poſſunt diſpenſare in conſtitutionibus f. Joannis de Capiſtrano, circa moniales, neque circa ſimilia; aut majori virtute commiſſionis, quam habeant a vicario generali.

Anno 1481. ſub vicario generali Petro de Neapoli. *Leges* capituli generalis familiæ Ferrariæ habiti.

1. Lex XX. ſuperior intelligatur, quum ſine rationabili cauſa vicarii differunt pœnas imponere. De eorum negligentia judicet vicarius generalis, vel in ejus abſentia, capitulum provinciale. Si nec vicarius generalis, nec capitulum provinciale declaraverit, eum eſſe deponendum, ſi fuerit reelectus, valeat electio, nec poſſit deponi, niſi in capitulo provinciæ, modo prædicto.

2. Quilibet vicarius generalis infra ſex annos viſitet omnes provincias, quæ ſi viſitatæ non fuerint ſexto anno, mittat commiſſarios delegatos.

3. Vicarius Candiæ non veniat ad capitulum generale; ſed mittat loco ſuo commiſſarium cum diſcreto, & remaneat vicarius, donec intret vicarius novus, qui corrigat defectus ſuos, & aliorum, & quos corrigere non poteſt, mittat authentice ſcriptos, & ſubſcriptos per tres, vel quatuor ex probis fratribus ad vicarium generalem. Et hoc fiat in capitulo provinciæ de conſilio, & conſenſu diffinitorum.

4. Facta viſitatione, & correctione vicarius depoſitus accedat ad Hieruſalem, ut commiſſarius vicarii generalis ad viſitandum loca ſancta, fratreſque in capite, & membris reformandos, ita tamen, ut non poſ-

possit deponere guardianum.

5. Si sint causæ depositionis, illas legitime probatas, & subscriptas mittat, vel portet ad vicarium generalem.

6. Fratres, qui accedunt Candiam, non possit vicarius mittere Hierusalem, nisi steterint per triennium in provincia Candiæ; & mittantur prius illi, qui diutius steterunt.

7. Capitula generalia continue stent in sacro Monte Alvernæ. Si debeat pro sequentibus capitulis in aliquo provideri illi loco ab aliquibus provinciis, provideatur, prout videbitur vicario generali.

8. Vicarii provinciales non possint concedere fratribus, quod accedant ad ipsum capitulum, nec secum ducere plusquam duos socios. Et idem de discreto.

9. Vicarius generalis non debeat nisi aliquos patres ex causa advocare.

10. Vicarii provinciales in suis provinciis possint committere alicui, vel pluribus patribus receptionem aliquorum ad ordinem cum consilio, & assensu majoris partis fratrum loci, vel discretorum. Prudenter vero hanc facultatem concedant.

11. Festum S. Luciæ incidens in diem Dominicum, transferatur post octavam Conceptionis.

12. De Dominica, quæ venerit infra octavam Conceptionis, psalmi nocturnales, & primæ sint de Dominica sine precibus, & suffragiis, & officio Virginis, & sic in Completorio.

13. Fiat octava omnium SS., & infra octavam dicatur officium Virginis, & serventur reliqua in prædictis officiis.

14. Si Guardianus Hierusalem moriatur, fratres montis Sion, Bethlehem, & S. Sepulchri possint sibi eligere vicarium, qui habeat auctoritatem super fratres, & loca omnia, etiam Baruth, sicut habet guardianus, donec vicarius generalis aliud disponat.

15. Quælibet provincia in proximo capitulo provinciali teneatur proponere virum in electione capituli ipsius, qui debeat dare voces provinciæ, id est per modum scrutinii simpliciter; & dentur secreto per modum compromissi limitati.

16. Vicarius generalis, si sit præsens, scrutetur vota fratrum, tamen secreta. Secus id faciant duo probi, & honesti fratres de corpore capituli.

17. Ille modus in qualibet provincia sequi debeat, quem elegerit major pars vocalium, donec major pars guardianorum aliter duxerit providendum. Et tunc similiter exquiratur.

18. Provinciæ non teneantur de necessitate proponere; sed sit in earum libertate nominare. Et donec proponatur modo supradicto, servetur modus acceptus, prout qualibet provincia sibi accepit.

19. Electio discretorum locorum ad capitulum provinciale pro prima vice fiat in qualibet provincia modo consueto, & in capitulo determinetur modus in posterum recipiendus.

20. Si provincia decernat fieri electionem per compromissum limitatum; deputentur duo cum juramento nunquam revelandi, & fideliter scribendi. Et fiant cedulæ cum nominibus electorum, & scribantur per unum ex illis duobus.

45.

21. In domo fratrum Bobii provinciæ Bononiæ, & fratrum Clastigii provinciæ Januæ, stent fratres advenientes ex quibusvis locis, nisi adsint fratres Clastigii ejusdem provinciæ Januæ, & non possint omnes simul stare.

22. Prædicatores debeant alternatis annis sumi a qualibet provincia nisi altera dare nolit, & infra annum qui præoccupaverit prædicet, nec fiat in hoc fraus aliqua.

23. Nullus locus possit accipere quæstuam, quæ fieret ejus nomine in mense, qui non pertinet ad eum nisi de consensu guardiani alterius loci, cui competit ille mensis.

24. Possit tamen acceptare eleemosynas sponte oblatas. Contradictores nequeant absolvi, nisi a vicario generali, cui scribant, & pœnitentiam ab eo impositam faciant.

25. Visitator tertii ordinis uno anno detur ab una, altero ab altera provincia, & nequeat alteri conferri dicto anno, nisi de licentia sui visitatoris.

26. Mantelli morientium de tertio ordine sint communes utrique loco.

27. Quæstua vini non sit communis, nisi quando vinum loci alteri cesserit.

Anno 1484. sub vicario generali Angelo de Clavasio. Sequuntur *Leges* capituli generalis familiæ in sacro Alvernæ Monte.

28. Nullus prælatus, etiam vicarius generalis sit præsens commissariis in vocibus dandis in electione discretorum, diffinitorum, et vicariorum. Sed solum vel compromissarius unus, vel duo possint eidem electioni interesse.

29. Omnes provinciæ secrete dent voces per compromissum, qui mos deinceps servetur.

30. Vicarius provincialis noviter electus ante confirmationem omnia agat tamquam commissarius vicarii generalis.

31. Vicarius, qui renuntiaverit officio, in officio diffinitorum se non intromittat, nisi vocatus a diffinitoribus.

32. Si electus non sit præsens, diffinitores utantur auctoritate prædicta.

33. Si capitulum dissolvi debeat, priusquam electus adveniat, vocales omnes commissarium eligant, qui interim provinciam regat, & vicarii generalis vices gerat, donec fuerit confirmatus.

34. Fratres, qui mittuntur Hierusalem, stent ibi per tres annos ad minus, nisi guardiano aliter fortasse videatur.

35. Lectiones compositæ de S. Bernardino per Ludovicum de Vicentia legantur in ejus festo, & per octavam.

Anno 1487. sub vicario generali Joanne de Sigestro. *Leges* capituli generalis familiæ apud S. Mariam Angelorum Assisii.

1. Gratiæ concessæ a D. Papa ponantur in registro commissarii. Similiter eas vicarii redigant in scripta & suæ intiment provinciæ.

2. Dubia proposita patribus electis in capitulo generali, approbata tamen a vicario generali, & diffinitoribus, redigantur in scriptis, & notificentur solutiones omnibus.

3. In choro fiat officium feriale in hebdomada sancta, nisi festum occurrat die illo.

oc-

Digitized by Google

4. Nemo in futurum audeat libros publicare sine consensu capituli generalis, sub poena privationis actuum legitimorum.

5. In Hierusalem, vel in Candia fratres non quaerant in quibusvis partibus eleemosynas, sine consensu vicarii, in cujus provincia quærere volunt, si adsit. Si vero absit, sine consensu guardiani, vel vicarii loci, de quorum quæstua quærere volunt, sub pœna privationis eleemosynæ, aliisque ad arbitrium prælati, apud quem probatur excessus.

6. Redeuntes ab illis partibus non deferant res aliquas, quæ insimul sint majoris pretii unius ducati aurei.

7. Contradictores clerici priventur actibus legitimis. Laici puniantur pœna proprietarii.

8. Prælati, apud quos declinaverint, videant res ipsas, si excedant summam prædictam.

9. Nullus fratrum accedat ad capitulum generale sine licentia vicarii generalis, qui eam non det absque causa multum rationabili.

10. Servetur lex superior VIII. pag. 87. sub pœna expulsionis a capitulo.

11. Qui habent lectiones S. Joseph possint eas ad libitum legere, & scribere.

Anno 1490. sub vicario generali Angelo de Clavasio. *Leges* capituli generalis familiæ in loco S. Donati apud Urbinum.

1. Vicarii provinciarum faciant registrum de ordinatis in capitulis provincialibus. Sed defectus fratrum non ponantur.

2. In electionibus discretorum ad capitulum scribantur voces hoc modo: *Frater talis dat vocem tali*. Si electio non fiat usque ad quintum scrutinium inclusive, devolvatur ad capitulum, ad quod mittatur scrutinium sigillatum, & puniantur delinquentes secundum judicium diffinitorum.

3. Impetrantes auctoritatem absolvendi a casibus reservatis a generali, vel provinciali ministro, sint privati ipso facto voce activa, & passiva. Similiter absolventes auctoritate prædicta.

4. Non defraudentur pedagia rerum sæcularium sub pœna unius disciplinæ faciendæ in capitulo locali, quam vicarius non possit remittere.

5. Opera imprimenda committantur a vicario generali examinanda uni, vel pluribus probis viris.

6. Addens aliquid notabile libro prius composito, sine licentia capituli generalis, facit contra constitutiones illius.

7. Vicarius cum diffinitoribus instituat idoneos confessores, & prædicatores nominatos prius in capitulo.

8. Confessores monialium S. Claræ ingrediantur monasteria tantum cum socio sibi assignato a vicario provinciæ.

Anno 1494. sub vicario generali Evangelista de Perusia. *Leges* capituli generalis familiæ in loco S. Salvatoris Florentiæ.

1. Constitutiones editæ in provincia Austriæ a diversis, quantum ad culpam, et pœnam, relinquantur arbitrio, et dispositioni capituli provincialis ipsius provinciæ.

2. Vox vocalis deficientis in capitulo

Digitized by Google

pitulo provinciali suppleatur per ipsum capitulum.

3. Fugitivi non possint promoveri ad ordines, nec ad officia, nec illa, quæ habent, exercere, sine consensu capituli provincialis.

4. Promoti ad confessiones, vel prædicationes in aliis provinciis, seorsum a vicario generali, non possint officia ipsa exercere in provinciis propriis, sine consensu capituli provincialis.

5. Fiat de S. Bonaventura die XIV. Julii, et ejus translatio XIV. Martii sub festo duplici.

6. Festum S. Ludovici regis Francorum fiat immediate post octavam S. Ludovici.

7. Post S. Bartholomæum fiat de S. Bernardo; & si Dominica impediat, fiat immediate quando fieri potest.

8. Nemo directe, vel indirecte machinetur aliquam divisionem sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, cujus absolutio reservetur vicario generali.

Anno 1495. sub vicario generali Hieronymo Torniello. *Leges* capituli generalis familiæ in loco S. Bernardini Aquilæ.

1. In qualibet provincia fiat officium SS. Joannis Chrysostomi, Longini, et Anselmi.

2. Convictus de fornicatione ponatur in carceribus per sex menses, cum jejunio in pane, & aqua, & cum disciplina in refectorio semel in hebdomada per spatium unius *miserere*. Nec restituatur ad actus legitimos, nisi post quinquennium.

3. Prædictas pœnas non possit remittere aliquis inferior vicario generali, qui non remittat sine consensu majoris partis diffinitorum capituli provincialis.

4. Vicarii provinciales faciant registrum de monitionibus factis, et incarcerationibus transmittendum de vicario in vicarium.

5. Confessores monialium non possint stare nisi per annum continuum in eodem monasterio, ad quod tamen remitti possint interpellato anno. *In capitulo provinciali Mediolani hoc remissum est arbitrio provinciarum*.

6. Vicarius provinciæ non det literas, seu obedientias extra provinciam propriam, nisi subscriptas manu sua.

7. Nullus prælatus regni Neapolitani acceptet, vel incorporet in provincia sua fratrem ultramontanum, inconsulto commissario curiæ ultramontanae.

8. Guardianus Hierusalem non recipiat fratres ultramontanos, nisi venerint cum licentia suorum prælatorum. Et quando remittuntur ad propria, non det eis licentiam vagandi per Italiam.

9. Venientes de locis Terræ Sanctæ, quamprimum intraverint Italiam, infra dies quindecim barbam sibi radi faciant, sub pœna privationis actuum legitimorum, & cui id non competit, pœna confusibili per vicarium provinciæ infligenda.

10. Vicarii provinciales semel in anno visitent res fratrum, & non permittant eis curiosa, & superflua.

11. Quando licentiatur aliquis frater ad vicarium generalem, vel provincialem a discretis, ponatur in literis, quæ mittuntur prælato, causa le-

Digitized by Google

sa legitima, ob quam frater licentiatur.

12. Eadem pœna puniantur ludentes ad chartas, qua ad taxillos.

13. Quando apparent duo testes, licet singulares, & socii criminum, deponentes de excessu, ob quem infligitur poena carceris, procedatur contra talem ad inquisitionem veritatis, detinendo in domo disciplinæ, cum jejunio panis, & aquæ ter in hebdomada, & disciplina ter in hebdomada per mensem, sive ad arbitrium prælati.

14. Si convinci non possit per propriam confessionem, moneatur canonice.

15. Si appareat postea alius testis, & socius criminis, procedatur contra ipsum, tamquam contra convictum.

16. Si quis detentus, seu carceri mancipatus diffamaverit prælatum, dicendo, quod injuste eum detinuerit, vel incarceraverit, & monitus a prælato non cessaverit, denuo detineatur, vel carcere includatur.

Anno 1498. sub vicario generali Ludovico a Turre. *Leges* capituli generalis familiæ habiti Mediolani.

1. Non erigatur mons aliquis pietatis sine quatreno, sub pœna privationis actuum legitimorum.

2. Montes erecti sine quatreno non destruantur, sed possint induci ad quatrenum.

3. Nemo prædicando erigat montem sine consensu vicarii provincialis, & discretorum sub eadem pœna.

4. Recedentes a familia cum licentia eundi ad conventuales, si redierint, non recipiantur, nisi cum pœna portandi caputium probationis per tres menses.

5 Qui a familia recesserint sine licentia, puniantur pœna carceris.

6. Qui habuerit licentiam eundi ad aliam provinciam, non recipiatur, nisi cum pœna probationis caputii per tres menses, dummodo ex rationabili causa vicarius generalis non dispenset.

7. Confessores monialibus præficiantur juxta morem provinciæ, dummodo non stent in eodem monasterio ultra biennium, et se non intromittant in regimine abbatissæ.

XLIV. CAPITULUM GENERALE INTERAMNAE. Anno 1500. AEGIDIUS DELPHINUS. *Leges*.

1. Fratres non teneantur ad ea, quæ præcipiuntur, vel inhibentur in testamento B. Francisci.

2. Obligentur fratres tantum ad illa consilia, quæ in regula præceptoriis, vel inhibitoriis, vel æquivalentibus verbis sunt expressa.

3. Prælati possint cum subditis dispensare circa jejunium, calceamenta, & equitationem.

4. Omnes fratres cujuscumque nationis teneantur obedire generali, & provincialibus ministris, custodibus, & guardianis. Revocantur propterea omnia privilegia, & indulta quomodocumque, & qualitercumque concessa in concilio Constantiensi, vel in curia Romana.

5. Generalis, & provinciales ministri possint recipere ad ordinem personas fugientes a sæculo, cum delectu tamen ipsarum.

6. Ministri vices suas hac in re committere possint custodibus, guardianis, probis patribus, & S. theolo-

logiæ professoribus.

7. Quilibet guardianus teneatur aliquos idoneos ad ordinem recipere, secus ineptus reputetur ad officium, nisi legitime se excusaverit.

8. Si quis recipiatur in aliena provincia, recipiatur pro custodia, & loco determinato per declarationem ministri. Et qui hactenus recepti sunt sine declaratione, censeantur esse illorum conventuum, & locorum, ex quorum terminis originem traxerunt, nisi aliter in professione recepti fuissent.

9. Circa qualitates recipiendorum confirmatur lex prima in constitutionibus Farinerii. Item aliæ sequentes circa novitios.

10. Nemo recipiatur pro laico sine licentia ministri provincialis, vel capituli generalis, ne talium multitudine ordo vilescat.

11. Si quis ante annum XIV. esset oblatus a parentibus, aut bonæ indolis, bonæque spei, aut nobili genere, recipi possit; sed tempore congruo ponatur in ejus arbitrio, an velit probari, vel non probari. Et ante annum prædictum sit non novitius, sed oblatus.

12. Venientes ad ordinem examinentur de fide catholica.

13. Liceat fratribus ab advenientibus aliquid recipere per modum spontanæ eleemosynæ.

14. Quotannis in capitulo provinciali eligatur magister novitiorum probus, gravis, religiosus, & circumspectus, qui possit pluries confirmari.

15. In qualibet custodia sit unus, aut plures conventus, in quibus novitii, & oblati debeant erudiri in literis, cantu, & divinis officiis.

16. Novitii ad sacros ordines non promoveantur, ut, si velint, redeant ad sæculum.

17. Novitii sacerdotes non audiant confessiones.

18 Novitii nec cum sæcularibus, nec cum fratribus aliorum ordinum loquantur sine licentia, & socio assignato, nec literas scribant, vel recipiant.

19. Non vagentur per conventum, nec intrent cellas fratrum, nec associent aliquem per civitatem, nec dormiant extra novitiatum.

20. Possit magister, ex causa rationabili, eos cum aliquo probo patre extra conventum quandoque mittere.

21. Ad chorum vadant cum magistro processionaliter, dicentes psalmum *miserere*. Ad aquam benedictam genuflexos aspergat magister, factaque reverentia Corpori Christi, per osculum gradus altaris ingrediantur chorum, ibique orent, donec officium divinum incipiat.

22. In exitu a choro post vesperas, vel completorium eodem modo accedant ad sepulchra fratrum, ibique orent; & eo ordine, quo ad ecclesiam venerunt, revertantur ad novitiatum.

23. Quotidie post completorium dicant: *Benedicta tu*, cum lectionibus: *Missus est*; vel aliis, ut fuerit consuetudo.

24. Si quis novitius voluerit abscedere, non impediatur a magistro.

25. Nemo admittatur ad professionem, nisi a ministro, vel custode, vel ministri delegato, & nisi ætate anni XV. expleti, annoque probationis continuato.

26. Causa mortis, vel alia evidenter utili, & honesta possit magister professionem alicujus accelerare.

27. Receptus pro clerico sciat per se divinum officium ordinare; secus non promoveatur ad sacros ordines, nec mittatur ad studia; & transgressores acriter puniantur.

28. Completo anno probationis, si habuerint a fratribus conventus bonum testimonium, possint novitii recipi ad professionem coram fratribus convocatis, & consentientibus solemni actui in registris connotando.

29. Novitii professionem facturi nihil sibi tamquam proprium reservent quoad dominium, & sint confessi, & absoluti.

30. Si recipiendorum ad professionem vita suspecta esset, eorum receptio spectet ad ministros provinciales.

31. Aliter professus sit inhabilis ad officia, & privetur actibus legitimis.

32. Magistri negligentes officiis priventur, & pœnis aliis gravioribus subjaceant.

33. In conventibus principalioribus adsint magister grammaticæ, & magister cantus.

34. Quilibet guardianus requisitus a ministro, aut custode retineat, & nutriat in conventu suo aliquos juvenculos in studio grammaticæ, etiam extra conventum transmittendo cum religionis honore, quoties oportuerit.

35. Nemo promoveatur ad sacerdotium ante XXV. ætatis annum. Attamen ex debito alicujus provinciæ studentes in anno XXII. promoveri possint ad sacerdotium, iuxta antiquam ordinis consuetudinem.

36. Subdiaconus non ordinetur, nisi annum XVIII. diaconus, nisi annum XX. attigerit.

37. Nemo promoveatur ad ordines, si cantus regulas nesciat, vel sit ignorans, vel malæ vitæ, & non resipiscat. Ministri, & custodes negligentes priventur, vel suspendantur ab officiis.

38. Recepti pro laicis non deferant coronam. Et si post primam monitionem deferentes non deposuerint, carcere includantur, & nihilominus ad eam deponendam omnino compellantur.

39. Clerici coronam non nutriant, nec barbam, sed arceant capillorum prolixitatem, ita ut inter rasuram cutis, & aures non sint amplius, quam tres digiti. Qui sæpe moniti, non destiterint, penitus tondantur.

40. Fiat in hyeme rasura de quindena in quindenam; æstate de octo in octo dies secundum dispositionem præsidentis.

41. Vestimentorum vilitas tam in pretio, quam in colore attendatur, nec ea sint aut vana quoad pompam, aut ridicula quoad asperitatem, & horrorem.

42. Longitudo habitus ad terram non attingat; sit tamen aliquis respectus ad dignitatem personarum.

43. Confirmatur lex XVI. capituli generalis XXIV.

44. Vide legem XVI. capituli generalis XXIV. Latitudo habitus sit viginti quatuor palmorum, aut circa juxta crassitiem deferentis.

45. Caputium professorum ademptione caparonis differat a caputio novitiorum; talique modo incidatur, ut impositum capiti honeste cooperiat,

Digitized by Google

riat, & non excedat longitudinem cinguli.

46. Antequam habitus incidatur, pannum recognoscat aliquis ex prælatis. Qui contrafecerit, privetur usu panni, etiamsi condecentem eum emi fecisset.

47. Pannus non sit albus, vel niger, sed griseus, neque sit de rascia, aut sargia, & prælati invigilent sub pœna privationis officii.

48. Caveant fratres a novitatibus, & aliis in caputio, manicis, & fimbriis, ornamentis, nec appareant in habitibus scissuræ ad manus mittendas interius, sub prædicta pœna quoad prælatos, qui hos abusus non correxerint.

49. Duplicia, aut superflua vestimenta non habeantur; possint tamen plurium tunicarum usum, cum opus est, prælati suis subditis concedere.

50. Guardiani sibi vestimenta non parent ex ulla eleemosyna, nisi prius induti sint indigentes, nempe illi, qui non habent eleemosynas nec ab amicis, nec a consanguineis.

51. De triennio in triennium fiat una completa tunica singulis sacerdotibus ab eo conventu, cui inservierunt. Et si tribus conventibus servierint, quilibet eorum portionem suam tradat.

52. Si inconstantia sacerdotis usque ad capitulum in sua mansione non perseveraverit, ad nullam tunicam conventus, unde discedit, teneatur, nisi aliter prælatorum misericordia judicaverit.

53. Idem sit judicium de aliis eleemosynis advenientibus, quæ particularibus fratrum necessitatibus essent dispensandæ.

54. Chorda non fiat nec de lana, nec de lino, nec de filo partim albo, partim nigro. Quod præcipitur etiam monialibus, quæ si pro se, aut fratribus hujusmodi chordas fecerint, & admonitæ se non emendaverint, pœnam carceris luant.

55. Fiat chorda funea extensa, a laqueo uno palmo cum tribus dumtaxat nodis.

56. Servetur in vestibus uniformitas, quoad fieri potest.

57. Mantelli non sint rugati, seu crispi circa collum, neque usque ad terram defluant, & totum habitum cooperiant.

58. Birecta nigra, aut consuta non deferant, nisi magistri theologiæ in actu solemnis disputationis, aut in novitate magisterii.

59. In lectis, & operimentis vilitas, paupertas, & devotio reluceant. Neque strata sint de plumis, nisi fratres fuerint itinere fessi, debiles, aut infirmi, pro quibus communis locus deputetur.

60. Non utantur camisiis lineis, aut almuciis cujusvis coloris circa collum, nec pelliceis chyrothecis, bursis, aliisque loculis. Deferant tamen subtus, si velint, camisias laneas ad carnem etiam albi coloris, & dormiant cum interiori tunicula non dimittendo caputium, cingulum, & femoralia.

61. Caligæ grisei coloris non clausæ genua honeste cooperiant, & utantur calceis scissis, & soleis, seu calepodiis, qui voluerint, & planellis hyeme, si opus est, sine talaribus uti licite possint, quum totus pes undique non sit corio tectus.

62. Si urgente gelu, pluvia, vel iti-

itinere integris calceis pes quandoque tegatur, dummodo non sit consuetudinarie, illi sint rudiores, ut appareat vilitas, & deferendi necessitas.

63. Nemo deferat ocreas, quas vulgo borzachinos vocant, sub pœna disciplinæ, nisi longioris itineris, & hyemalis gratia, judicio prælati aliter ordinetur.

64. Habeantur pro missis celebrandis calceamenta, quæ sacristiæ, præsidens diligenter præparet.

65. In festo SS. Innocentium, vel aliis, ut in festo S. Pauli nemo utatur vestibus sæcularium, vel cum ipsis in publicum prodeat, vel novitates dissolutas inducat sub pœna amotionis confusibilis a conventu, ubi fuerit collocatus; eademque pœna afficiantur qui vel in conventu, vel extra comparuerint sine habitu coram sæcularibus. Et incurrat pœnam excommunicationis qui alium habitum induerit extra religionem, quam eum, quo incedendum est in religione.

66. Nemini permittatur, qui non fuerit nostri ordinis, habitum nostrum portare, etiam ex voto.

67. Ante missarum, & horarum principia fratres, quos causa rationabilis non excusat, ad chorum conveniant, ibique modeste orent, & cantent, cantibus dissolutis, & fictis eliminatis.

68. Si quis psalmum, vel aliud in suo tono non cœperit, & sine evidenti strepitu emendari non possit, eodem modo alii prosequantur.

69. Præsidens chori primus incipiat, & ubi divina commode cantari non possunt, prælati dispensabunt. Uno autem exeunte ad librum, quando opus est, omnes accedant.

70. Nemo sine licentia præsidentis exeat a choro.

71. Qui ingrediuntur, vel egrediuntur, ad gradus capellæ genibus flexis adorent Eucharistiam, neque per ecclesiam discurrant, neque cum sæcularibus in ecclesia, aut primo claustro colloquia misceant, sine rationabili causa.

72. Absque notabili necesitate, & licentia præsidentis non audiantur confessiones, dum divina officia persolvuntur.

73. Missa non sit nec nimis longa, nec nimis brevis; & celebretur secundum ordinem verbo, vel scripto datum.

74. Qui, ne celebret, ægritudinem, vel aliud impedimentum finxerit, & ob hoc scandalum fuerit in ecclesia, vino, & pulmento per biduum careat.

75. Qui non fuerint sacerdotes, præmissa confessione, de quindena in quindenam communicentur, & eadem die genuflexi coram fratribus petant veniam humiliter. Trasgressores, si correcti, & moniti se non emendaverint, primo priventur potu vini in prandio, vel cœna. Secundo priventur tam in prandio, quam in cœna pulmentario. Tertio comedant in terra in pane, & aqua coram fratribus in refectorio. Quarto interdicatur eis accessus ad civitatem. Quinto corripiantur disciplina. Postremo, si fuerint contumaces, carcere includantur, & ubi opus fuerit, a conventu confusibiliter expellantur.

76. Infirmi, multumque senes, & ad arbitrium ministri multum debiles a choro eximantur. Magistri insuper,

&

Digitized by Google

& lectores in aliquibus studiis generalibus actu legentes, & studentes, dum ordinariis, & theologiæ sunt occupati lectionibus, qui tamen aliqua hora ad officium celebrandum se in aliquo loco disponant.

77. Eximantur quoque actu prædicantes, & qui a suis superioribus ob rationabilem causam exempti fuerint.

78. Notati publice de consueta omissione divini officii, cujuscumque gradus, sit privatus officio, quod obtinet, & inhabilis ad alia, nec restitui possit, nisi per generalem. Publice notati intelliguntur qui chorum non frequentant, nec audiuntur, nec videntur divinis vacare, prout in visitatione deprehendi poterit.

79. Minister publice notatos pronuntiet publice in capitulo provinciali.

80. Clerici habeant breviaria, & concordent cum choro, etiamsi pluries de eodem sancto essent officium dicturi.

81. Non fiat de festo alicujus sancti, qui non fuerit in calendario consueto.

82. Fiat semper de feria in quadragesima, cum responsorium, vel aliud proprium fuerit.

83. Qui post incœptum officium chorum intraverit, prosequatur verba simul cum choro, & expleto officio, prætermissa recitet.

84. In commemorationibus SS. nostri ordinis in utrisque vesperis, & matutinis dicatur antiphona: *Vos sancti Dei inclyti*; vel: *Et quicumque hanc regulam &c.* cum versiculo: *Æterna fac*; & oratione: *Deus, qui sacram religionem, & devotionem nostram &c.*

85. Officium XI. mille virginum fiat de virginibus. Octava S. Francisci sit duplex. Octava quinque martyrum semiduplex. Festum S. Annæ, & S. Joseph. duplex majus. Festum Angelorum fiat mense Maji. In missis Spiritus Sancti, & B. Mariæ dicatur: *Gloria*. Infra octavam S. Francisci, & in omnibus festivitatibus SS. nostrorum, ac S. Claræ dicatur; *Credo*.

86. Dum celebrantur divina officia nullus in choro impertinentia legat, nisi forsan dum organa prolixius cantarent, neque eo tempore aliud exercitium fiat, & qui monitus, non se emendaverit, puniatur ordine prædicto.

87. Laici chorum frequentent, sicut alii, nisi occupentur, idque sub gravi pœna.

88. Post completorium, jussu præsidentis, pulsetur campanella refectorii pro silentio observando usque ad primum diei sequentis.

89. Silentium teneant omnes, exceptis hospitibus tunc advenientibus, eorum servis, & eis ministrantibus, & si qui alii in statutis excipiuntur.

90. Servetur silentium in primo claustro, & ecclesia a principio chori, & in dormitorio, si in illo sint cellæ quietis, & studii.

91. Si dormitorium fuerit sine studio, sileatur eo tempore, quo fratres dormiunt.

92. Sileatur in refectorio in prima, & secunda mensa, & lectio audiatur etiam a multitudine fratrum, quæ ibidem reficeretur.

93. Ubi officinæ loci non sunt distinctæ, guardianus locum deputet, in quo sit silentium, alterum, in quo in-

interdum sit loquendum.

94. Tempore, quo fratres dormiunt post prandium, sc. a Paschate Resurrectionis usque ad festum Exaltationis S. Crucis, singulis diebus, ut servitores primæ mensæ pransi fuerint, pulsetur campanella refectorii,& sileant fratres usque ad pulsationem Nonæ. Liceat eis tamen de necessariis submisse loqui.

95. Quadragesima a festo omnium SS. terminetur in die nativitatis Domini, nisi Nativitas die veneris occurrat, in qua jejunium servetur, nisi aliud SS. Dominus N. declararet.

96. Jejunent juvenes ante annum XXI., nisi ex hoc eis notabilis immineret ægritudo, vel physica impotentia.

97. Jejunent omnes in Vigilia S. P. Francisci.

98. Jejunii tempore paretur prandium sufficiens, & refectio conveniens hyeme hora nona, æstate hora sexta.

99. Dum fratres ordinarie refectionem sumunt, habeatur lectio, & præsidens continue moneat, & doceat discumbentes. In aliis silentium sit perpetuum.

100. Nullus in hujusmodi admonitionibus audeat reclamare, vel verbis indecentibus infremere, sub pœna genuflexionis pro petenda pœnitentia, & si crescat pertinacia, tribus sequentibus diebus pane, & aqua in terra compescatur.

101. Si quis se lacessitum senserit, cibo sumpto, se excuset.

102. Nemo in locis, ubi fuerint conventus, comedat, nisi fortasse cum prælatis, principibus, ac viris religiosis rationabili causa suadente.

103. Mulieres in nostris locis comedere non permittantur, nisi ministris ex causa rationabili aliud videatur.

104. Tempore jejuniorum in regionibus oleo olivarum carentibus butyri usus fiat, maxime si mos invaluerit.

105. Omnes accedant ad mensam communem in refectorio, nisi causa legitima impediantur, & impetrata superioris venia, secus a vino, & pulmentario primum abstineant.

106. Si quis in cella cum sæcularibus convivium egerit, vel eos tenuerit, sine licentia ministri in scriptis, etiamsi agatur de fratribus alterius ordinis, excommunicationem incurrat; at minister possit dispensare semel, vel bis in anno in aliquo casu.

107. Qui pertinax fuerit, puniatur pœnis aliis, juxta modum delicti; & guardiani, qui hoc non servaverint, priventur tunica, & ab officio deponantur.

108. Habeatur portinarius, qui clausa custodiat ostia conventus, scopis mundet, vel mundari faciat domum, invigilet, ne introducantur sæculares ad interiora conventus, præcipue mulieres, sine licentia præsidentis.

109. Nemo sub pœna carceris exeat claustram, aut vadat per civitatem, oppida, vel vicos, sine licentia prælati, qui prius investiget, quo fratres sint ituri, quæ negotia, & quibuscum acturi; ac determinet terminum redeundi.

110. Si exeuntem alio ire, aliasque res, aut cum aliis tractare contigerit, in reditu ea referat præsidenti, sub pœna ad arbitrium.

111.

111. Nemo incedat ſolus, niſi manifeſta impulerit neceſſitas. Sed omnes bini incedant.

112. Nemini licentia concedatur exeundi a conventu in diebus feſtis, & tempore æſtivo inter prandium, & nonam, vel post cœnam.

113. Semel tantum, & raro pluries in hebdomada eidem fratri, rationabili cauſa accedente, exeundi licentia tribuatur.

114. Incedant fratres extra conventum caputio ad caput impoſito, pedibuſque nudis, vel cum ſoleis, aut calepodiis, vel aliis totum pedem non tegentibus, in omnibus uniformes.

115. Domum redeuntes denuncient prælatis defectus notabiles infamiam, aut ruinam ordinis, prætendentes, ut valeant in poſterum præcavere.

116. Prælati non puniant peccata, quæ ſoli divino ſubjacent judicio, & noſcuntur via confeſſionis, nec ea oblique, & doloſe detegant.

117. Nemo tranſeat de uno conventu in alium ejuſdem cuſtodiæ, ſine licentia guardiani, vel ejus vicarii. Nec de una in aliam provinciam ſine licentia miniſtri, vel ejus vicarii in ſcriptis obtenta.

118. Redeuntes reportent in ſuis literis teſtimonium prælatorum, ad quos iverant; ſecus ſint ſuſpecti.

119. Non dentur licentiæ cum ſocio grato, vel occurrente, ſed conceſſo, niſi fuerit gravis perſona.

120. Guardiani, & cuſtodes non recipiant fratrem ad eos divertentem ſine licentia, niſi forte in itinere amiſſa ſit, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio cum inſtitutione vicarii uſque ad proximum capitulum, in quo non poſſint reſtitui, ſine gravi pœnitentia.

121. Ei, qui dixerit ſe licentiam amiſiſſe, non credatur, niſi manifeſte pateat, vel foret vir probus. Et ſi de fraude coſtiterit, acriter puniatur.

122. Miniſtri, qui id ſervare contempſerint, ipſo facto ſint ab officio ſuſpenſi, cum inſtitutione vicarii, vel commiſſarii.

123. Fratres diſcurrentes ſine licentia, ultra excommunicationem latæ ſententiæ, carceri tradantur, & diſciplinam acriorem ſuſtineant.

124. Concedatur eis licentia redeundi; ſed a nemine recipiantur, niſi miniſtris puniendi ſe oſtenderint.

125. Si propterea miniſter ſuſpenſionem incurrerit, cuſtos illius cuſtodiæ, in qua miniſter deliquerit, teneatur intimare miniſtro generali, ut provideat de vicario provinciæ.

126. Idem faciat vicarius conventus, ſi guardianus, vel cuſtos prævaricetur.

127. De his maxime ſint ſolliciti viſitatores provinciarum,

128. Miniſtri provinciales, dum viſitant, inquirant in quolibet conventu, & remittant fratres ad ſuas provincias, & ter in anno in ſcriptis moneant cuſtodes, & guardianos, ut tales fratres non recipiant.

129. Ad idem teneantur cuſtodes. Alias hæc cauſa ſufficiat pro miniſtrorum, & cuſtodum depoſitione per generalem.

130. Cuſtos ſua loca, ſeu conventus viſitans omnes apoſtatas nominatim excommunicet, etiam aliarum provinciarum, eoſque detineat, carceri tradat, & pœnis aliis coerceat. Secus ſit ab officio ſuſpenſus. Et parem

rem pœnam suspensionis subeat minister in hoc negligens.

131. Ut rebelles, & contumaces capiantur, ministri recipiant per procuratorem aliquam portionem pecuniæ fratrum decedentium in sua provincia; quæ si non sufficiat, suppleatur de eleemosynis totius provinciæ. In eumdemque usum convertantur eleemosynæ apostantium, & fratrum nullum conventum habentium, si decedant.

132. De receptis, & expensis ministri rationem reddant in capitulis.

133. Procurator in curia sub pœna privationis officii, & omnium eleemosynarum ejus usui sub S. Salvatore de Unda deputatarum, non permittat, fratres vagari in Romana Curia, vel alicui beneficio, aut personæ deservire, exceptis magnis prælatis, & principibus, quando id a prælatis ordinis cuperent.

134. Nemo in S. Petro, vel aliis ecclesiis urbis, audiat confessiones sine licentia in scriptis ministri generalis. Invigilet etiam in hoc procurator in curia.

135. Si procurator, suo muneri non satisfaciens, privatus fuerit officio, non possit restitui præterquam a capitulo generali. Interim generalis alium procuratorem instituat.

136. Non attendat generalis ad preces curialium, secus easdem pœnas incurrat.

137. Fratres generali vim inferentes, per ipsum excommunicentur in locis publicis, atque ipse expensis ordinis ad protectorem, ejusque vicesgerentem, atque etiam ad pontificem recurrat.

138. Qui sæcularium favore directe, vel indirecte contra procuratorem, aut alios prælatos ordinis se defenderint, eleemosynis, libris, cellis, paternitate, & omnibus ordinis officiis sint privati, & habeantur tamquam infames, absolvendi tantum per capitulum generale.

139. Fratres pro favoribus a generali, vel procuratore habendis non utantur curialibus; sed petant ipsi, sub eisdem pœnis.

140. Non audiant confessiones sæcularium in ecclesiis eorumdem sæcularium tempore indulgentiarum, vel alia populi frequentia, sub eisdem pœnis. Nec ministri, custodes, aliique inferiores prælati illis licentiam concedant sub pœna privationis officii. Rebelles vero excommunicatos pronuntient.

141. Excipiuntur fratres actu in tali ecclesia prædicantes, & illi, qui mittuntur a guardianis.

142. Custos sacri conventus Assisii nullum, tempore indulgentiæ, audire confessiones permittat, sine licentia a suo ministro in scriptis obtenta.

143. Ministri hanc licentiam concedant tantum patribus graduatis, iis, qui fuerint in studio generali per triennium, & in eo sunt perseveraturi, patribus antiquis, probatis, ac prædicatoribus populo gratis, & acceptis. Et cui uno anno licentia conceditur, in alio non tradatur.

144. In ea concessione inhibeant ministri euntibus, ne prius, quam septimo die ante Cal. Augusti intrent provinciam S. Francisci. Ipsamque infra quinque dies, completa indulgentia egrediantur.

145. Pœna furti reus sit confessor,

Digitized by Google

ſor, qui pecuniam a pœnitentibus extorquent.

146. Nemo accedat ad Romanam Curiam, niſi de conſenſu diffinitorum in capitulo, & niſi fuerit vir probus, graviſque urgeat neceſſitas provinciæ, conventus, vel monaſterii. Et ſi fieri poteſt, habeatur licentia in ſcriptis miniſtri generalis.

147. Guardiani, & cuſtodes, ſi ejuſmodi licentiam conceſſerint, etiamſi miniſter in remotiori parte provinciæ moram traheret, priventur veſtimento illius anni, & in ſequenti ſint inhabiles ad officia.

148. Nemini liceat ad generalis miniſtri præſentiam ire ſine licentia in ſcriptis ſui miniſtri provincialis, explicata acceſſus cauſa; niſi multum rationabilis cauſa urgeret. Qui contrarium fecerit, a generali miniſtro ad provinciam confuſibiliter protinus remittatur.

149. Si quis propter aliquod litigium, ſcandalum, vel illatam injuriam ſibi, vel alteri, confugerit ad miniſtrum generalem, vel provincialem, non audiatur, niſi ſeriem rei in ſcriptis teſtimonio fratrum conventus oſtenderit.

150. Confirmantur leges XXXIII. uſque ad XXXVII. capituli generalis XXIV.

151. Si quis ob imminentem neceſſitatem aliquid petierit in via, dicat poſtmodum prælato, ſecus puniatur.

152. Nemo ſecum deferat res aliquas, aut ſocios, ex quibus oriri poſſet ſcandalum, vel diſcordia inter principes, ſub pœna carceris.

153. Nemo ſe immiſceat de factis principum etiam requiſitus, diſputando, vel in alterutram partem declinando; ſub pœna privationis officii, inhabilitatis ad dignitates ordinis, & ſi ſe non emendaverit, excommunicationis reſervatæ miniſtro generali.

154. Qui inter fratres de hujuſmodi diſputaverint, aliqua levi pœna afficiantur, ac ter moniti eamdem pœnam incurrant, ac ſi cum ſæcularibus diſputaſſent.

155. Eidem pœnæ ſubſint, qui officium exercuerint exploratorum, cuſtodiarum, tabellariorum, caballariorum, & hujuſmodi. Multoque magis qui arma ceperint, & aliqua ſigna alienæ defenſionis fecerint, niſi pro fidei, religionis, & patriæ ſalute, modo, qui religioſos decet, & quando, & ubi oportet.

156. Similiter eadem pœna puniatur quicumque fratrum ſcelera maxime ſuperiorum detexerit civibus, aut principibus. Inſuper in exilium mittantur, & ſi moniti ſe non correxerint, ſine habitu ejiciantur, ſi commode perpetuo carceri tradi nequeant.

157. Confirmatur lex XCI. capituli generalis XXIV.

158. Miniſtri ſcribant qualitates fratris delinquentis, quem ad Romanam Curiam mittunt, vel ad procuratorem ordinis, vel collocant in aliquo conventu, pro inſtructione ſuperiorum.

159. Significentur procuratori, ac generali a miniſtris, & aliis prælatis delicta fratrum fugitivorum.

160. Neminem in curia procurator acceptet, niſi cognita adventus cauſa, alias carcere punitum ab urbe ejiciat.

161. Miniſtri in licentiis exponant cauſam, ob quam ad urbem venien-

Digitized by Google

niendi licentiam concesserunt, quam dare nequeant, nisi pro negociis ordinis, & sine consensu provincialis capituli.

162. Procurator, & alii prælati non sinant aliquem ire ad curiam, aut in ea morari, ad petendam absolutionem alicujus censuræ, vel irregularitatis, vel alterius impedimenti cujuslibet, nisi prius puniti essent de talibus, & licentiati ad absolutionem petendam.

163. Quicumque sine licentia capituli generalis taliter dispensatos in conventibus acceptaverit, privati sint ipso facto officiis, & actibus legitimis.

164. Minister generalis habeat regestum ordinis, & præterea librum, in quo singulorum fratrum crimina notentur, accusationes, querelæ, quæstiones &c. cum die mense, & anno. Punitos quoque, & infames, nisi de eorum sublevatione authentice constiterit, excommunicatos insuper, citatos, vel alias innodatos ad nullos honorum gradus promoveat, vel promoveri permittat.

165. Nemo peregrinetur pro alieno voto satisfaciendo.

166. Ministri provinciales non possint mittere fratres, nisi ad certam provinciam, cum conditione, ut se ministro illius provinciæ præsentent.

167. Ministri cismontani non possint recipere fratres de observantia, seu familia ad se venientes sine licentia eorum prælatorum, si pontificum literas de non infestandis locis, conventibus, & monasteriis fratres de familia observaverint. Secus ministris jus sit, eosdem fratres sine licentia obtenta (petita tamen) recipere.

168. Tales recepti probentur per annum, post quem habeant literas testimoniales receptionis. Interim vero non promoveantur ad sacros ordines, nec ad officia.

169. Non possint recipi, nisi a ministro provinciæ, in qua fuerint nativi. Et si ab alio ministro recepti fuerint, sint illius provinciæ, in qua fuerint recepti.

170. Fratres de familia probi, graves, & multi exempli non indigeant vitæ probatione, si recipiantur, ut recipi debent, reverenter, & gratiose.

171. Sit inter conventuales, & fratres de familia sancta, & fidelis conversatio, & si quis eis detraxerit inveniatur, bono, & honesto modo moneatur.

172. Ministri ultramontani excommunicari faciant eos, qui commovent reges, & populos, ut sub nomine reformationis occupent potiores conventus.

173. Circa necessitatem equitationis, in Romana Curia attendatur judicium procuratoris ordinis.

174. Non debeant fratres transire in curru duarum, vel quatuor rotarum.

175. Juvenes nullo modo teneant equos, eisve utantur, nisi sint debiles, vel infirmi, vel longum iter sit peragendum.

176. Equitare possint ministri, custodes, magistri in theologia, prædicatores egregii, commissarii, & visitatores provinciarum, ne infirmitatem incurrant. At in equitatu humilitas, & paupertas reluceat.

177. Fratres hospites etiam alterius ordinis excipiantur hilari, & læto animo, quibus laventur pedes, et,

Digitized by Google

&, si opus est, triduo quiescant in cameris aliquibus accomodata supellectile instructis.

178. Conventuales recipiant fratres de familia, & vicissim ab illis recipiantur, sub pœna privationis officii, & exilii.

179. Omnes pecuniarum eleemosynæ tam communes, quam particulares retineantur penes procuratorem, seu syndicum apostolicum, donec in licitos usus convertantur.

180. Ministri, ubi fuerit necessitas, possint instituere plures procuratores, atque etiam procuratrices.

181. Singuli fratres infra spatium octo dierum, postquam habuerint præsentiam guardiani, ipsi manifestent suas eleemosynas. Guardianus eodem modo custodi, & custos ministro, sub pœna proprietarii, & si pluries aliquis in ejusmodi deprehensus fuerit, scilicet, pecuniam super se detulerit, vel publice attrectaverit, puniatur pœna carceris, & privetur recursu ad pecuniam, quæ fabricæ, vel aliis fratrum necessitatibus applicetur.

182. Ministri, & visitatores in prima visitatione notent in scriptis eleemosynas traditas procuratoribus, in secunda expensas factas. Quod si pecuniæ distractæ fuerint notabiliter sine procuratore, & licentia ministri in scriptis, qui distraxerit furti damnetur.

183. Deponantur in capitulo visitatores in his negligentes.

184. Ministri, custodes, & guardiani sub pœna suspensionis cum institutione vicarii, neminem puniant ablatione pecuniarum ejus usui destinatarum.

185. Fratres nullius industriæ, ac doctrinæ opulenti, & pecuniosi expolientur facultatibus, quæ conventibus applicentur.

186. Pecunia non tangatur, nisi modeste, & ex causa rationabili.

187. Fratres, qui inconsultis ministris, & custodibus pecunias apud se, vel alios retinuerint, puniantur ut proprietarii.

188. Reus sit pœna carceris, & incurrat excommunicationem quicumque asseruerit, quod frater non possit, rem sibi necessariam emere, vel solutionem facere de eleemosyna pecuniaria per nuncium illius, qui emit, vel illius, a quo est data fratribus.

189. Eidem pœnæ subjaceat qui assenserit, non esse licitam congregationem vini, & grani, si fratres, ex judicio ministri, & custodum, sola mendicitate substentari nequeant.

190. Nemo debita contrahat, vel pecunias, aut res alias sæcularibus mutuo det, vel vendat sub pœna privationis actuum legitimorum, & graviori, si res usui suo destinatas vendat, aut in pignus det.

191. Consentiente majori parte discretorum licitum id sit guardianis in magna necessitate.

192. Eleemosyna data ab amico non dispensetur sine licentia prælati, nec incerta applicetur usui particulari.

193. Guardiani, & discreti non contrahant debita sine licentia ministri, neque notabile ædificium ponant, neque incidant arbores villæ, imo ex officio aliquas plantent. De his reus privetur officio, quod si non habuerit, expellatur de loco.

Digitized by Google

194. Nulla pacta faciant fabricarum præfecti cum architectis sine aliquorum patrum testimonio, qui in emendo, & vendendo consulantur; reddantque de singulis rationem, alias per decennium careant officio, etiamsi nulla noteutur fraude.

195. Absque speciali licentia ministri, non possint fieri pacta, conventiones, depositiones, fidei jussiones, aliique contractus cum personis laicis; quæ si facta fuerint, sint irrita.

196. Ministri, custodes, inquisitores, commissari, & visitatores ministrorum, vel generalis reddant rationem propriæ administrationis in capitulis.

197. Guardiani, & procuratores locorum coram discretis, & aliis, qui interesse voluerint rationem reddant, neque propter hoc desistant, dato quod omnes vocati non interessent; possint tamen in casu usque ad mensam protrahere, & nulla excusatione ulterius. Discreti autem sub pœna excommunicationis sint bene oculati.

198. Alii fratres reddant rationem ministro, vel custodi, si fuerint requisiti.

199. Guardiani, & procuratores, qui debito tempore rationem reddere distulerint, priventur officio ipso facto, & si moniti se non correxerint, sint ad officia inhabiles.

200. Guardiani compellant procuratores suos ad rationes reddendas.

201. Procuratores priventur ipso facto officio suo, si præter quotidianas, & ordinarias expensas, probatamque expendendi consuetudinem, aliud expendant. Possit tamen guardianus aliquando aliter providere.

202. In quolibet conventu sint duo libri magni, in quorum uno guardianus, vel procurator omnium receptorum, & expensorum nomina distincte, & non summatim inscribat, præsentibus aliquibus discretis, si summa sit notabilis. In altero scribat unus ex patribus conventus concorditer assignatus a quo in eorum præsentia rationis summa scribatur. Ambos tamen successoribus assignent integraliter.

203. Promovendi ad bachalaureatum pro cursu in studiis generalibus jurent in manibus generalis, vel provincialis ministri, se per tres annos sequentes lecturos quatuor libros sententiarum, in quarto bibliam, si opus fuerit, in quinto se responsuros cuilibet magistro regenti in eadem universitate, & scholis suis.

204. Nemo pro bacchalaureo cursus ad legendas sententias ab aliquo collegio extra ordinem acceptet, absque licentia in scriptis ministri generalis.

205. Si in studio theologiæ auditores inepti invenirentur, possint regentes cum consensu ministri legere philosophiam.

206. Possit minister generalis instituere plures bachalaureos in eodem studio.

207. Volentes legere præponantur nolentibus, & isti instituantur loco illorum.

208. Custos non possit exercere officium legendi.

209. Promoti ante capitulum generale non possint amoveari in sequenti capitulo generali, ad quod ipsi scribant.

210. Ministri visitent studia, turbato-

batores pacis expellant, bonos in locum malorum subrogent, qui si sint alienæ provinciæ, ad illam remittantur, & in nativo conventu non collocentur. Generatim vero juvenes mittantur ad studia extra conventum patriæ eorum.

211. Eligantur a provinciis ii, qui ad studia sunt mittendi, & promovendi proponantur a ministris suis in capitulo generali. Qui alium modum, vel medium tentaverint, careant officio.

212. Nullum munus, nullaque pecunia ob id detur cuiquam, etiam familiari ministri generalis. Post promotionem tamen possit dari munus procuratori generali de communibus eleemosynis pro exonerandis ordinis expensis.

213. Studentes, expletis studiis, redeant ad conventus proprios.

214. Quotidie post prandium fiant circuli, & disputationes, nec minus puniantur qui disputationes, quam qui lectiones præteriverint.

215. Conducti ad legendum extra conventum, non legant in conventu, nisi urgente necessitate.

216. Lectores, bachalaurei, & studentes docti exerceantur alternatim prædicationibus intra, & extra conventum, exeantque plerumque ad prædicandum in quadragesima.

217. Non accedant ad lectiones extra conventum illi, qui divinis interesse tenentur. Quum vero studentes ad lectiones egrediuntur, patres, & alii non studentes semper divinis intersint, eorumque neminem lector secum ducat, sub pœna privationis lecturæ, si remanentes ad divina persolvenda non sufficiant.

218. Lectores, & studentes habeant necessaria ad vitæ substentationem tempore tam sanitatis, quam infirmitatis, & conventus, in quibus degunt eos provideant.

219. Expensas pro libris emendis, & vehendis faciat conventus, cujus frater fuerit, vel eo deficiente, custodia, aut provincia.

220. Libri decedentium transmittantur ad conventus, unde venerant.

221. In quolibet conventu fiat collectio librorum, quorum custodiæ præficiatur unus probus, vel duo de conventu cum inventario authentico, quod guardianus infra duos menses ab inito officio suo ostendat fratribus conventus, ipsumque renovet, vel videat.

222. Applicetur ad sumptus ordinis eleemosyna apostatarum, & eorum, qui inserviunt prælatis, vel dominis, arbitrio generalis.

223. Incurrant ipso facto excommunicationem studentes, qui conspiraverint contra prælatos, in dedecus religionis.

224. Studentes habeant literas suæ promotionis ostendendas prælatis, & literas testimoniales, quum redeunt a studio, signatas a guardiano sigillo conventus de consensu discretorum, vel a ministro cum aliquorum fratrum consilio.

225. Si conventus studii gravetur, alleviatio incipiat prius ab aliis, quam a studentibus, et studentes potius expellantur qui male vivunt, quam qui male addiscunt, non tamen si sint negligentes.

226. Nullus patrum discretorum socium habeat, nisi virtute præditus, vel ætate gravior.

227.

227. Socius patris, quando conventus ejus opera indigebit in divinis, vel humanis, guardiano obediat, & si pater contradicat, privetur socio.

228. Nemo patrum alienæ ecclesiæ inserviat, sub pœna privationis paternitatis, & expulsionis a conventu post tertiam monitionem.

229. Humilibus officiis coquinæ, mendicationis &c. aliquando se patres & magistri exerceant.

230. Patres juvenes, qui non fuerint XL. annorum, neque propter magisterium, aut prædicationem exempti fuerint, fungantur officio hebdomadarii, præsertim ubi non fuerit copia fratrum, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ.

231. Fratres non edant libros in lucem sine examine ministri, vel capituli generalis, sub pœna privationis actuum scholasticorum, & legitimorum, ac librorum usu. Examen autem faciant quatuor in S. Theologia magistri.

232. Approbatio, vel improbatio referatur in acta ordinis per ordinis scriptorem.

233. Minister generalis possit per se concedere facultatem edendi libros viris in ordine literis egregiis.

234. Nemo audeat propositiones a S. Sede damnatas defendere, libellosque edere in infamiam prælatorum, & religiosorum, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

235. Quilibet fratrum alterum ministro, vel suo superiori denuntiet, qui propositionem de moribus suspectam, aut per theologos reprobatam defenderit, atque is, si admonitus non destiterit, carceri tradatur de consilio discretorum, donec se emendaverit.

236. Fratres non literati post horam matutinalem in hyeme dicant septem psalmos pœnitentiales, in æstate eosdem post nonam, quando præsidens jusserit. Post horam vespertinam dicant vesperas defunctorum cum uno nocturno, & laudibus. Post completorium: *Benedicta Tu*. Post *Ave maria* in sero faciant disciplinam, saltem semel in hebdomada.

237. Laici, & juvenes vacent mundationi domus, purgationi vasorum, cultui pomariorum, & hortorum.

238. Merces debita quandoque laborantibus, si pecuniaria sit, detur procuratori; sin alia, guardiano, qui eam præcipue applicet usui illius, qui laboravit, si indigeat.

239. Ars fabrilis, & aliæ, quæ sine strepitu non possunt exerceri; insuper illæ, quæ spectant ad vanum mulierum ornatum; artes negotiationis, & procurationis judicialis eliminentur, sub pœna suspensionis, & ad omnia officia inhabilitationis, præterea carceris:

240. Nemo sit judex, aut arbiter quæstionum sæcularium.

241. Non teneantur in conventibus scholæ sæcularium quorumcumque etiam nepotum, & affinium. Possint tamen sæculares, de ministri generalis licentia, interesse publicis lectionibus grammaticæ, vel aliarum artium liberalium.

242. Nemo sæcularis studiorum causa habitet in conventu, etsi ad ordinem esset recipiendus, sub pœna infra quindecim dies privationis cameræ, vel expulsionis a conventu.

243. Fratres non exerceant medicinam, vel chirurgiam maxime cum sæcularibus, præsertim ubi est peri-

cu-

Digitized by Google

culum sanitatis, nisi has artes ante ingressum religionis didicissent, & tantum gratis,pauperibus, & amicis spiritualibus, ubi nullum irregularitatis esset periculum, inservirent.

244. Fratres notabiliter otiosi priventur voce activa, & passiva.

245. Si œconomi, vel syndici conventuum sint negligentes, vel suspecti, & infideles, & de aliis commode suppleri non possit, addatur procurator aliquis frater probus, qui una cum syndico in solidum bona administret.

246. Syndici, & procuratores in tali administratione non maneant ultra triennium, post annum tamen iterum eligi queant.

247. Quilibet conventus suum habeat procuratorem.

248. In singulis locis, ex conventibus alatur unus fidelis sæcularis, aut oblatus, aut eremita, aut frater tertii ordinis, aut plures, qui communes, ac privatas eleemosynas in usus quotidianos deputatas de consensu guardiani expendant. In horum defectu id agat frater procurator conventus.

249. Quidquid ad usum alicujus fratris semel, vel ad vitam legatum fuerit, denuncietur statim ministro, vel custodi.

250. In locis singulis fiant regesta rerum omnium, quæ ad fratres spectant, eaque custos bis in anno videat, sub pœna privationis activæ, & passivæ per duos annos, & vestimenti. Si negligentia guardiani id contigerit, sit ipse officio privatus, ad quod per biennium restitui non possit.

251. Nemo sub pœna proprietarii sine licentia prælatorum, vel fratrum conventus deponat res suo, vel alterius usui destinatas apud sæculares, nec debita contrahat, nec aliquid in pignus det sub eadem pœna.

252. Priventur officio guardiani, qui quacumque ex causa oppignoraverint rem aliquam sine assensu sanioris partis conventus; sitque irritus contractus.

253. Nemo libros, vel aliud emat, ut carius vendat; alias usu illarum rerum destituatur; nec utantur vasis pretiosis sub pœna illorum amissionis.

254. Eleemosynæ pecuniariæ serventur in sacrario sub tribus clavis, quæ diversis tradantur; ibique sit liber designans tempus, & quantitatem immissæ pecuniæ. Tribus clavibus eodem modo claudatur horreum.

255. Nemo sit custos, vel guardianus ultra biennium, post quod quiescat per annum. Neque inquisitoris officium ultra biennium duret.

256. Ministri suo triennio sint contenti, nisi provincia, vel generalis aliud judicaverit.

257. In conventibus, qui carent patribus, & magistris, hi ponantur undecumque fuerint.

258. Nulla fiat fratrum incorporatio, vel excorporatio sine consensu capituli provincialis, nisi minister generalis aliud jubeat.

259. Nemo non officialis habitet in cameris prælatorum ordinis ultra tres dies, & de illorum licentia.

260. Nemo possit esse guardianus, aut custos, nisi fuerit doctor, & bachalaureus theologiæ, aut triennio literis studuerit, aut prædicator dignus, aut frater probus ætate

te saltem XXX. annorum.

261. Soli viri graves ætate XXXV. annorum assumantur in patres conventuum, & si non fuerint in gradu, non gaudeant privilegiis patrum, nisi ætate accedente.

262. Duo officia notabilia non dentur uni personæ, nisi causa speciali urgente, dispenset capitulum generale.

263. Inquisitores eligantur a ministro in capitulo provinciali, salva remanente auctoritate ministri generalis, Sint ætatis XL. annorum. Teneantur renunciare in capitulis provincialibus, & possint eligi pro discretis in quibusvis capitulis.

264. Candelæ, & eleemosinæ oblatæ in exequiis defunctorum, vel alio tempore, recipiantur a procuratore conventus, & communi fratrum usui conserventur.

265. Eleemosynæ obvenientes ratione prædicationis, lectionis &c. aut causa devotionis, pro necessitatibus ipsorum fratrum, quibus concessæ sunt, & aliorum, si opus fuerit, procurator cum superioris licentia retineat.

266. Fratres transeuntes de provincia in provinciam, vel de loco ad locum, possint deferre secum libros, aliasque eleemosynas eorum usui deputatas, ut, quoad vixerint, utantur eis. Post mortem vero redeant singula ad nativam provinciam, & conventum, nisi inde fuerit excorporati, et alibi incorporati legitime, exceptis iis, qui ad aliam religionem transeunt, & conventualibus abeuntibus ad fratres de familia, quorum libri, & eleemosinæ non transferantur.

267. Nemo possit pro quocumque delicto fratrem aliquem excorporare, sine licentia ministri in scriptis; nec famulos, & servitores domus ejicere, inconsultis discretis.

268. Omnes fratres in petenda eleemosyna exerceantur, præsertim juvenes.

269. Eleemosynæ peti queant etiam ab excommunicatis.

270. Notentur in libro nomina benefactorum, & eorum eleemosynæ, qui liber infra hebdomadam in capitulo recitetur, & orationes, ac missas guardianus, vel ejus vicarius fratribus imponat. Idem fiat de benefactoribus, qui ædificia construxerint in toto, vel in parte, aut fratribus notabilia donaria sunt largiti.

271. Ministri, custodes, guardiani, eorumque vicarii provideant infirmos de victu, & vestitu ex communibus eleemosynis. Et procuratores, quæstores, prædicatores, lectores sollicite intendant pietantiis, & procurent eas pro infirmis loco, & tempore, ut facultas dabitur.

272. Infirmarius sit viribus validus, & charitate fervens, atque is præsertim, qui aliquando, vel sæpius infirmus fuerit.

273. Præsidentes provideant infirmis ad requisitionem infirmarii.

274. Libri, aliæque infirmi eleemosynæ resignentur ab ipso infirmo, dum adhuc validus est, in manibus prælati coram infirmario, & testibus confecto inventario.

275. Infirmarius teneatur inducere infirmum ad devotam sacramentorum perceptionem.

276. Decedentes proprietarii, aut obstinati absque sacramentis sepeliantur in sterquilinio, & asinina sepultura.

Digitized by Google

277 Quilibet conventus, vel saltem quælibet custodia habeat nosocomium molliori, & splendidiori supellectile instructum, in quo non possint habitare assidue alii fratres.

278. Infirmi non cogantur ad commune refectorium accedere, donec sint perfectæ sanitati restitui.

279. In magnis conventibus instituatur super infirmariam unus de discretis patribus, qui habeat curam bonorum infirmariæ sub authentico inventario, & quater in anno reddat rationem suæ administrationis. Faciat purgari loca, officinas, & suppellectilem, ejusque officium non duret, nisi per biennium ad plus.

280. Guardiani negligentes circa curam infirmorum, & hospitalitatem, priventur officiis.

281. Ministris generali, & provincialibus reserventur peccata; nimirum inobedientiæ contumacis; lapsus carnis; quæcumque culpa, propter quam scandalum ortum est; defraudatio bonorum conventus; proprietas, & rerum detentio, furtum rei notabilis; injectio manuum violenta; falsum testimonium in judicio; compositio, procuratio, vel publicatio libelli famosi; falsificatio sigilli personæ notabilis; aperitio literarum prælatorum, falsa criminatio &c. Qui hæc commiserit privetur actibus legitimis, & convictus carcere includatur. Qui autem dixerit, quemlibet sacerdotem, ab his absolvere posse, privetur audienda confessione, & contumax carceri detur.

282. Nemo confiteatur alicui extra ordinem; aut impediri queat ullo pacto recursus ad prælatos.

283. Ministri, dum provinciam visitant, committant alicui gravi, & docto viro auctoritatem absolvendi a reservatis.

284. Absolutio non auferat facultatem peccantes publice puniendi, si in foro judiciali convicti fuerint.

285. In judicio de peccatis gravibus ministri, vicarii, visitatores, & judices cæteri utantur consilio decem discretorum, vel ad minus quatuor, qui non sint suspecti; secus judicium reservent capitulo generali, vel provinciali, vel recurrant ad superiorem.

286. Si quis consulentium ad verba injuriosa descenderit, privetur actibus legitimis, consilio, & paternitate, nec relevari possint, nisi per capitulum provinciale, vel ministrum generalem.

287. Nemo alium accuset de crimine, quod probare nullimode potest; secus puniatur pœna talionis.

288. Prælati non revelent accusatis nomina accusantium.

289. Nemo sub pœna carceris deferat nuntios aliquorum dominorum sæcularium ad locum aliquem, vel dominum, inscio suo guardiano, qui ex maturo consilio judicabit an licentia sit danda.

290. Custodes, & guardiani nequeant absolvere ab excommunicatione, quæ incurritur per violentam manuum injectionem.

291. Soli ministro generali liceat absolvere, & dispensare super quibuscumque.

292. Minister provincialis non possit absolvere ab injectione manuum violenta in guardianum, majoresque prælatos.

293. Non recipiatur denuntiatio cujuslibet, nisi deponat ut testis,

eaque non referatur in libros ordinis, nisi superior verisimiliter credat, se testes alios idoneos reperire.

294. Qui denuntiat id, quod per testes probare nequit, puniatur pœna talionis.

295. Si post primam denuntiationem alius denuntiator crimen detulerit, prælatus possit ulterius procedere, & a testibus juramentum recipere. Nisi tamen reum intra biennium citaverit, maxime absentem, nihil reo amplius noceat.

296. Reus plurium personarum testimonio convictus arctari possit ad veritatis pleniorem inquisitionem, & si remaneat infamis, subjiciatur purgationi canonicæ, vel alio modo provideatur honestati ordinis, & famæ illius.

297. Nemo subeat pœnam carceris, nisi pro manifesto, & enormi facinore, & eo ipso sit privatus actibus legitimis, donec restituatur.

298. Carceri tradendus spolietur habitu ordinis, nisi solum pro custodia esset detentus, non pro crimine aliquo, & in exitu carceris absolutus.

299. Guardianus, qui carcere aliquem incluserit, non possit eum extrahere sine licentia ministri generalis, vel provincialis.

300. Nemo loquatur cum incarcerato, aut quovis modo procuret, ut a custodia aufugiat; alias ipse carcere includatur, & emissi pœnas subeat.

301. Nemo sub pœna carceris retineat claves adulterinas in cella sua, vel alibi, aut scalas ligneas, aut funeas.

302. Sit excommunicatus quicumque per se, vel alium falsificaverit sigillum, vel manum generalis, vel principum.

303. Sit ab actu legitimo suspensus qui falsificaverit sigillum, vel manum ministri provincialis, vel ejus vicarii, vel aliorum prælatorum etiam non de ordine nostro. Item qui eorum literas dolose retinuerit, quamvis pertineant ad socios prælatorum. literas laceratas collegerit, collectasque servaverit in jacturam, & dedecus ordinis.

304. Si frater fratri minatus fuerit in personam, deferat caputium probationis imponendum ei a ministro, vel custode. Si manum levaverit armatam, vel inermem, deferat tribus mensibus idem caputium. Si percusserit non graviter, deferat illud per annum; si graviter, post longam carceris macerationem expellatur in perpetuum de provincia, dummodo percutiens fuerit persona vilis. Si fuerit persona gravis, & percussus vilis; per aliquod tempus solum in carcere remaneat. Si percutiens, & percussus fuerint digni, gravior pœna percutienti imponatur. Eodem modo mitius agatur, si vilis vilem percusserit.

305. Qui fratrem, vel sæcularem vulneraverit, mutilaverit, vel alicui venenum dederit, perpetuo carcere includatur.

306. Nemo retineat, aut fieri faciat arma offensionis quæcumque, sub pœna carceris.

307. Qui alium publice infamem reddiderit, non absolvatur, nisi famam, prout poterit, restituerit, videlicet, si falsum, dicat, se mentitum; si verum, dicat, se contra charitatem egisse.

308. Qui falsum coram prælato contra aliquem deposuerit, vel induxerit ad deponendum, vel recte depositum revocaverit, aut revocari fecerit, sit ipso facto excommunicatus.

309. Interdicitur ludus taxillorum, alearum, chartarum, & alii, qui sine strepitu fieri non possunt, tam in conventibus, quam extra, sub pœna privationis actuum legitimorum, & inhabilitationis ad officia, sitque infamis qui luserit.

310. Ludentes, qui moniti se non correxerint, per tres annos in exilium ad aliam provinciam mittantur, & camera ejus alteri detur.

311. Qui pecuniam, librum, vestes &c. luserit, mittatur in carcerem, & quod fuerit in ludo depositum conventui applicetur.

312. Fratres, qui asseruerint aliquem errorem in fide, maxime contra sacramentum pœnitentiæ, damnando, vel deridendo, carceri mancipetur. Eidemque pœnæ subjaceant, & amittant per duos annos paternitatem, & exercitium omnium officiorum qui reformari noluerint, vel reformationem impediverint.

313. Auctores libellorum famosorum contra generalem, aut ministrum provincialem, non possint absolvi, nisi auctoritate solius generalis. Qui eosdem ediderit contra alios, absolvi queat auctoritate ministri. Semper vero excommunicationem incurrat.

314. Puniatur carcere quicumque obloquutus fuerit de summo pontifice, cardinalibus, prælatis, vel constitutionibus apostolicis, aut ordinis.

315. Item quicumque irrogaverit aliis minas, contumeliosa verba, & culpas vituperabiles. Quod si fecerit coram prælatis, nisi dicat culpam in prima mensa, & satisfaciat læso, excommunicationi subjaceat, nec absolvatur, nisi unam disciplinam manifeste receperit.

316. Custos, guardianus, vel illorum vicarius, possit de consilio discretorum detinere fratrem etiam non subditum, qui carcere sit dignus, donec minister provideat.

317. Carceres sint fortes, & multiplices, sed humani; & quælibet custodia habeat saltem unum carcerem, cum compedibus, & manicis ferreis.

318. Guardianus teneatur recipere fratres carceri tradendos sub pœna carceris, & custodire sub pœna privationis officii ipso facto.

319. De incarcerandorum expensis tota custodia provideat, si conventus fuerit impotens.

320. Nemo sub pœna excommunicationis, & carceris etiam, si fuerit deprehensus, verbis ignominiosis, vel turpi, & insolenti gestu prælatum suum aggrediatur. Qui, renuentibus adstantibus manus in ipsum injicere, ubi prælatus jusserit, per duos annos privetur voce activa, & passiva; & cui hæc pœna non competit, privetur vestimento illo anno, & acriter disciplinetur.

321. Officiis, & actibus legitimis privetur quicumque malitiose conspiraverit contra aliquem fratrem, vel insurrexerit in superiorem. Talis autem non existimetur, qui prælatis aliquid intimaverit pro communi bono.

322. Prælati non teneantur sequi apicem stricti juris in suis inquisitionibus, & punitionibus circa delinquentes.

323. Anathematis pœnam incur-

 rat

Digitized by Google

rat qui a proprio judice ad alium in ordine appellaverit.

324. Turbationes conventuum, quæ componi nequeunt per ministrum provincialem, componantur per generalem, qui per se, vel visitatorem auctores turbationum dejiciens ab officiis, de consilio discretorum, expellant etiam a conventibus.

325. Sub pœna inhabilitationis ad officia nemo detrahat fratribus defunctis, eis præsertim, qui pie, & sancte decesserunt.

326. Nemo frater sub pœna carceris, custos sub pœna privationis officii, minister sub pœna suspensionis, fieri faciat aliquam scripturam publicam, vel privatam in infamiam ordinis, vel fratris alicujus. Sed scripturæ fiant per scriptores ordinis, quibus tamquam authenticis notariis fides præstetur.

327. Procurator ordinis in negotiis ordinis defendendis possit substituere procuratores particulares tam fratres, quam sæculares.

328. Privetur actibus legitimis, & cui id non competit, caputio probationis, qui causam depositionis prælatorum, vel correctionem eorumdem, vel dissentionem diffinitorum in capitulo &c. publicaverit.

329. Nemini liceat sub pœna carceris, & expulsionis de conventu mittere literas, aut mitti facere nomine conventus, vel loci custodiæ, vel provinciæ pro quacumque causa, prælatis insciis.

330. Qui mediis sæcularibus impediverit auctoritatem prælatorum, vel officium procuraverit, privetur omni actu legitimo.

331. Ipso facto excommunicationem incurrat quicumque sub quovis prætextu sanctitatis ordinem dividere tentaverit. Et legitime deprehensus carceri mancipetur.

332. Mittantur incorrigibiles cum suis excessibus conscriptis per ministrum, vel custodem, vicarium, visitatorem ad capitulum provinciale.

333. Incorrigibiles contumaces expellantur a provincia, vel etiam ab ordine, vel includantur perpetuis carceribus.

334. Ministri, & custodes divulgent coram capitulo generali nomina fratrum dissolutorum, præsertim eorum, qui nondum puniti sunt, ut puniantur.

335. Nullus professus ob quæcumque scelera possit ejici ab ordine sine licentia ministri generalis; sed tantum transferri a conventu in conventum, custodia in custodiam, provincia in provinciam, aut perpetuo ergastulo puniri.

336. Apostatæ in reditu carcere includantur, nisi rationabilis causa aliud suaserit.

337. Frater pestilens per custodem de custodia emittatur, ut per ministrum in alia collocetur sub regimine magistri deputati, ubi si bene vixerit per aliquod tempus, reducatur; secus mittatur ad generalem cum scriptis ejus conditionibus. Generalis autem ipsum longiori tempore examinandum transferat in aliam provinciam, & quousque de emendatione non appareat, sit privatus utraque voce in electionibus.

338. Pestilentes ii sint, qui pacem, & charitatem turbaverint, sive corrixando, & assidue litigando, sive seminando odia, & scandala inter

fra-

fratres, seu sæculares, qui detraxerint verbo, vel scripto, notabiliter murmuraverint, vel conspiraverint in subditos, aut prælatos, non obedicrint, nisi cum multo murmure; & qui communiter, ob eorum insupportabilem conversationem refutari solent.

339. Apostatæ redeuntes collocentur in loco severioris disciplinæ, nec restituantur ad officia, nisi per ministrum in capitulo provinciali cum assensu diffinitorum.

340. Qui cum notabili scandalo fuerit apostata non restituatur in perpetuum sine licentia generalis.

341. Prælati diœcesani ecclesiarum, & alii debeant favere superioribus ordinis, si requirantur, ut procedant contra illos, qui portant habitum indebite.

342. Ministri provinciales facultatem habeant procedendi contra apostatas etiam alterius provinciæ, & fratres tertii ordinis, qui deferunt caputia ad normam fratrum primi ordinis. Et in hoc facultas concedatur etiam custodibus, & guardianis.

343. Ecclesiastici omnes ad requisitionem nostrorum fratrum teneantur denuntiare excommunicatos omnes, & apostatas, quos capiendi auctoritatem habeat quilibet frater.

344. Nullus ecclesiæ prælatus, nisi fuerit cardinalis, vel legatus a latere, possit fratrem aliquem mittere, aut secum tenere, absque licentia generalis.

345. Scribantur in libris ordinis excessus fratrum enormes, pro quibus pœnæ graviores, & confusibiliores consueverunt imponi, nec libri unquam deleantur, vel destruantur, sine ministri generalis licentia speciali, sub pœna excommunicationis reservatæ generali; & contradictor legitime convictus carcere includatur.

346. Guardianus, aut ejus vicarius quolibet vespere visitet officinas, & alia loca conventus.

347. Fratres, pulsato signo refectorii, conveniant simul in præfixo loco, ibique sedeant cum silentio usque ad signum alterum, quo pulsato, mensæ benedicant, & antequam comedant, audiant lectionem spiritualem, quæ habeatur in prandio, & cœna, & semel saltem in mense ordinationem officii ad horas canonicas.

348. Omni feria sexta legatur regula, & testamentum B. P. Nostri Francisci.

349. Debitis temporibus fratres vadant post refectionem ad ecclesiam capitibus coopertis pro referendis gratiis Deo.

350. In singulis conventibus sit janitor diligens, qui ostia domus custodiat, ne pateant sæcularibus. Guardiani, & vicarii in eo negligentes priventur officiis.

351. Tempore silentii sæcularium nemo, nisi urgente necessitate, conventum intret; nec ipsum ingrediantur mulieres absque eadem necessitate, & superiorum licentia, dummodo sint bonæ famæ, nobiles, & honestis personis associatæ.

352. Pœnæ taxatæ non possint commutari a custodibus, & guardianis, sine licentia ministri, nisi fuerit hæsitatio in conscientia, oblivio in memoria, vel impotentia faciendi in corpore.

353. Ministri possint ex causa rationabili commutare, & mitigare

pœ-

Digitized by Google

pœnas, dummodo non ſequatur detrimentum disciplinæ; alioquin accuſentur capitulo generali.

354. Nemo inferior abſolvat a pœnitentia impoſita a majori abſque illius licentia, vel illo ſuperioris.

355. Miniſtri caveant a multitudine conſtitutionum provincialium, quæ caſſantur, ſi ripugnent præſentibus conſtitutionibus legendis in quolibet conventu ſemel infra duos, vel tres menſes.

356. Habeatur in quolibet conventu inventarium bullarum, ſcripturarum, & privilegiorum ordinis, aſſervatum ſub duabus clavibus, quarum unam guardianus, aliam habeat aliquis diſcretorum.

357. Ubi ponitur excommunicatio, ſuſpenſio, vel privatio, & non additur *latæ ſententiæ in ſcriptis ſedendo prolatæ*, fratres non incidant eo ipſo in eaſdem cenſuras, aut pœnas. Et ubi non exprimitur a quo ſit imponenda, intelligitur ab illo, coram quo probatur exceſſus, dummodo correctio ad illum pertineat.

358. Fratres non incurrant in eaſdem cenſuras, aut pœnas, niſi animo deliberato, & ex certa ſcientia peccaverint.

359. Privatio officiorum ordinis importet privationem etiam prædicationis, confeſſionis, viſitationis, diffinitionis, paternitatis, & electionis pro diſcreto ad capitulum.

360. Privatio actuum legitimorum non importet executionem ordinum, vel teſtificationem in judicio, niſi ſpecialiter exprimatur.

361. Nemo notatus de crimine, vel de turpi facto, vel de infami conſortio mulierum, de inſolentia, latrocinio, factionibus, aut qui non fuerit regularis obſervantiæ, locetur de familia in ſacro conventu Aſſiſii, aut locatus ibidem ſtare permittatur, ſub pœna ſuſpenſionis miniſtri, vel cuſtodis locantis.

362. Miniſter generalis graviter infirmus teneatur declarare coram ſcriptore ordinis, guardiano, & diſcretis conventus, quis ſibi aptior vicarius videatur, ac reſignare ſigillum, & alia ad ordinem ſpectantia, quæ ſigillo ordinis munita in ſacrario ſerventur ſucceſſori tradenda.

363. Idem fiat in morte miniſtri provincialis per cuſtodem, guardianum, & diſcretos conventus.

364. Miniſter provinciæ, in qua deceſſerit miniſter generalis, acceſſitis aliquibus ex vicinioribus miniſtris, ſi commode haberi queant, nominet vicarium unum, vel plures, et nominationis certiores faciat protectorem, & procuratorem generalem ordinis, qui unum ex nominatis, vel alium potiorem poſtulent in vicarium a domino papa.

365. Vicarius fungatur per omnia eadem auctoritate, qua miniſter generalis, & præſideat ſequenti capitulo generali, in quo, ſi qui fuerint ambitioſi, qui promiſſione, terrore, odio agant cum aliis, vel principum, aut prælatorum, aliorumque ſæcularium favorem captant, vel quocumque modo ſimoniæ notam incurrant, de iis ante electionem diligenter inquirat, eoſque puniat, non modo expellendos per capitulum, verum & carceri mancipandos.

366. Ante electionem miniſtri, vocales conſultent inter ſe publice, & privatę de providendo bono paſtore,

re, qui is sit, in quem plures, medietate omnium eligentium voces consenserit.

367. Si minister provincialis moriatur in capitulo, & provincia sit vere reformata, & observans, possint fratres ibidem congregati alium sibi ministrum renuntiare, quamvis ad hoc missi non fuerint, nec vocati. Aliter non eligant sine visitatore, vel commissario generali; sub pœna nullitatis, si elegerint.

368. Minister provincialis in capitulo provideat de custode cum consilio, & assensu diffinitorum, requisito etiam fratrum, & discretorum consilio de custodia in capitulo existentium.

369. Custos præteriti anni cum discretis custodiæ poterit proponere in scriptis, vel postulare quos voluerit officiales custodiæ.

370. Excepta manifesta necessitate, nemo peragat simul munus custodis, lectoris, & visitatoris.

371. Nemo admittatur ad officia ordinis, qui fuerit ineptus, vel dissolutus, vel infamis, vel frequenter maneat in curiis dominorum, exceptis iis, qui ibidem, aut alibi oportet, vel expedit exerceri.

372. Minister generalis indigne electos deponat, & ministros provinciales corripiat. Item pro bono reformationis possit providere de guardiano, & custode in principalioribus conventibus.

373. Si contigerit, ministrum provincialem puniri, eo puniatur modo, ut non reddatur subditis suis contemptibilis.

374. Minister incorrigibilis, vel insufficiens in capitulo provinciali ab officio suspendatur, & vicarius instituatur de consilio, & assensu majoris partis capituli, rejecta omni appellatione.

375. Causa incorrigibilitatis a capitulo approbata sub sigillis vicarii, vel custodis significetur ministro generali, ad quem tamen non opus est mittere, si in capitulo adsit visitator, vel commissarius ab eo specialiter deputatus.

376. Insufficientes ministri reputentur, si sint remissi, negligentes, excessibus notabilibus dediti, si assumpserint juvenes, et eos, qui non sunt reformati, si juvenes ad devotionem, et Dei timorem non compulerint, si munera potius, quam probitatem respexerint, si non curaverint observantiam regulæ, aliarumque constitutionum, et reformationem conventuum, si reformationi cum effectu non intenderint.

377. Extra capitulum non destituantur ministri, nisi pro gravi crimine notorio, evidentia rei, vel legitime probato, seu quia confessus est, sive pro insufficientia manifesta, idque fiat per generalem, seu ejus visitatorem, vel commissarium, cum consilio, et assensu decem, vel duodecim proborum, & discretorum patrum, vel majoris partis eorumdem, et præsertim custodum, vel magistrorum provinciæ.

378. Minister generalis recipiat renuntiationem ministri, qui renuntiare voluerit ex causa rationabili.

379. Ministri Romaniæ orientalis, Terræ Sanctæ, Hiberniæ, & provinciarum, in quibus non celebrantur capitula, instituantur a ministro generali de anno in annum, vel de biennio in bien-

Digitized by Google

biennium, vel ad triennium, prout bonum provinciæ postulaverit.

380. In omni capitulo generali, & provinciali ferantur sententiæ criminum, a quibus ministri nequeant dispensare extra capitulum. Sed sequenti anno capitulum provinciale possit mitigare pœnam, vel tollere.

381. Minister provincialis sine consensu capituli nequeat rescindere sententias, et decreta ministri sui prædecessoris.

382. Nemo audeat alium appellare nomine superaddito maxime extraneo, secus pane, & aqua coram omnibus puniatur, eamdemque pœnam subeat qui inter vocandum simplici utitur nomine, non adjecto *frater*, *vel pater*, *soror*, *mater*.

383. Auctores nominis contumeliosi, vel odiosi excommunicationem incurrant.

384. Venientes ad ordinem possint mutare nomina sua, & suscitare appellationes proborum defunctorum patrum.

385 Superscriptio epistolarum fiat *venerabili*, *vel venerando*, cæteris *religioso fratri*; et nisi scribens fuerit minister, tunc *dilecto* etiam scribere poterit. Generali ministro, vel vicario, vacante generalatu, scribatur: *Reverendisssmo*.

386. Ministri visitent conventus, et loca strictioris observantiæ, fratresque inibi degentes concurrant in expensas ordinis. Qui contra senserint rejiciantur tamquam indiscreti, & opinionis erroneæ.

387. Possit generalis minister in visitatione ordinis substituere sibi aliquem socium regionis, in qua fuerit, vel alterius, qui mores, & linguam illius patriæ noverit, & subrogare aliquem scriptorem, ne cum superflua sociorum multitudine gravet provincias, quas visitat.

388. Non permittat fieri expensas excessivas; & scriptor ordinis eas, quæ fiunt, videat, & muniat propria manu.

389. De iis, quæ sibi obveniunt ratione personæ, vel officii dati, aut legati, vel offeruntur, reddat rationem per suum eleemosynarium in capitulo generali.

390. Minister provincialis de consilio capituli provincialis habeat unum socium providum, & discretum, unum scriptorem fidelem, si socius pro scriptore non suffecerit, & unum honestum servitorem, quibuscum lustret conventus suæ provinciæ.

391. Minister generalis, aut provincialis, dum transeunt de loco in locum, non habeant, nisi duos fratres, qui eos comitentur, & moderatos faciant sumptus.

392. Minister generalis possit secum ducere per provinciam ministrum provincialem, maxime si reformatione in provincia opus sit.

393. Si conventus, per quem frequentius transeunt minister generalis, et provincialis, judicio prælatorum, expensis faciendis sit ineptus, expensæ ipsæ taxentur proportionaliter in totius provinciæ locis per ministrum provincialem.

394. Alias expensas faciant custodiæ, non juxta numerum locorum, sed juxta eorum qualitatem, ita ut deficiente uno loco, conventus potior, vel custodia, vel provincia succurrat.

395. Ex eleemosynis primo satisfiat expensis totius ordinis. Secundo expen-

expensis provinciæ. Tertio custodiarum. Quarto conventuum, & locorum in communi. Quinto privatorum fratrum. Demum guardiani, nisi aliò commigraturus esset. Qui secus fecerit, vel senserit, in officiis ordinis non ponatur.

396. In prædictis expensis custodes possint præcipere guardianis, & ministri custodibus.

397. Custodes omnes teneantur videre regesta, computumque, & rationes guardianorum discurrere, & emendari, secus priventur vestimento illius anni, tradendo illud alteri, qui loco ejus, jussu ministri satisfecerit.

398. Videantur ante omnia bona sacrarii, infirmariæ, dormitorii; & cæterorum locorum, si nitide, & honorificè custodiantur.

399. Nec custodes, nec ministri possint, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & suspensionis officiorum, concedere alicui licentiam extra ordinem commorandi, etiamsi in beneficiis, & eremitoriis curent permanere. Imo licentiatos revocent.

400. Guardiani in omni congregatione fratrum suorum præcedant omnibus subditis, qui non sunt in majori prælatione.

401. Guardiani instituantur doctrina, prudentia, & ætate conspicui, ne magistros, solemnesque viros pudeat talibus subiici.

402. Vicarii, & commissarii in provinciis, & conventibus non instituantur, nisi in causis necessariis ad certum tempus, vel in causa reformationis.

403. Nullus locus retineatur in commenda, nisi in casu reformationis, aut specialis commissionis, sub pœna privationis actuum legitimorum, & inhabilitationis ad officia ordinis per decennium. In commenda intelligitur, quando ultra annum de conventu, fratribus, & eleemosynis aliquis ita disponit, ut ministri visitatione non videatur indigere.

404. Conventus possint interdum guardianorum titulo, personis præstantibus commendari, dummodo custodibus, & ministris visitantibus solitam reddant de omnibus rebus rationem.

405. In omni conventu adsit peculiaris camera pro guardiano in dormitorio aliorum fratrum, quæ ab aliquo occupari, & retineri non possit.

406. Item adsit peculiaris camera officio ministrorum, vel generalis deputata.

407. Fratres juvenes non graduati, nec probitate præcipui, non habitent extra dormitorium, nec etiam in locis, ubi possit aliunde haberi ingressus, quam per commune ostium dormitorii.

408. Patres, & discreti intelligantur illi, qui fuerint custodes, vel solemnium conventuum guardiani, vel in alio officio occupati, nisi de more adscripti fuerint per suos ministros.

409. Procurator ordinis instituatur à ministro generali in generali capitulo, de ipsius capituli, vel majoris partis consilio.

410. Sit vir præclarus doctrina, prudentia, vitæ sanctimonia, & ætate; non cupidus, nec ambitiosus; fidelis, solicitus, & obediens generali ministro, paratus pro defensione

Digitized by Google

ordinis omnia perpeti.

411. Singulis annis generalis minister eum, vel alium de novo instituat, quæ institutio in scriptis appareat.

412. In quolibet capitulo generali requiratur ministrorum, & diffinitorum consilium, an procurator sit in officio retinendus, vel alius subrogandus, seu potius omnino removendus.

413. Causa amotionis sit, si fuerit irreformatus, & negligens in officio, inutilis, et infideli.

414. Procuratori cismontano assignetur a ministro generali socius ultramontanus, & e converso, qui cuncta in scriptis notet, & de omnibus reddat rationem.

415. In capitulo generali immediate post ministros resignet officium, se accuset, & veniam postulet.

416. Generalis, & procurator ordinis victum recipiant a conventu loci, ubi erit Romana Curia.

417. Procurator vestitum, & alia recipiat a ministris provincialibus in capitulo generali, vel extra, & de omnibus sibi advenientibus ratione personæ, vel officii reddat rationem in capitulo generali.

418. Caveat ab excessivis expensis, servetque laudabilem consuetudinem, & mediocritatem.

419. Conventus, & loca procuratori pro sustentatione sui, & socii moderate subveniant, si eleemosynarum penuria, conventus ille, ubi moram trahit, procuratoris expensis forte non sufficiat. *Non legis loco id ponitur, sed hortationis.*

420. Quilibet inquisitor hæreticæ pravitatis solvat procuratori tres florenos, pro causis officii sui defendendis.

421. Singula, quæ recipit procurator, expendat pro particularibus conventibus, seu personis, pro communibus causis, & pro utilitate ordinis in communi.

422. Minister generalis possit eligere duos procuratores, unum cismontanum, alterum ultramontanum, dummodo non sit minister, vel in alio officio solemni constitutus.

423. Fratres, qui ab urbe revertuntur, secum deferant expensas in scriptis taxatas a procuratore ordinis; secus sint privati omnibus actibus legitimis, nec absolvantur, nisi procurator testetur eorum innocentiam.

424. Impediat procurator, ne fratres impetrent aliquid his legibus contrarium, quod si fuerit impetratum, prælati appellent ad Papam, sumptibus provinciæ.

425. In monasteriis fratrum, & sororum exemptis fratres possint prædicare, episcopo contradicente, nisi ipse actu prædicare vellet.

426. Nemo conventualis prædicet in locis fratrum de familia sine licentia non solum sui superioris, sed etiam vicarii, aut præsidentis illius congregationis. Et e converso nemo fratrum de familia prædicet in conventibus, sine licentia ministri. Idipsum observetur circa confessiones.

427. Sint excommunicati omnes illi, seu conventuales, seu de familia, qui mordaci stylo disputaverint de regula, & constitutionibus in pleno invicem populo, & se contemptibiles fecerint, & transgressores mutuo

Digitized by Google

tuò appellaverint.

428. Nemo prædicet in quadragesima extra conventum, si minister eum alibi deputaverit. Si autem non haberet conventum ad prædicandum, poterit alibi prædicare de licentia ministri. Et qui contrafecerit, privetur gradu, vel officio, quod habet. Si non habeat, privetur actibus legitimis, & si videbitur, carcere includatur.

429. Ministri, & diffinitores in capitulo provideant de prædicatoribus in tota provincia, quorum si aliqui supererint, concedantur requirentibus etiam extra ordinem.

430. Nemo admittatur ad audiendas confessiones, nisi idoneus, qui noverit discernere inter mortale, & veniale, inter circumstantias aggravantes, & in aliam speciem peccatum trahentes, interque casus episcopo, & summo pontifici de jure reservatos.

431. Nullus audiat confessiones, nisi patentes literas receperit a ministro de consilio diffinitorum, & nisi certis horis a presidente, seu capitulo provinciali statutis.

432. Confessores institui nequeant ante vigesimum octavum ætatis annum, maxime si mulierum confessiones audire debeant. Excipe, nisi doctrina, & studium continuatum suppleant.

433. Rebelles prælatis, & qui publicè alium infamaverint, ultra alias pœnas, uno anno non audiant sæcularium confessiones.

434. Sit inter confessores competens spatium, non minus sex cubitorum, ut etiam surdastro confitendi sit copia.

435. Qui habuerit colloquia crebra, & prolixa cum mulieribus, amoveatur ab officio confessionis.

436. Guardiani, & custodes, qui has leges non servaverint, sua illius conventus, in quo deliquerint, priventur tunica.

437. Quidquid valde perniciosum visitator in provincia invenerit, quod minister, & diffinitores corrigere non possent, nec vellent, mittat illud sub sigillo suo, & ministri ad capitulum generale. Quod si minister, & capitulum provinciale facere renuant, solus visitator transmittat.

438. Visitator accuset capitulo generali, & inter visitandum generali ministro, sumptus magnos, si eos invenerit, & inutiles, ædificiorum, vestium, discursuum, clausuræ, proprietatis, aut equitationum, aliarumque relaxationum regularis disciplinæ, & explicet, an id sit culpa custodum, guardianorum, vel ipsius ministri.

439. Generalis ex visitatorum informatione provideat.

440. Visitator nec verbo, nec scripto exprimat provinciæ, aut ejus capitulo statum provinciarum, vel suam intentionem, neque aliquis id ab eo requirat.

441. Generalis intraturus provinciam aliquam possit sibi reservare visitationem solemnium conventuum, & monasteriorum. Teneatur autem infra decem, vel duodecim annos visitare omnes provincias ordinis, exceptis Daciæ, Hiberniæ, Græciæ, & Terræ Sanctæ.

442. Infra decennium ad semel visitatam non redeat, nisi transitus, vel urgentis necessitatis causa.

443. Ubi prædeceſſor dimiſerit, ibi viſitationem inchoet ſucceſſor; & ſi impediatur, viſitationem per alios exſequatur, de conſilio generalis capituli, vel aliquorum ordinis diſcretorum.

444. Si alicubi inveniat periculum, vel reſiſtentiam, poſſit recurrere ad favorem ſæcularium.

445. Singuli miniſtri, qui præſunt parvis provinciis, ſingulis annis; qui magnis, ſecundo, vel tertio anno publicè, & privatè viſitent, quoties pro reformatione erit opportunum. Secus a ſuis officiis abſolvantur.

446. In viſitatione colligantur dicta, ſeu depoſitiones omnes fratrum, ſive laudis, ſive opprobrii.

447. Viſitentur omnes officinæ, ſacrarium, altaria, hoſpitium, infirmaria, cellæ, horti. Conſiderentur horrea, pavimenta, tecta, parietes. Abſtrahantur vana, & prohibita, & corrigantur auctores.

448. Viſitentur procuratores, magiſtri novitiorum, & alii officiales. Inſpiciatur, ſi juvenes orationi, & lectioni vacent, ſi in ſtudiis alternatim prædicent, ſi ſtudeant, ſi bene vivant; ſecus ejiciantur.

449. Inſpiciatur ſi fratres extra ordinem morentur, ſi aliqui ſint dediti venationi, vel aucupationi cum detrimento eccleſiæ, vel conventus, & ſi moniti non deſiſtant, mittantur ad alios conventus.

450. Dum miniſter viſitat, portæ conventus ſint clauſæ, nec aliquis ſine miniſtri licentia tunc exire, vel cum ſæcularibus loqui audeat.

451. Videantur omnia regiſtra, libri, & alia. Dentur pœnitentiæ ſecundum inventa delicta, præterquam in criminalibus, in quibus procedatur modo conſueto, & fiat communis abſolutio.

452. Omnia uſui fratrum applicata in ſcriptis miniſtro præſententur, qui, ut opportunum videbitur, de eis diſponat.

453. Qui integre non detexerit omnia, ea perdat, & puniatur tamquam proprietarius. Recidivus transferatur ad aliam provinciam.

454. Qui deponit ſuper aliquo crimine ſecretè, ſi illud coram duobus, vel tribus diſcretis non probat, ſubeat pœnam talionis.

455. Cuſtodes, inconſulto miniſtro, neque publicè, neque privatè viſitare poſſint, & in conventibus, ad quos accedunt, nullas cellas, ſeu alia domicilia ſeorſum ex arbitrio retineant. Si quæ impenſæ eorum intuitu exſtarent, reficiantur, ſi commode fieri poteſt; conventus vero, in quo factæ eſſent, nullo modo ad illas teneatur.

456. Nomine monaſterii, quod ex vi regulæ fratres ingredi nequeunt, intelligitur clauſtrum, domus, & officinæ interiores. Sed ad loca alia, ad quæ ſæculares conveniunt, accedere etiam poſſint fratres, de ſuperiorum licentia, prædicationis, vel eleemoſynæ petendæ gratia.

457. Si quis intraverit aliquod monaſterium, pœnam carceris ſubeat.

458. Miniſtri attendant, ut moniales ſibi commiſſæ debitam clauſuram ſervent, tam fratrum, quam ſæcularium acceſſus, ſub interminatione maledictionis æternæ, compeſcendo.

459. Compaternitas non contrahatur

hatur cum viris, & mulieribus vilis conditionis, & qui eam contraxerit, non permittat, quantum in se est, se tali nomine vocari. Sed contrahi possit cum viris nobilibus, & generosis, ex quorum consortio decus, & splendor ordini acquiritur.

460. Si quis, sine licentia in scriptis ministri generalis, vel provincialis, accesserit ad monasteria, præsertim S. Claræ, vel ad moniales nuntios inhonestos, vel rei inhonestæ causa miserit, privatus sit officio, quod habet, aut si non habuerit officium, expellatur confusibiliter de conventu, & provincia. Si fuerit alienæ provinciæ, remittatur ad propriam cum confusione.

461. Ministrum in executione pœnæ negligentem accuset apud ministrum generalem custos, vel aliquis pater ordinis, & discretus conventus, sub pœna inhabilitationis ad officia in posterum, & privationis eorum, quæ obtinet.

462. Sint excommunicati, & privati omnibus actibus legitimis, atque insuper carceri tradantur, qui monialium ecclesias, vel crates, vel rotas, vel fenestras visitaverint quocumque colore, qui ad eas mares, vel feminas miserint pro ferendis, & referendis verbis, munusculis enxeriis, seu pitantiis, sine licentia ministri provincialis.

463. Eidem pœnæ subsint parantes, vel parari facientes fercula, & omne aliud decoctionis genus, ut inde ad conventum deferantur, nisi tempore visitationis, vel in adventu prælatorum.

464. Solus capellanus cum socio honesto possit præfatas moniales visitare, ut audiat earum confessiones.

465. Socio interdicatur loquela cum monialibus, dum capellanus audit confessiones.

466. Sub prædictis pœnis capellanus, aut socius non deferant monialibus *ambasciatas*, munuscula, & ejusmodi alia.

467. Ministri nequeant licentiam concedere fratribus accedendi ad monasteria, nisi urgente necessitate, & ex causa rationabili, & honesta.

468. Eam licentiam concedere possint patribus provectis, annorum ad minus quadraginta sex, magistris, & baccalaureis, sive prædicatoribus dignis. Iis autem qui dictam ætatem non attingunt, nec in præfatis dignitatibus fuerint constituti, nullo modo dent talem licentiam, sine consensu in scriptis ministri generalis.

469. Visitator monialium sit vir maturus, & probus, ætatis ad minus quadraginta octo annorum, qui pro libito nequeat accedere ad monasterium; sed solum causa correctionis, vel causæ alterius legitimæ, & honestæ.

470. Visitator non intret ad interiora claustri, nisi opus fuerit, ad modicum tamen tempus cum capellano, & alio seniore; & tunc diligenter prospiciat clausuram, & alia loca. Secus non intret sine licentia ministri in scriptis.

471. Visitatio fiat secreta ad crates, stante visitatore ad extra. Et huic legi subjaceant guardiani, & capellani, exceptis casibus in earum regula contentis.

472. Qui se devotum alicujus monialis appellaverit, vel ex illis suam devotam, vel matrem, vel

Digitized by Google

sororem spiritualem, vel amicam dixerit, vel aliis verbis locutus fuerit, quæ aliquam impudicitiam indicarent, & ex quibus suspicio mali oriretur, subsit pœnis accedentium ad monasteria sine licentia. Quod si moniti se non correxerint, habeantur veluti infames.

473. Eadem infligatur pœna publicis concubinariis.

474. Juvenes non mittantur ad monasteria, nisi ex necessitate, simulque vadant, stent, & redeant, nec ibi colloquantur, sine aliquo maturæ ætatis socio.

475. Capellanus, aut confessor monialium sit ejusdem ætatis cum visitatore. Si absens, vel ægrotus sit, alius subrogetur.

476. Capellani, & confessores eamdem incurrant pœnam, si aliquem admiserint ad colloquendum cum monialibus, sine licentia in scriptis.

477. Si hospitibus adventantibus non possent resistere, sub eadem pœna teneantur eorum insolentiam ministro intimare. Ad idemque teneantur, si viderint suspectam familiaritatem sæcularium.

478. Nullo modo sint mediatores ferendo, & referendo literas, & hujusmodi, sive ad fratres, sive ad sæculares, sub eadem pœna, quam illi, qui talia eorum medio facere procurant, luerent.

479. Puniatur exilio, a quo non possit reduci, nisi per ministrum generalem, quicumque manifestum scandalum in monasterio perpetraverit, vel secretum publicaverit aliis, quam prælatis, ex quo scandalum venit.

480. Hujusmodi scandala ministri denuntient capitulo generali per discretos, & acrius eos puniant, qui scandala revelaverint sæcularibus, quam ipsos scandalorum auctores.

481. Moniales incorrigibiles cujuslibet ætatis transferantur ad alia monasteria, & aliæ ejusdem ordinis bonæ famæ earum loco introducantur. Quod si ministri non fecerint, suspensi sint ab officio.

482. Moniales S. Claræ, quacumque de causa, vel consuetudine, non possint ingredi, & egredi monasteria; nec ministri, aut visitatores eis licentiam exeundi concedant, nisi in quantum earum regula patitur, & sua se extendit auctoritas.

483. Si bona monasterii notabile, & manifestum paterentur detrimentum, aliquæ ex senioribus, & provectioribus possint ad illa accedere, de licentia ministri generalis, dummodo prope fuerit locus, & ibi non pernoctent.

484. In his, & similibus casibus consulatur solus minister generalis.

485. Abbatissa, quæ propria auctoritate egressa fuerit, vel aliis egrediendi veniam fecerit, removeatur ab officio per ministrum de consilio discretorum. Et exeuntes sint inhabiles ad officia, & graviter puniantur.

486. Omnes moniales dormiant in uno communi loco lato, & clauso. Contumacium cameræ per ministros diruantur, qui si fuerint negligentes, judicentur inepti, & insufficientes ad hujusmodi officia.

487. Moniales vivant in communi, nec habeant aliquod proprium in particulari, quoad dominium, non quoad usum, quem habeant cum licen-

Digitized by Google

licentia ministri, & abbatissæ.

488. Nulla monialis alloquatur etiam consanguineos suos sæculares, sine præsentia abbatissæ, vel alterius provectæ, ac bonæ famæ monialis deputatæ, sub pœna privationis veli, aliisque pœnis, & censuris.

489. Minister in hoc præcipiendo negligens privetur cura illius monasterii.

490. Officium nullum, quod sine exteriori colloquio, ac visu exerceri non potest, juveni citra trigesimum annum tradatur. Abbatissa in hoc negligens, absolvatur ab officio in prima visitatione.

491. Vestes sint coloris grisei, uniformes, & clausæ circa collum, cum manicis latis.

492. Si quæ pectore nudo, & capillis prolixis, & sparsis, aut aliquibus fucata coloribus, seu unctionibus incesserit, & admonita non resipuerit, per tres menses velo, & accessu ad crates privetur, nec absolvatur, nisi se emendaverit.

493. Tempore visitationis prohibentur omnino colloquia, nisi duæ, vel tres assistant.

494. Puellæ seculares non admittantur in monasterio, nisi de licentia ministri provincialis, salva auctoritate sedis apostolicæ, quæ aliud præcipiat expresse.

495. Eadem licentia requiratur, sub pœna excommunicationis ad admittendas puellas ad ordinem, aut professionem.

496. Velo, & colloquio privetur per annum, & carceri mancipetur, & si tertio monita se non emendaverit, ad aliud monasterium transferatur quæcumque deprehensa fuerit cum aliquo sæculari conversari.

497. Abbatissa, sub pœna privationis, infra duos menses a sua institutione ordinet in monasterio locum carceris cum sacco ad dandas disciplinas, & hujusmodi alia.

498. Redditus monasterii reponantur in communi loco cum duabus clavibus diversis, quæ consignentur duabus monialibus, de quarum mala concordia non possit oriri suspicio; vel unam teneat abbatissa, alteram conventus consignet uni non suspectæ. Ibique libri majorum expensarum serventur.

499. In monasterio canes magni non alantur, parvorumque vitetur multitudo.

500. Monasterium habeat unicum ostium cum clavibus interiori, & exteriori, ac vecte.

501. Si visitator clausuram repererit non servari, ut decet, mandet capellano, seu confessario, aut alicui personæ probæ, ut horis congruis, præsertim noctu portam clausam clave exteriori teneat.

502. Prohibitum sit fratribus, & sæcularibus dare, & monialibus in custodiam recipere intra clausuram monasterii quæcumque bona, capsas, vel depositum.

503. Minister, dum visitat, ultra duos socios, capellanum, & scriptorem, numquam alios ducat.

504. Ministri, & visitatores a monialibus munuscula non recipiant, neque alicui in monasterio liceat comedere; sed necessitate urgente, extra monasterium fiat.

505. Teneantur telæ nigræ supra crates, quæ nunquam amoveantur, nisi

Digitized by Google

nisi de licentia abbatissæ.

506. Qui monialem de monasterio abstraxerit, vel personam aliam undecumque, ita quod inde possit oriri infamia, præter excommunicationem, puniatur carcere, & bonis omnibus conventui applicandis, camera, & paternitate, et decem annos exulet de illo conventu.

507. In officiales terræ sanctæ eligantur in capitulis generalibus fratres meliores, et devotiores ordinis, vita, moribus, et doctrina probati.

508. Minister generalis nullum mittat ad prædicandum in partes infidelium, nisi præhabito testimonio ministri provinciæ, qui teneatur hujusmodi testimonium reddere.

509 Minister provinciæ mittendos examinet de fide, et doctrina, et requirat ad hoc discretorum fratrum testimonium, et consilium.

510. Item minister provinciæ nemini eundi licentiam concedat, inconsulto ministro generali, etiamsi devotionis causa loca Hierusalem invisere vellet.

Sequuntur leges capituli generalis familiæ habiti Mantuæ sub vicario generali Francisco Zeno anno 1504. 1. Nullus vicarius generalis, vel provincialis commissarius, vel visitator teneatur servare processus, seu confessiones ultra sex menses, post capitulum provinciale, vel generale, si res esset deducenda ad capitulum generale.

2. Qui vellet reclamare, seu queri de injustitia sibi facta, queratur coram suo superiore etiam per literas infra dictum tempus, quo elapso imponatur perpetuum silentium.

3. Nullus vicarius, vel commissarius licentiet fratres ad aliam provinciam, nisi prius constet, provinciam eum velle acceptare. Similiter non possit aliqua ordinare vel ordinata immutare sine consensu majoris partis capituli provincialis.

XLV. CAPITULUM GENERALE ROMÆ. Anno 1506. RAYNALDUS GRATIANUS A COTINIOLA. *Leges* 1. Minister generalis non ultra sexennium maneat in officio.

2. Electio vicarii generalis non fiat de fratre provinciæ, de qua esset vicarius officio functus.

3. Vicarius generalis officio functus non possit assumi ad idem officium, nisi transacto sexennio.

Sequuntur leges capituli generalis familiæ habiti in loco S. Mariæ de Angelis sub vicario generali Hieronymo Torniello anno 1507. 1. Puniantur tamquam apostatæ qui ultra terminum manserint in provincia Candiæ, nisi incorporentur.

2. In eadem provincia guardiani fiant, ut in Italia, a vicario provinciali de consensu diffinitorum, et vicarius habeat unam vocem, quæ prævaleat in æqualitate vocum.

3. Vicarius quolibet anno recognoscat culpam in capitulo coram diffinitoribus, et fiat discussio de defectibus suis, sicut in Italia, et puniatur citra depositionem, quæ si fieri debeat, certior reddatur vicarius generalis, qui illum removeat, et alium instituat.

4. Nemo vadat Hierusalem, nisi completo triennio, cum triremibus peregrinorum, salva necessitate aliud suadente.

5. Vicarius non possit ducere, nisi duos socios; nisi aliter capitulum

lum generale diſpoſuerit.

6. Mittantur Hierusalem tantum duo Fratres de qualibet provincia, juxta necessitatem locorum Hierusalem.

Anno 1509. sub vicario generali Francisco Zeno. Capitulum generale familiæ in loco S. Spiritus Ferrariæ. *Leges* 1. Nemo fratrum quocumque modo, vel quemcumque ob finem recurrat ad sæculares, quantumvis nobiles, pro obtinendis in ordine officiis, vel rebus aliis cum ordine connexis, sub pœna anathematis latæ sententiæ, & privationis actuum legitimorum ipso facto incurrenda. Legitime convicti puniantur carcere.

2. Eadem pœna infligatur iis, qui sæcularibus revelaverit gesta, ordinata, & determinata per prælatos ordinis in provincialibus, & localibus capitulis; præsertim si inde scandali materia detur.

3. A prædictis pœnis nemo possit absolvere, nisi vicarius generalis, præterquam in mortis articulo.

4. Similibus pœnis teneantur illi, qui alios in his deliquentes, de quibus notitiam habuerint, non revelaverint superiori.

5. Vicarii negligentes circa prædicta non possint reelegi in sequenti capitulo, & si id non competeret, priventur tali electione per quinque annos sequentes, nisi se legitimo impedimento excusarent.

6. Nullus prædicator, vel frater alicujus conditionis publice, vel private tractet, vel inducat ad erigendum de novo monasterium, seu monialium, seu fratrum, quod ad curam ordinis deveniat.

7. Non acceptetur ullum monasterium monialium, vel fratrum alterius religionis, nec sæcularibus postulantibus promissio fiat, nisi prius id fuerit propositum in generali congregatione capituli provinciæ, & a vicario generali approbatum. Contravenientes ipso facto sint privati actibus legitimis.

8. Renitens, & obstinatus in dando voces in electionibus discretorum, vel aliorum quorumcumque, sit privatus per triennium voce activa, & passiva, & faciat publice unam disciplinam per *miserere mei Deus*: nisi capitulum provinciale aliud de ipso voluerit disponere.

9. Sub pœna privationis actuum legitimorum, nemo sine licentia vicarii provincialis audiat confessiones monialium, vel sororum nostræ, seu alterius religionis.

10. Nemo sine pœna proprietarii deponat, vel deponi faciat pecuniam apud procuratorem, vel aliam personam, absque licentia prælati, qui determinet tempus, infra quod pecunia debeat expendi.

11. Si quis deposuerit pecuniam apud aliquem, sit proprietarius, nisi ille, apud quem deponitur, sit procurator, vel nuntius, et adsit licentia prælati; & nisi ponatur pro usu destinato, quem sciat guardianus vel procurator loci. Nec possit pecunia in alium usum converti, inconsulto, vel inscio prælato.

12. Vicarius provincialis non mittat aliquem ad studendum extra provinciam, sine consensu diffinitorum.

13. Ad fraudes evitandas licentiæ, quæ dantur, ad alienas provincias, fiant in duplicata charta, & inter plicaturas sigillentur.

Digitized by Google

14. Sit excommunicatus, & carceri tradatur qui sine licentia iverit de uno loco in alium, si non vadit ad prælatum. Si iverit ad prælatum, incarceretur, ut apostata, si non congregaverit prælatos loci, a quo recessit, eisque, vel saltem uni eorum exposuerit legitimam, veramque causam sui recessus.

15. Qui habuerit casum reservatum, de quo non possit habere recursum ad prælatum suum, vel quia guardianus loci nolit, vel quia infirmus est, vel quia non vult exprimere aliis, quam prælato causam suam, conteratur, & confiteatur guardiano suo, vel curam loci in ejus absentia habenti, & erit tutus in conscientia, dummodo, si habuerit copiam prælati, illi casum revelet.

16. Solus vicarius provincialis possit tradere licentiam absolvendi aliquem a lapsu carnis in prima persona. Privetur actibus legitimis qui præter vicarium absolvendi auctoritatem sibi sumpserit.

17. Nemo absolvat mulieres, sub pœna privationis ipso facto audiendi confessiones, quæ incedunt ostendentes mamillas coram aliquibus, quæ se fucant adulterinis coloribus, & quæ utuntur alienis capillis, nisi eis utantur ad regendam propriam nuditatem.

XLVI. CAPITULUM GENERALE ROMANUM. Anno 1510. PHILIPPUS A BAGNACAVALLO. *Leges* nullæ.

XLVII. CAPITULUM GENERALE ASSISII. Anno 1512. BERNARDUS DE PRATO, *Leges* nullæ.

Anno 1512. sub vicario generali Timotheo de Luca. Capitulum generale familiæ in conventu S. Mariæ Novæ Neapolis. *Leges* 1. Commissarius Hierosolymitanus, qui tractat in Italia eleemosynas ipsius loci, reddere teneatur annuatim rationem vicario generali de pecuniis receptis, & expensis.

2. Fratres non accedant ad curiam sine necessitate.

3. Prædicatores apostolici non accedant ad limina Apostolorum, nec ad Portiunculam, absque licentia vicarii generalis, sub pœna privationis apostolicatus ipso facto incurrenda.

4. Candelæ non vendantur in ecclesiis, nec in ipsis retineatur cippum, vel capsa ad recipiendam pecuniam.

5. Nemo recedens a loco pro suo negotio, vel sæcularium, equitet, sine licentia prælati, qui examinet, si sit casus manifestæ necessitatis. Contrafacientes faciant disciplinam publice pro qualibet vice per unum *miserere*. Si guardianus licentiam dederit sine licentia discretorum, puniatur pœna graviori.

6. Prælati sine necessitate non retineant fratres forenses, nisi per diem naturalem, quando accedunt sine licentia, vel obedientia, observatis observandis.

Anno 1514. sub vicario generali Christophoro de Forlivio. Capitulum generale familiæ in loco S. Mariæ de Angelis. Leges 1. Nullus prædicator apostolicus, vigore literarum apostolicarum, exeat suam provinciam.

2. Non possit accedere ad vicarium generalem, dum est in provincia, nisi observata constitutione Ferrariæ.

3. Non possit accedere ad capitu-

tu-

tulum generale, sub prætextu eundi ad vicarium generalem; sed illud, concessum in literis apostolicis, intelligatur extra capitulum generale, & quando hujusmodi prædicatores sunt extra suas provincias.

XLVIII. CAPITULUM GENERALE ROMANUM. Anno 1517. CHRISTOPHORUS DE FORLIVIO. *Leges* 1. Instituatur commissarius, qui præsit ultramontanis fratribus.

2. Quolibet triennio celebretur capitulum generalissimum a ministro generali, ad quod conveniant tam citra, quam ultramontani ministri, & custodes.

3. Si minister generalis decedat, minister provinciæ, in qua decedit, significet id diffinitoribus capituli generalis immediate præcedentis, qui in illa parte intersunt, citramontana, vel ultramontana, eisdemque præcipiat, ut conveniant ad locum aliquem opportunum assignandum ab eodem ministro, pro electione vicarii totius ordinis.

4. In electione præsidebit idem minister, & habebit vocem activam, & passsivam, sicut diffinitores.

5. Ille, in quem major pars consenserit, sit vicarius ordinis pro citramontanis, & ultramontanis.

6. Si ex præfatis diffinitoribus aliquis moriatur, minister provinciæ prædictæ suppleat ejus locum de consilio aliquorum diffinitorum.

7. Advocet idem minister commissarium generalem illius partis, qui similiter habeat vocem in electione vicarii generalis.

8. Vicarius generalis intimet mortem ministri generalis omnibus ministris provincialibus, eosque convocet ad capitulum generale in festo Pentecostes proxime futuro, vel, si possibile non fuerit, in festo Pentecostes anni sequentis.

9. Revelantes facta ordinis puniantur pœna gravissima, & si casus exegerit, priventur in perpetuum actibus legitimis, & officiis ordinis quibuscumque.

10. Rebellantes commissario misso a commissario generali, quacumque de causa, sive prælati, sive subditi, expellantur de provinciis.

11. Provinciales possint, protestatione facta, ex legitima causa scribere ad ministrum generalem contra commissarium. Si causa legitima non reperiatur, puniantur arbitrio ipsius generalis.

12. Nemo accedat ad capitulum generale discreti nomine, sed tantum custodis, & ut tales eligantur in capitulis provincialibus.

13. Quælibet provincia habeat duas voces in capitulo generali, ministri nempe, & custodis.

14. Sorores S. Claræ ordini subjectæ sint sub obedientia prælatorum nostrorum immediate illius loci, seu conventus, & ministri provinciæ. Visitatores vero, ubi habentur, solum sint subjecti commissario generali, donec aliud de iis disponatur.

XLIX. CAPITULUM GENERALE LUGDUNI. Anno 1518. FRANCISCUS LICHETUS A BRIXIA. *Leges* 1. Nemo in capitulo aliquo vocem electivam habeat, plusquam unam.

2. Ubi fuerint duo loca, unus possit dimitti, seu etiam demoliri, arbi-

bitrio ministri provincialis.

3. In exhibenda quarta, seu canonica portione curatis, stent fratres consuetudini, litemque non moveant in quacumque curia.

4. Si frater laicus ad clericatum ascenderit, etiam usque ad sacerdotium, sine consensu ministri generalis, vel generalis capituli, omni honore clericali privetur, nec permittatur canonicum persolvere officium, sed laicorum officium persolvat, & ad statum mere laicalem reducatur.

5. In singulis monasteriis taxetur numerus monialium recipiendarum, per ministrum provincialem, juxta abbatissæ, & discretarum consilium. Hoc intelligatur de habentibus redditus, & in casu multum necessario, arbitrio ministri, & abbatissæ.

6. Nemo appellet a sententia diffinitiva capituli generalis; secus privetur jure, quod per appellationem assequi intendebat, & puniatur arbitrio ministri generalis cum consilio quatuor exdiffinitorum.

7. Moniales S. Claræ de prima, & secunda regula, & Urbanistæ, aliæque religiosæ, quæ reguntur per fratres, non habeant visitatores, aut confessores ab eis electos. Sed isti eligantur a ministris provincialibus in suis capitulis.

8. Visitatores, & confessores monialium, etiam extra tempus capituli, visitari possint, & a suis officiis absolvi.

9. Possint moniales in visitatorem, seu confessorem fratrem aliquem nominare, quem minister cum suo capitulo, si eis visum fuerit, instituere possunt.

10. Custos in capitulo generali omne id exerceat, quod exercebat antea discretus.

11. Impetretur a sede apostolica, quod minister generalis electus, ipso facto sit auctoritate apostolica confirmatus, præsideat capitulo, ordinet, & disponat omnia, quæ ad ordinis regimen spectare noscuntur.

12. Generalis tunc absolutus sedeat juxta novum ministrum.

13. Si quis alias generalatus functus fuerit officio sedeat post ministrum provinciæ, in qua celebratur capitulum.

14. Si minister provinciæ absit, sedeat post guardianum loci, ubi ipsum esse contigerit.

15. Unus commissariorum in Romana curia appelletur procurator generalis, & servet locum in capella pontificia, orationesque in eadem capella habendas certis diebus, & actus alios publicos exsequatur. Alter retineat nomen commissarii ultramontani, vel cismontani juxta nationem suam, & cum omnimoda auctoritate, quam hactenus habuit, quoad partes, pro quibus erit, remaneat.

16. Nec commissarius generalis, nec procurator ordinis, nec commissarius curiæ Romanæ vocem habeant in electione generalis ministri, & in aliis omnibus sint de corpore capituli.

17. Si supplendum fuerit unum votum, ipsum suppleat commissarius generalis; si duo, procurator; si tria, commissarius curiæ; si plura, capitulum.

18. Commissarius generalis præcedat in loco omnes diffinitores, & ministros; procurator ordinis omnes mi-

Digitized by Google

ministros uno latere sessionum; commissarius curiæ omnes ministros alio latere.

19. In capitulo generali eligantur duodecim diffinitores; sex ultramontani, qui eligentur a cismontanis, & sex cismontani, qui electi ab omnibus simul approbabuntur.

20. Omnes constituant unum diffinitorium, qui tractabunt negotia capituli.

21. In proximo capitulo diffinitores possint eligi ex omnibus fratribus indistincte.

22. Electio diffinitorum fiat ante electionem novi ministri, in quorum manibus generalis absolvendus suo renuntiabit officio.

23. Confraternitates suffragiorum nulli dentur, nisi iis, quos minister provincialis, aut custos, aut guardianus in suis administrationibus personaliter nominaverint.

Anno 1520. Sequuntur leges congregationis generalis Burdegalensis 1. Ministri provinciales, & confessores non intrent clausuram monialium nisi manifesta sit necessitas, judicanda per abbatissam, & discretam. Quæ si absque tali necessitate aliquam personam introduxerint, subjaceant apostolicis censuris.

2. Nemo colloquatur cum moniali sub pœna privationis actuum legitimorum, nisi qualibet vice licentiam inscriptis a ministro provinciali obtinuerit.

3. Minister provincialis semper intersit in electione abbatissæ cum uno patre, qui videat, & audiat, qualiter moniales vota aliarum recipientes fideliter se habeant.

4. Minister non proponat in capitulo ullam sæcularem recipiendam, nisi de consensu abbatissæ, & majoris partis discretarum.

5. Neque minister, neque alius ingrediatur monasterium, nisi associatus tribus patribus probatis, quorum tertius esse possit socius ministri.

6. Nemo inferior ministro provinciali, sub pœna privationis actuum legitimorum, equitet, nisi manifestet necessitatem suam vel ministro, vel guardiano una cum discretis.

7. Guardianus necessitatem suam equitandi manifestet ministro, vel discretis.

8. Qui asseruerit, quod possit absolvi a casibus ministro reservatis, occultis, & secretis, super quibus non habetur auctoritas specialis, pro prima vice privetur actibus legitimis, pro secunda carceri mancipetur.

9. Nec commissarius generalis, nec ministri provinciales possint apostatas retinere, sed ipsos ad proprias provincias remittant, sub pœna privationis actuum legitimorum.

10. Nemo possit transire de provincia in provinciam, nisi habeat consensum etiam in scriptis ministri provinciæ; post quem aut incorporetur, aut remittatur ad suam provinciam, ubi in pœnam levitatis portet per unum mensem caputium probationis.

11. Nullus conventualis recipiatur ad observantiam, nisi conversatio ejus per annum ad minus videatur. Et postea poterit incorporari, aut remitti ad suos.

12. Si incorporetur, careat voce activa per unum annum, & passiva per duos ad minus, nisi esset frater notabilis, & hoc judicio ministri, cu-

custodum, & diffinitorum.

13. Qui auſus fuerit respondere prælato, aut prælati vicario in choro, capitulo, refectorio, vel communitate, poſt inhibitionem sibi factam, niſi prius petierit licentiam, privetur actibus legitimis.

14. Qui revelaverit facta ſecreta ordinis perſonæ extra ordinem ipſum, in ſcandalum, mancipetur carceri per duos menſes ad minus.

15. Qui manifeſtaverit peccatum alicujus aliis, præterquam ſuo prælato, & ex manifeſtatione ſit frater infamatus, privatus ſit actibus legitimis.

16. Guardiani veſtiant fratres de ſimili panno, de quo ſe induunt, & provideant fratribus ſicut ſibi, ſi commode fieri poteſt, judicio fratrum loci.

17. Tractent cum humanitate fratres ſuos, ſpecialiter forenſes, & ſuper omnia invigilent curæ infirmorum, ſecus a miniſtris deponantur ab officiis.

18. Guardiani, & abbatiſſæ non inſtituantur, ſi non poſſint ſequi vitam communem quoad chorum, & menſam. Sed aliqualiter melius aliis tractentur, præcipue quando ſunt ſenes.

19. Sine ſpeciali licentia non recipiantur novæ congregationes tertiariorum virorum, ſeu mulierum.

20. Commiſſarius generalis, & miniſtri provinciales non mittant fratres ad partes Hieroſolymitanas, ſine licentia miniſtri generalis. Nec mittant fratres ad curiam Romanam, niſi manifeſta neceſſitate, & de conſilio patrum.

21. Emi facientes curioſa, & ſuperflua ad dandum aliis, non excuſentur a transgreſſione voti paupertatis.

22. Prædicatores apoſtolici gaudeant privilegiis ſibi datis a ſede apoſtolica in favorem prædicationis, quando a miniſtris mittuntur ad prædicandum extra provinciam. In ſuis provinciis per omnia cæteris fratribus ſe conforment.

23. In ſolutionibus fiendis ex blada, vino, aliiſque rebus, pro fratrum neceſſitatibus, omnia per procuratores ſedis apoſtolicæ, non per fratres fiant.

24. Guardiani abundantes aliquibus rebus, debeant eas communicare aliis conventibus penuriam patientibus. Et ad hoc compellantur per miniſtros, niſi conſtet de oppoſita voluntate dantium.

25. Guardiani abſcondentes res hujuſmodi, & ad communicandum involuntarii ab officiis abſolvantur.

26. Nemo compareat in curia alicujus regis, niſi guardiano loci curiæ ipſius propinquioris ſe, ſuaque negotia oſtendat.

27. Guardianus eidem ſocios aſſignet, nec mittat cum proprio ſocio.

28. Qui contrafecerit, privatus ſit actibus legitimis, & deprehenſus diſciplinetur a guardiano, & omnibus in dicta curia quæſitis expolietur.

29. Commiſſarii extra ſuas provincias miſſi ad aliqua negotia, non poſſint eligi in miniſtros, nec mutare aliquid in provincia, ſine conſilio, & aſſenſu provincialis, & patrum.

30. Commiſſiones miniſtri generalis, quæ communiter dantur provincialibus in ſuis provinciis, cum ple-

Digitized by Google

plenitudine potestatis, intelligantur in casibus, in quibus tota provincia, etiam simul congregata, disponere non posset; nec extendantur ad casus, qui provinciæ, & diffinitoribus competunt.

31. Guardiani nullos assignent socios episcopis nostri ordinis, prætextu quarumcumque literarum apostolicarum.

32. Pœnæ, quæ in statutis generalibus infliguntur ipso facto, sic intelligantur infligi, quod quum primo constiterit ministro, vel prælato de admisso crimine, teneatur indispensabiliter pœnam delinquenti infligere.

33. Fratres perturbatores provinciarum, judicio commissarii provincialis, cum provinciali ministro, & majori parte patrum, mittantur in exilium ad alienam provinciam, nec revocentur, nisi de assensu capituli generalis.

34. Commissarii quicumque, & prælati, sub pœna privationis officii, scienter, & deliberate punita per suos prædecessores non renovent, nec in dubium adducant latam sententiam; aut ullo modo de eisdem inquirant.

35. Fratres in capitulis localibus non possint deponere guardianos, vel alios officiales; nec aliorum officialium electionem faciant: sed tantum eligant discretum, qui guardiani visitationem ad capitulum portet, & conventus commoditates procuret.

36. Officiales conventus instituantur a ministro, & diffinitoribus in capitulo.

37. Si alicui conventui de guardiano esset providendum ante capitulum, minister provideat de guardiano, aut alio officiali, cum consilio aliquorum patrum.

38. Guardiani vocem habeant in capitulo provinciali.

39. Discreti eligantur a conventibus mittendi ad capitulum provinciale, etsi obstent statuta generalia.

40. Apostatæ, qui redeunt ad provinciam, per unum annum, qualibet sexta feria, dicant culpam suam in communitate, disciplinentur publice, & jejunent in pane, & aqua.

41. Nulla provincia possit ædificare locum, nisi distet a quocumque loco alterius provinciæ per octo leucas completas.

42. Statuta, seu mandata ministri generalis possint ministri provinciales pie interpretari, seclusis fraude, & dolo.

43. Eadem statuta non obbligent ad mortale, etiamsi obedientiæ mandatum in se contineant, nisi alias ex divino jure, aut ex regula ad illud fratres tenerentur.

44. Nullam fidem præstent fratres literis ministri generalis, etiam propria manu signatis, sigilloque ordinis clausis, si essent contra officium, aut personam ministri; quia non est procedendum contra ministros, nisi per commissarios ad hoc specialiter deputatos.

45. Ministri provinciales, tempore capituli provincialis, cum consilio capituli, possint dispensare cum patientibus defectum natalium, ut ad officia ordinis valeant promoveri.

46. Item possint tempore quadragesimæ, vel alio, instituere duos, aut tres prædicatores, & confessores, de consilio discretorum conventus.

47. Item

Digitized by Google

47. Item poſſint in hymnis B. M. Virginis addere verſum : *Maria Mater gratiæ* &c., dummodo ſit uniformitas in provincia.

48. Item poſſint inſtituere ſuos commiſſarios ad abſolvendum, diſpenſandum, & commutandum in Jubilæo pro fabrica S. Petri de Urbe.

49. Fratres in foro conſcientiæ non teneantur ad obſervanda ea, quæ continentur in X. ſeſſione concilii Lateranenſis.

50. Miniſtri, & qui eorum auctoritatem habent, poſſint, eundo per viam, abſolvere apoſtatas etiam aliarum provinciarum.

51. Fratres, & ſorores S. Claræ, & tertii ordinis poſſint commutare legata in alios uſus, quam fuerint a legantibus ordinata; dummodo cedant beneficio loci, ſeu monaſterii. Idem eſto de eleemoſynis.

52. Poſſint etiam vendere, & diſtrahere, de conceſſione apoſtolica, dummodo abſque ſcandalo dantium, ſeu legantium fieri poſſit, proprietates, quas habuerint de conventibus conventualium, ſive de monaſteriis minoriſſarum, pro reparatione monaſteriorum, ſeu conventuum, aut alia fratrum, & ſororum evidenti neceſſitate.

L. CAPITULUM GENERALE CARPII. Anno 1521. PAULUS DE SONCINO. *Leges* I. Electiones, ſeu poſtulationes guardianorum, aliorumque officialium fiant ubicumque, ſicut ante congregationem Burdegalenſem ſolitum erat.

2. Quælibet provincia ſervet ſuum uſum, quoad vocem activam guardianorum in capitulis.

3. Fratres, & moniales vivant ubique in ſuis antiquis, & laudabilibus conſuetudinibus, & inſtitutis, niſi ſpecialis proviſio pro aliqua provincia ordinetur.

4. Irritentur omnes privationes, & cenſuræ latæ in capitulis generalibus, quæ præjudicium poſſent fratrum, aut monialium inferre.

5. Nemo miniſtrorum provincialium, qui ex legitimo impedimento remanſerit in provincia, celebret capitulum provinciale, durante tempore capituli generalis, nimirum a die egreſſus patrum ejuſdem provinciæ ad capitulum generale euntium, uſque ad diem ingreſſus in eamdem, dummodo mora inutilis non interveniat. Contradictores ſint ſuſpenſi ab officio per tres menſes; & interim provincia ipſa gubernetur per commiſſarium de capitulo generali redeuntem.

6. Commiſſarius generalis ultramontanus non faciat congregationes generales nationum, nec impediat commiſſarios ſpeciales a miniſtro generali extra capitulum ad aliquas provincias, vel nationes deſtinatos.

7. Item non differat, aut prolonget capitula provincialia, nec mutet loca pro eorum celebratione antea deſtinata.

8. Item non faciat aliquam congregationem alicujus provinciæ eodem anno, quo in eadem habitum eſt capitulum, niſi magna, & ardua neceſſitate ſuperveniente.

9. Item non mittat fratres de loco in locum, vel de provincia in pro-

provinciam, sine manifesta, & rationabili causa.

10. Nemini denegetur habere recursum ad ministrum generalem, & ad ejus præsentiam venire.

11. Cassentur, & revocentur omnes licentiæ, & privilegia prædicatorum apostolicorum.

12. Ministri provinciales faciant registrum delinquentium, in quo scribantur privationes, monitiones canonicæ, incarcerationes, & suspensiones, suppressis defectibus, & notatis tantum nominibus testium.

13. Registrum teneantur consignare in fine officii.

14. Si quis hujusmodi registrum destruxerit, vel in aliqua parte falsificaverit, legitime deprehensus, carceri tradatur.

15. Ante capitulum generale ministri provinciales debeant eligere custodem provincialem mittendum ad capitulum generale, eodem anno, & non ante; secus electio sit nulla.

16. In consultationibus, quæ fiunt in capitulo provinciali, primo respondeant patres, qui pro tempore fuerunt diffinitores; deinde alii ordinate.

17. Clerici non promoveantur ad ordinem sacrum, nisi steterint per duos annos in religione, vel nisi aliquis esset proveciæ ætatis, devotus, & doctus.

18. Promovendi ad sacerdotium sint in vigesimo quinto ætatis anno, & quinto religionis, nec utantur privilegio, nisi in magna necessitate.

19 Nemo promoveatur ad studia logicæ, vel philosophiæ, nisi steterit per triennium in religione, & in illo triennio didicerit regulam, ejusque declarationes, præsertim Nicolai III., & Clementis V. Prælati contrafacientes puniantur arbitrio generalis.

20. Statuto Farinerii: *Nullus incarceretur, nisi pro enormi, & manifesto excessu*; addatur: Et qui contrarium fecerit, ipso facto sit privatus actibus legitimis.

21. Ministri, & alii prælati apostatas non remittentes in suas provincias, suis officiis priventur, nec absolvantur, nisi a ministro generali, vel provinciali capitulo.

22. Quoad legem illam, quod diffinitores vacent per duos annos, idest per duo capitula, observentur constitutiones, vel consuetudines provinciarum. Et similiter de vacatione ab officio guardianatus, & institutione confessoris monialium.

23. Nullus confessor, vel alius deponi permittat pecuniarum eleemosynam in confessionariis, cellis, vel aliis locis. Sed eleemosynam facere volentes mittantur ad procuratorem, seu substitutum. Contrafacientes priventur voce activa, & passiva per tres annos.

Leges pro natione Hispana. 1. Si minister, vel guardianus assumptus fuerit in commissarium generalem, teneatur renuntiare suo officio, & procedere ad electionem successorum, & sic officium commissariatus exercere.

2. Commissarius generalis non possit provincias visitare, nisi fuerit vocatus a ministro provinciali, & a duobus discretis provinciæ ad minus; vel nisi scandalum publicum contigerit.

3. Si sit vocatus a duobus guardianis ad minus, quamvis non vocetur nec a ministro, nec a discretis veniat,

Digitized by Google

& visitationem faciat.

4. Si discreti, vel guardiani non legitima ratione ipsum vocaverint, de consilio ministri, & quatuor guardianorum, qui sunt proximiores conventui, in quo fiet congregatio, provideat de aliis loco ipsorum.

5. Nullum capitulum provinciale celebretur, sine præsentia, & præsidentia talis commissarii, nisi fuerit legitime præpeditus, præcedente prius visitatione provinciæ spatio competenti ab ipso facienda.

6. Transeat itaque per conventus, quos poterit, lectaque tabula, & expedito capitulo fungatur officio in eadem provincia per quindecim dies dumtaxat.

7. Si personaliter adesse non possit capitulis S. Crucis, & Majoricarum, de consilio patrum provinciæ vicinioris, mittat aliquem subdelegatum loco sui.

8. Si quis harum provinciarum renuntiatus fuerit commissarius, resideat in Hispania toto tempore sui officii.

9. Quando non fuerit vocatus, in provincia, de qua fuerit assumptus, neminem prælatorum impediat, nec aliquam præsidentiam habeat.

10. Non possit mittere fratres de provincia in provinciam, nisi de consensu expresso ministrorum utriusque provinciæ.

11. Tempore suæ visitationis possit mutare fratres a conventu in conventum in eadem provincia.

12. Nullum apostatam possit recipere, aut de eo disponere. Sed impenso beneficio absolutionis, remittat eum ad provinciam suam puniendum juxta statuta, & consuetudines suæ provinciæ.

13. Visitetur ipse in qualibet provincia, & excessus ipsius in scriptis mittantur ad capitulum generale, ad quod ire teneatur.

14. In capitulo generali fiat semper provisio sui successoris de triennio in triennium de patribus suæ nationis a vocalibus Hispaniæ nominandis, & a ministro generalis instituendis.

15. Habeat commissarius semper, & ubicumque fuerit, in foro conscientiæ plenam auctoritatem sine limitatione.

16. Omnia negotia, quæ fieri deberent per ministrum generalem, si præsens foret, expediat commissarius, quantum secundum Deum commode fieri potest.

17. Commissarius habeat vocem, etiam pro electione generalis ministri; scilicet, si vox aliqua sit supplenda de Hispanis, commissarius hujusmodi suppleatur, post commissarios generalem, & Romanum.

LI. CAPITULUM GENERALE BURGIS. Anno 1523. FRANCISCUS DE ANGELIS. Leges. 1. Omnes vineæ, ex quibus fratres colligunt vinum pro sua provisione ad bibendum, tollantur, et distrahantur, vel eradicentur.

2. Non possint fratres recipere perpetua legata, nisi per modum eleemosynæ, absque alicujus debiti allegatione, imo cum declaratione scripta, & sigillata hæredibus facienda, quod fratribus non liceat talia petere, nisi per modum eleemosynæ.

3. Calendarium divini officii, et statuta generalia in hoc capitulo ordinata mittantur ad singulas provin-

cias

Digitized by Google

cias ordinis, sub pœna privationis officiorum.

4. Nemo promoveatur ad audiendas confessiones extra capitula provincialia.

5. Fratres a suis provinciis expulsi, durante relegationis tèmpore, nullo modo in provincias suas redeant.

6. Redeuntes de Hierusalem si superflua portaverint, & indecentia religionem, talibus priventur, & juxta delictum puniantur.

7. Recursus ad ministros secundum regulam intelligatur, quando frater declaravit guardiano, & discretis conventus necessitatem suam, & ipsi judicaverint petitionem rationabilem.

8. Abbatissæ Hispaniarum, elapso triennio, resignent officium in manibus sui prælati, vel visitatoris. Quo facto libera detur electio abbatissæ communitati. Poterunt tamen reelegi.

9. In monasteriis, in quibus infra triennium non fuit facta nova electio, servetur ista ordinatio.

10. Confessores monialium non habeant auctoritatem erga ipsas in foro exteriori, sed tantum in foro conscientiæ.

11. Prædicatores apostolici non admittantur, nec de novo instituantur, absque consilio, & assensu capituli generalis.

12. Revocentur limitationes commissarii generalis factæ in capitulo Carpensi. At is generalem congregationem habere non possit, nec impedire commissarios, qui mittuntur a ministro generali.

13. Magistri theologiæ, & doctores de cætero non creentur, etiam a ministro generali, nisi in studiis generalibus.

Anno 1526. Sequuntur *Leges* congregationis generalis Assisii. 1. Nullæ eleemosynæ recipiantur a fratribus ratione legati, nec ab eis missæ, aut officia dicantur sub legati obligatione.

2. Liberum sit hæredibus eorum, qui relinquunt legata, ea exsecutioni mandare parochis, vel aliis sacerdotibus.

3. Si voluerint fratribus commendare missas, & officia pro legatis, dummodo solius titulo eleemosynæ fratrum necessitatibus subveniant, fratres ipsi eas possint recipere.

4. Nullus guardianus, vicarius, vel loci præses vendat per se, vel alium ligna, fœnum, & fructus hortorum; nec hortos ipsos ad lucrum commodet.

5. Trunci, seu capsulæ ad recipiendas pecunias omnino interdicantur, sive pro ædificandis ecclesiis, sive pro indulgentiis lucrandis, aut fratribus sustentandis, aut manutentione confraternitatum.

6. Nemo fratrum portet ocreas, & calceos integros. Calcei tamen permittantur ratione necessitatis, vel infirmitatis.

7. Apostatæ redeuntes ad provinciam, post absolutionem, incarcerentur per tempus arbitrio ministri provincialis deputandum.

8. Si perseveraverint in apostasia ultra sex menses, teneant per sexennium locum ultimum professorum omnium.

9. Si in apostasia dimiserint habitum, per decennium teneant dictum locum, & per idem tempus priventur voce activa, & passiva.

Digitized by Google

10. Carceres non sint omnino sine luce, ut incarcerati divinum officium recitare, & spirituali lectioni vacare possint.

11. Præsidentes non possint denegare incarceratis sacramentum pœnitentiæ, si illud requirant.

12. Perpetuo carceri damnati pro feria V. in Cœna Domini radantur, & ad sacram communionem in infirmaria, vel alio secreto loco ipsa die admittantur.

13. Incarceratus non cogatur fateri, nisi crimina, pro quibus carceri addictus est, exceptis aliis, de quibus nulla est violenta suspicio, nullaque sunt inditia.

14. Quando in statutis sermo fit de arctatione alicujus fratris, intelligatur, quod per triduum in qualibet septimana frater disciplinetur cum psalmo: *miserere*, recitato semel, & in illo triduo comedat panem, & aquam; quod per tempus durabit præfixum a patribus, seu discretis, & arctato non revelatum.

15. Nemo exeat a conventu sine licentia guardiani, vel a provincia sine licentia ministri, etiam sub ex juxta causa prætextu recurrendi ad suum prælatum.

16. Ministri de conscientia aliquorum patrum provinciæ, possint licentiare fratres suos, ut transeant ad conventuales.

17. Licentiati semel, ad observantiam amplius non admittantur; & idem judicium esto de fratribus, qui auctoritate apostolica habitum dimiserint, vel transierint ad conventuales.

18. Quicumque obtinuerit breve tangens statum ordinis, sine licentia capituli generalis, vel ministri generalis, vel ejus commissarii, vel procuratoris, aut commissarii curiæ, sit privatus perpetuo actibus legitimis, & expellatur a provincia, quam inhabitat.

19. Visitationes prælatorum ad capitula mittendæ fiant secrete per scrutinium, cum trium patrum disquisitione.

20. Disquisitores audiant fratres deponentes, a quibus exigant probationem, quam nisi adduxerint, nihil curent; si adduxerint, eam fratribus non revelatam, clausamque sigillo mittant per discretum ad capitulum, in diffinitorio examinandam.

21. Si de levi culpa deponatur, & unus sit, qui deponit, de eo non curetur. Si sint plures, depositio, suppressis nominibus, fratribus conventus publice intimetur, & approbata per communitatem deportetur ad capitulum.

22. Tria studia generalia sint in cismontanis, & tria in ultramontanis, in quibus literæ non extinguant spiritum religionis.

23. Ministri transacto triennio, si cum consensu ministri generalis, aut generalis commissarii, vel patrum provinciæ capitulum differatur, possint, auctoritate generalis capituli, tamquam commissarii regere provinciam usque ad tempus commodum, vel consuetum capituli provincialis, secluso dolo.

24. Si lis sit inter monasteria, ministri provinciales possint compellere moniales ad compromissionem faciendam. Quæ non consenserit, si prælaturam habuerit, privetur illa; si fuerit subdita, privetur velo; si

Ter-

Digitized by Google

Tertii Ordinis, privetur scapulario, quoad consentiat.

25. Guardianis liceat erogare pro liberatione fratrum de manibus infidelium eleemosynas datas pro conventibus suis.

26. Qui attentaverit divisionem provinciarum vel per provisiones apostolicas, vel per personas sæculares, a provincia expellatur, & ex provincia illa, pro cujus divisione laboraverit, non possit eligi in ministrum per spatium triginta annorum.

27. Pœna ipso facto incurrenda non incurrantur, nisi per declarationem delicti per rei evidentiam a prælato faciendam, post quam reus ipso facto in pœnam veniat impositam, absque nova impositione.

28. Commissiones datæ a ministro generali ministris provincialibus, quantumcumque plenariæ sint, illos non eximant ab obedientia, & subjectione commissarii generalis.

29. Commissarii generalis ultramontani officium supprimatur; & quælibet natio Hispanica, Gallica, & Germanica suum habeat commissarium particularem a vocalibus ejusdem nationis respective eligendus.

30. Commissarius Gallus non habeat auctoritatem super aliquam provinciam, personam, vel negotium, nisi vocatus a provincia.

31. Commissarius Hispanus non possit habere aliquam prælaturam, quam si habeat, privetur officio, ipso facto.

32. Præsideat omnibus capitulis Hispaniæ, in quibus debet fieri electio ministri, & possit intrare provinciam per mensem ante capitulum.

33. Ex quo incœperit visitare provinciam, usque ad octo dies post lectam tabulam capituli, habeat plenitudinem potestatis in ipsa provincia, non extra.

34. Non possit celebrare capitula intermedia, nec tunc visitare provinciam, nisi fuerit requisitus a ministro provinciali, qui idcirco ante capitulum congregabit discretos, & quæret, an sit expediens, an commissarius visitet.

35. Commissarius vocatus ab aliqua provincia debeat ire; & tunc habebit omnem auctoritatem in negotio, pro quo fuerit vocatus.

36. Si fuerit discordia inter provincias, & ab una illarum commissarius vocetur, debeat ire, cum plena potestate, & auctoritate, aliisque etiam renitentibus componat, & terminet omnia.

37. Non possit mutare fratres de provincia in provinciam, nisi de consensu ministrorum.

38. Possit prolongare tempus capitulorum electionis provincialium, & intermedia capitula, etiam ut queat omnibus interesse.

39. Quando ipse personaliter ad supradicta non venerit, non possit alium loco suo mittere, nec auctoritatem suam subdelegare alicui in toto, vel in parte.

40. Quum a ministro, & discretis provinciæ fuerit vocatus, vel ab ipso tantum ministro, tunc debeat vocari a provincia.

41. Præter casus prædictos commissarius Hispanus nullam habeat auctoritatem.

42. Commissario Germanico nulla apponatur limitatio, quoad auctoritatem suam.

43. Non

43. Non celebretur deinceps capitulum generale intermedium. Sed finito triennio post electionem ministri generalis, patres cismontani conveniant ad electionem commissarii generalis, quando erit eligendus, quando scilicet generalis minister electus fuerit de ultramontanis.

LII. CAPITULUM GENERALE PARMÆ. Anno 1529. PAULUS PARMENSIS. *Leges*. 1. Natio citramontana servet statuta Martini V., & statuta generalia, quæ sub compendio in hoc capitulo redacta sunt.

2. Natio ultramontana servet statuta Barchinonensia, nec aliis teneatur, nisi capitulo statutorum Burgensium de electione generalis ministri.

3. Quando apostatæ aliter capi non possunt, recurrant prælati ad brachium sæculare.

4. Visitatores provinciarum excedentes facultatem suæ commissionis, vel non servantes limitationes, & ordinationes generales, puniantur pœna talionis, ut ubi hæc pœna non competit, puniatur privatione actuum legitimorum.

5. Diffinitores generalis capituli quoad cismontanos eumdem locum habeant, quem ante statuta Burgensia habebant. De provincialibus, seu diffinitoribus, seu guardianis, quælibet provincia servet morem suum.

6. In electione ministri generalis fiat compromissio vocum hoc modo: quando est eligendus ex cismontanis, ultramontani intelligantur compromisisse in eum, quem elegerint cismontani, & e converso.

7. Utraque natio cismontana, & ultramontana celebret capitulum generale utrobique de triennio in triennium.

8. Quælibet provincia possit mittere ad conventum Parisiensem duos studentes examinatos, & approbatos per diffinitores capituli provincialis.

9. Fratres provinciæ Candiæ eligant sibi pro hoc triennio ministrum provincialem, ut mos est aliarum provinciarum.

Anno 1532. Sequuntur *Leges* Congregationis generalis Messanæ in conventu S. Mariæ de Jesu. 1. Interdicatur omnino ingressus monasteriorum. Et ministri, qui delinquentes non puniunt, priventur officio.

2. Non retineantur apostatæ in provinciis, maxime Terræ Laboris, Siciliæ, & Calabriæ, sub pœna privationis officii a ministris, & guardianis ipso facto incurrenda.

3. Apostatæ in omnibus locis disciplinentur, & videatur, si pecuniam circa se gerant; quam si gesserint, incarcerentur.

4. Nemo licentietur extra provinciam, nisi a ministro provinciali, & ex magna causa.

5. Guardiani non mittant fratres extra quæstuas suas, absque consensu patrum.

6. Præsidentes locorum qualibet hebdomada ad memoriam reducant regulam, & aliquid exponant circa eam, vel legi faciant coram omnibus ejus declarationes.

7. Fratres non legitime impediti faciant singulis diebus unam horam orationis, sub pœna arbitrio prælati. Ministri, & guardiani in hoc negligentes priventur officiis.

8. Guardiani sequantur communitatem, & faciant charitatem infirmis.

9. Nullus prælatus, nec capitulum dare queat aliquod officium, vel digni-

gnitatem fratri quocumque modo petenti sub pœna privationis actuum legitimorum, tam dantibus, quam petentibus.

10. Ministri, qui propter capitulum generale, & quæstus nequeunt in fine triennii capitulum celebrare, sint commissarii usque ad tempus commodum capituli.

11. Recursus ad curiam, & ad sæculares in scandalum, & contra honorem, & libertatem ordinis, ac prælatorum, sit casus reservatus.

12. Recursuum auctores incurrant pœnam constitutionum antiquarum, maxime constitutionis capituli Ferrariensis, addita perpetua pœna privationis omnium actuum legitimorum, & officiorum ordinis.

13. Moriente ministro provinciali, guardianus loci, in quo moritur, teneatur notificare decessum ejus ministro generali, & in ejus absentia commissario generali, qui personaliter accedens, vel commissarium instituens, præsideat electioni commissarii provincialis, & ibi habeat vocem activam. Idem servetur in morte ministri generalis, exceptis locis remotis, vel qui habent custodias, ubi fiat more solito.

14. Commissarii, seu visitatores provinciarum non possint eligi in custodes, aut ministros provinciarum, ad quas mittuntur.

15. Fratres forenses aliarum provinciarum a provincia Romana, venientes ad curiam Romanam sub quovis prætextu, immediate sint subjecti procuratori ordinis, vel commissario curiæ respective.

16. Guardianus Aracæli, vel alius cujusvis loci guardianus, ubi curia residebit, aut quisquam alius frater, nequeat se intromittere de ipsis forensibus quovis modo, nec mittendo intra urbem, nec aliter, nisi in correctione ipsorum, si fuerint defectuosi, & scandalosi in suis rebus agendis, tam intra domum, quam extra.

Congregatio Generalis Romæ. Anno 1533. Leges nullæ.

LIII. CAPITULUM GENERALE NIZZÆ IN CONVENTU S. CRUCIS. Anno 1535. VINCENTIUS, SEU INNOCENTIUS LUNELLUS. *Leges*. 1. Minister provincialis, de consilio patrum præsidentium capituli provincialis diffinitorum, possit, & debeat damnare ad triremes fratres incorrigibiles.

2. Incorrigibiles ita damnati omni privilegio clericali exuti, auctoritate apostolica, censeantur, ac prorsus subjecti judicio sæculari.

3. Incorrigibiles ii sint, quos tales judicaverit minister generalis, aut commissarius, aut capitulum provinciale.

4. Quælibet provincia, quæ habet jam loca deputata pro fratribus strictiori modo vivere volentibus, ea conservet.

5. Fratres in his locis instituti per aliquem impediri non possint, qui illic modo, & forma habitus a cæteris non discrepent.

6. Crescente talium multitudine, teneantur ministri in capitulis provincialibus, loca plura ad hoc ipsum, si opus est, assignare.

7. In provinciis, in quibus talia loca non adsunt, deputentur eadem a ministris, si boni fratres velint arctiori vitæ se committere. Ministri tamen non quoslibet mittant, sed eos tantum, qui prævia examinatione reperien-

rientur idonei.

8. Guardiani, & confeſſores monialium in eodem loco triennium non excedant.

9. Omnes miniſtri Hiſpaniarum, quolibet tertio anno riſpective teneantur dare tres, vel quatuor fratres probos, & idoneos pro Indiarum partibus, quum a guardiano Hiſpalenſi, qui eos teneatur advocare, & congregare, ſolerter advocabuntur.

10 Hi, quum Hiſpalim pervenerint, miniſtro Beticæ provinciæ, vel, eo abſente, guardiano Hiſpalenſi humiliter obediant, cæteriſque præficiatur eorum ordinatione, & electione, unus, qui fungatur auctoritate miniſtri provincialis, donec ad præſentiam ordinarii Indiarum perveniant.

11. Ex aliis nationibus nemo in Indias mittatur, niſi a miniſtro generali, vel generali commiſſario fuerit examinatus, & approbatus.

12. Capitulum generale infra ſexennium non celebretur, niſi a miniſtro generali ex cauſa legitima fuerit indictum, aut niſi commiſſarius generalis eſſet eligendus.

13. Nullum monaſterium monialium acceptetur, niſi a capitulo generali, aut a generali miniſtro habeatur licentia.

14. Fratres peregrini nulli mittantur Hieruſalem, niſi a miniſtro generali, aut commiſſario, aut capitulo probatam habeant obedientiam.

15. Peregrinationes hujuſmodi, quantum fieri poteſt, arceantur, & reſtringantur.

16. Apud Italos nullus conventus habeat diſcretum, qui ad minus non habuerint quinque fratres. Sed guardianus tantum, & is ſolus habeat vocem in capitulo provinciali.

17. Apud ultramontanos ſerventur ſtatuta Martiniana, & apud ciſmontanos ſtatuta barchinonenſia, mutatis mutandis, eo excepto, quod ad miniſtri, & illo decedente, ad vicarii ordinis ſpectant electionem.

18. In provinciis, quæ cuſtodes habent, cuſtodes, in quorum cuſtodia moritur miniſter, teneant ſigilla, regantque provinciam uſque ad capitulum provinciale.

LIV. CAPITULUM GENERALE MANTUÆ. Anno 1541. JOANNES CALVUS. *Leges* 1. Nemo cujuſcumque gradus, prætextu ſibi traditæ licentiæ limites ſuæ provinciæ, ſeu conventus egrediatur, quin prius provinciali prælato ſe præſentet, licentiam oſtendat, & recedat habita benedictione.

2. Si prælatus abſit, & neceſſitas urgeat, eidem ſcribat, & vel ad commiſſarium ejuſdem prælati, vel ad ſuperiorem localem ſe præſentet, & eamdem licentiam oſtendat. Si ſecus fecerit, habeatur pro apoſtata.

3. Præſentatio hujuſmodi, & literarum oſtenſio coram legitimis teſtibus fieri debeat.

4. Idem judicium habeatur de fratribus, qui de ordine prælatorum provincialium recedunt a conventibus, in quibus de familia morantur.

5. Sub eadem pœna ſtatuitur, quod fratres, qui redierint ad provinciam ſuam, prælatis ſuis provincialibus ſaltem per literas, ſi abſentes fuerint, reditum ſuum indicent.

6. Prælatis provincialibus, & localibus vetitum ſit ſub pœna carceris, ne obedientiales literas, ſeu licentias per ſuperiores alicui fratri conceſſas impe-

impediant, dummodo non sint subreptitiæ, vel obreptitiæ, quod judicent discreti conventus.

7. Apostatæ alterius provinciæ, seu conventus non retineantur ultra triduum, sub pœna privationis officii, & cui hæc pœna non competit, faciat disciplinam in publica refectione.

8. Sub eadem pœna injungitur ministris, & eorum commissariis, ne apostatas mittant, præterquam ad proprias provincias.

9. Quando apostatæ puniuntur a superioribus prælatis, vel officialibus curiæ, punitiò afficiat solam apostasiam, non autem crimina alia, quorum punitio spectat ad proprios ministros; nisi forte per eosdem superiores, nempe ministrum, & commissarium generalem alia delicta peculiariter opprimantur.

10. Deponatur ab officio in sequenti capitulo provinciali minister, qui infra quinquennium, promoverit apostatam ad officia ordinis, studia generalia, aliosque actus legitimos.

11. Omnes hospites, saltem post primam refectionem, ostendant prælatis obedientias suas, seu licentias, aut testimoniales literas, quas in scriptis habere debent. Quod si sponte non fecerint, a prælatis facere cogantur, sub pœna disciplinæ faciendæ in sequenti refectione.

12. Obedientiæ, seu licentiæ post duos menses non valeant, nisi legitimum exstet impedimentum judicandum arbitrio discretorum conventus, a quo frater est recessurus.

13. Priventur officio in sequenti capitulo provinciali ministri, qui fratres absque manifesta necessitate equitare permittent.

14. Nemo in ordinaria refectione, aut dum dicitur culpa prælato suo, (præsertim quando id sibi ab eodem prælato interdicitur), respondere præsumat, sub pœna disciplinæ faciendæ in sequenti refectione, & comestionis panis, & aquæ in terra. Quod si exsequi distulerit, intelligatur privatus ipso facto voce activa, & passiva.

15. Caveant ministri, ne licentias indifferentes concedant accedendi ad monasteria monialium. Sed licentias non dent, nisi in scriptis, & ad semel tantum; quod non intelligatur de fratribus antiquis, atque probatis quibus pro pluribus vicibus licentiam concedere possint.

16. Si quis absque hujusmodi licentia ad monasteria accesserit, privetur prima vice per annum voce activa, & passiva; secunda vice actibus legitimis.

17. Ministri, & confessores, præterquam in casibus permissis, monasteria non ingrediantur.

18. Non liceat ministris in monasteria secum ducere ultra tres socios, secus tam ipsi ministri, quam alii cum eis ingredientes excommunicationis sententiam incurrant.

19. Ministri non permittant, sæcularem aliquem, aut religiosum monasteriorum clausuram ingredi, ad docendum moniales literas, cantum, aut aliud genus musicæ. Qui contrafecerit, si fuerit minister, deponatur ab officio in sequenti capitulo. Si confessor, privetur officio suo per quinquennium.

20. Nullus localis prælatus mittat

Digitized by Google

sacerdotem ad celebrandum in domibus laicorum, exceptis domibus prælatorum, DD. temporalium, & magnatorum, qui particulares capellas habent. Qui contrafecerit, in sequenti capitulo provinciali, in publica refectione, disciplinam unam pro qualibet vice faciat.

21. Custos Hierosolymitanus in generali capitulo, si vota defecerint, suppleri debeat ex votis cismontanis. Et pariformiter suppleri debeat votis ultramontanis deficientibus guardianus Parisiensis. Si contigerit, ipsum suppleri ex aliquo quatuor provincialium reformatorum, possit eligi in diffinitorem.

22. Minister provincialis officio functus non valeat ad idem officium eligi.

23. Liceat provinciis ultramontanis, ut fratres, qui consueverunt guardianos conventibus præficere, possint arbitrio diffinitorum, ad quovis tempus eosdem guardianos in munere confirmare.

24. Idem sit judicium de confessoribus, qui a sororibus collegialiter congregatis postulari solent.

25. Commissarius generalis Indiarum subdatur in omnibus, & per omnia ministro generali, ac generali commissario.

26. Negotia ordinis in curia Romana tractentur per procuratorem ordinis, vel commissarium curiæ, exclusis sæcularibus. Ministri, & abbatissæ contrafacientes removeantur a suis officiis.

27. Quicumque frater sive suppletus, sive vocalis ordinarius, modo sit de corpore capituli, possit eligi in diffinitorem.

28. Ministri exprovinciales in suis provinciis præcedant fratres omnes, qui illo munere non fuerunt donati.

29. In quatuor provinciis reformatorum, & in aliis totius ordinis, nullus lector instituatur, nisi majorem partem anni legendo consumat.

30. Si lector lectioni non vacet, non gaudeat ullo honore, nisi pro ingressu religionis, vel pro susceptione ordinis, secundum morem provinciarum.

LV. CAPITULUM GENERALE ASSISII. Anno 1547. ANDREAS INSULANUS. *Leges* 1. Apostatæ pro prima vice carceribus mancipentur per mensem; secunda vice per sex menses; tertia vice per annum; quarta vice expellantur ab ordine, aut perpetuis carceribus mancipentur, & custodiantur.

2. Nullus minister apostatas alterius provinciæ in sua retinere possit, perinde nec guardianus in suo conventu ultra unum diem naturalem apud cismontanos; apud ultramontanos vero ultra tres dies, sub pœna privationis officiorum.

3. Sub eadem pœna teneantur guardiani ad singulorum fratrum adventum licentias videre, & quos sine licentia deprehenderint, puniant ut apostatas.

4. Eamdem pœnam subeant ii, qui fratrem sollicitaverint ad apostasiam.

5. Puniatur tamquam apostata qui abscesserit a conventu, saltem sine licentia, & consensu sui prælati localis, & discretorum, eorumque literas secum non detulerit; cum hoc tamen, quod discessus sit ad ministrum provincialem; secus si fuerit ad genera-

ralem ministrum, aut commissarium, ad quos interdicitur omnis accessus, absque literis patentibus ministri provincialis, sub præfatis pœnis statim incurrendis.

6. Nullus frater ultramontanus, sub pœna privationis officii, in provinciis cismontanis recipiatur, nisi ex obedientia ministri generalis, vel ministri provinciæ, a qua recedit, & ad quam accedit.

7. Qui in provinciis ultramontanis, & cismontanis non sunt incorporati remittantur ad suas provincias, sub eisdem pœnis a prælatis infligendis.

8. Qui jam sunt incorporati, non abigantur, sine debita licentia ministri generalis, vel sui commissarii.

9. Nemo incorporetur, nisi biennio fuerit probatus, & a capitulo provinciali receptus.

10. Minister, & commissarius generalis debeant fratres ad eos recurrentes ad proprias provincias remittere, nisi secus eis faciendum pro vitando scandalo videatur.

11. Nemini credatur, se esse prædicatorem, & confessorem, etiamsi titulum habeat in literis obedientialibus ministri generalis, nisi id certo probaverit testimonio capituli provincialis.

12. Fratri exeunti a provincia, vel terminis quæstæ præfigatur tempus exitus, & regressus in literis obedientialibus.

13. Nemo pro re quapiam ad ordinem spectante recurrat ad sæculares, sub pœna privationis actuum legitimorum. Legitime convictus insuper carcere includatur.

14. Eidem pœnæ subjaceant revelantes facta ordinis, præsertim si inde scandalum sequatur. Nec releventur, nisi a ministro generali, vel ejus commissario.

15. In provinciis, in quibus fieri non possunt carceres, fiat unus carcer fortissimus in aliquo loco.

16. Incorrigibiles mittantur ad triremes, quod si fieri non possit, perpetuo carceri mancipentur, aut habitu ordinis exuantur.

17. Apostatæ remissi a ministro generali, seu commissario ad suas provincias, non intelligantur liberati a pœnis ultra apostasiam debitis pro suis delictis, nisi per patentes literas id sit declaratum.

18. Apud ultramontanos vigeant declarationes Nicolai III., & Clementis V. super regulam, necnon statuta Barchinonensia, cum nonnullis articulis, qui in hac costitutione colliguntur.

19. Color tunicæ sit cinericius, intermedius inter nigredinem, & albedinem.

20. Fratres nullimode nutriant barbam, nec comam, sed de quindena in quindenam guardiani solicitent, ut tondantur sub pœna arbitrio ministrorum.

21. Priventur officiis prælati, qui fratribus infirmis, & provectis patribus non exhibuerint debitum charitatis, & obsequium servitii.

22. Nullus processus, nullaque visitatio, depositio, accusatio servetur ultra sex menses post capitulum generale, vel provinciale; sed infra dictum tempus qui debet agere, vel querelas dare de injustitia sibi facta, reclamet. Processus vero, & alia scripta igni tradantur.

23. Nullus miniſter provincialis, viſitator, commiſſarius per commiſſionem ſibi datam, quantumvis plenariam, poſſit in propria provincia quidquam ordinare, vel ordinata immutare, ſine conſenſu patrum provinciæ, vel majoris partis vocalium in capitulo provinciali.

24. Commiſſarii miſſi a miniſtro generali nihil agant, donec miniſtris provincialibus, ſaltem per literas, ſuas exhibuerint commiſſiones.

25. Si miniſtri vocati a commiſſariis, ceſſante legitimo impedimento, comparere, aut reſpondere noluerint, commiſſarii mox ſuas commiſſiones exercere valeant.

26. Rebellantes commiſſariis præfatis, ſi fuerint prælati, a ſuis deponantur officiis, ſi ſubditi, priventur actibus legitimis, & a ſuis expellantur provinciis.

27. Qui cauſam legitimam habuerit contra commiſſarium, recurrat ad prælatos, qui ſi eas inſufficientes, & non legitimas repererint, puniant fratres recurrentes.

28. Procurator ordinis, & commiſſarius curiæ non poſſint fratres ad eorum præſentiam confluentes, ad alias provincias, præterquam ad Romanam, mittere.

29. Iidem non poſſint apoſtatam ſibi in ſocium accipere ordinarium.

30. Non poſſint collocare fratres advenientes alibi, præterquam in conventu de Aracæli, aut S. Franciſci.

Leges pro cismontanis. 1. In ſingulis provinciis non ſint, niſi duodecim patres pro tempore diffinitores.

2. Si numerus excedat, nullus eligatur diffinitor, niſi dum aliquis defuerit ab illo numero duodenario patrum; & illi, qui fuerunt miniſtri, & cuſtodes provinciales cenſeantur de numero patrum provincialium, etſi ipſi minime fuerint diffinitores.

3. Cuſtodes cuſtodum non mittantur ad capitulum generale, niſi electi a majori parte vocalium capituli provincialis.

4. Non ſuppleantur vota miniſtrorum, cuſtodum, aliorumque vocalium abſentium in quibuslibet capitulis. Admittantur tamen eorum commiſſarii, modo tranſmiſſi fuerint de conſenſu diffinitorum provinciæ.

5. Declarantur ſuis officiis privandi miniſtri, cuſtodes, & vocales cæteri, qui ex cauſa legitima non convenerint.

6. Commiſſarius generalis, procurator ordinis, & commiſſarius curiæ quamvis ſuppleri nequeunt, ſint tamen de corpore capituli, & in omnibus actibus capitularibus vocem habeant, præterquam in electione miniſtri generalis.

7. Nemo recipiatur ad ordinem, niſi compleverit annum ſextum decimum, & effigiem minus puerilem non repræſentaverit.

8. Nemo recipiatur, niſi fuerit examinatus a miniſtro provinciali, & acceptatus a majori parte conventus, ubi ſumit habitum religionis.

9. Miniſter provincialis aſſignet novitiis receptis probum, & idoneum magiſtrum.

10. Fratres profeſſi clerici, & laici nullum in electionibus habeant votum, niſi elapſo a ſuſcepta religione triennio.

11. Clerici ad ſacerdotium non promoveantur, niſi attigerint annum

Digitized by Google

num vigeſimum quintum.

12. Fratres transfugæ, & apoſtatæ in alienis provinciis etiam extra ordinem promoti ad ſacerdotium ſuſpendantur ab exſequutione ordinis per triennium.

13. Nullus fratrum accedat ad cellas novitiorum, & juvenum, & e converſo, præterquam prælati, & magiſtri.

14. Nullus profeſſus pro laico aſcendat ad ſacerdotium, ſub pœna reductionis ad primævum ſtatum, niſi forſan quiſpiam de conſenſu provinciæ fuerit intra ordinem promotus.

15. Sententiæ hæreticæ, damnatæ, erroneæ, ſuſpectæ non prædicentur ſub pœna excommunicationis, & carceris. Prælati in hoc negligentes priventur officiis.

16. In choro non utantur fratres cantu fracto, ſeu *contrapuncto*, ſub pœna pro qualibet vice unius diſciplinæ.

17. Non permittant prælati, ut fratres addiſcant a ſæcularibus ludere, & perſonare inſtrumentis muſicalibus, exceptis organis, & monochordiis. Contrafacientes pro prima vice faciant diſciplinam; ſecunda privati ſint actibus legitimis.

18. Nemo extra ordinem actum aliquem medicalem excerceat, nec conſortium cum alchimiſtis habeat ſub pœna carceris.

19. Ex partibus ultramarinis familiæ ciſmontanæ in ſingulis capitulis generalibus unus ſaltem eligatur diffinitor.

20. Qui fuerint diffinitores in capitulo provinciali, in eodem poſſint eligi guardiani.

21. Dogmatizantes, quod prælati non poſſint ligare ſubditos cenſuris eccleſiaſticis, eoſque excommunicare, ſi fuerint convicti, pro prima vice priventur actibus legitimis. Si perſeveraverint, carceribus includantur.

22. Prælati pro levi cauſa non poſſint ſubditos excommunicare.

23. In qualibet provincia, ubi bono modo fieri poteſt, habeantur ſtudia grammatices, logicæ, phyſices, & theologiæ.

24. Quicumque judicatus fuerit a capitulo provinciali idoneus ad legendam grammaticam, eam legat, ſub pœna privationis omnium librorum, & actuum legitimorum.

25. De novo examinentur in proximo provinciarum capitulo prædicatores, & confeſſores hactenus inſtituti. Reperti minus idonei ab officiorum exſequutione ſuſpendantur.

26. Deponantur omnes eleemoſynæ pecuniariæ apud procuratorem, vel ejus ſubſtitutum, niſi propter utriuſque abſentiam, pro brevi aliquo tempore, aliud fieri debeat.

27. Confeſſores monialium non ſe intromittant aliquo modo de earum regimine, quod ſpectet ad miniſtros, viſitatores, & abbatiſſas.

28. Non interſint iidem electioni abbatiſſæ; ſed tantum unus, aut duo ex probatiſſimis patribus, juxta morem provinciarum, eidem interſint cum miniſtro.

29. Confeſſores non intrent clauſuram, niſi præciſe pro miniſtrandis ſacramentis, non autem pro fabrica erigenda, aut alia cauſa.

30. Abbatiſſa judicet, quando confeſſor ingredi debeat ad ſacramen-

menta ministranda.

31 Confessores non pernoctent in domo contigua monasterio monialium, nisi nocte præcedente diem communionis.

32. Ubi sunt quinquaginta moniales, confessores octo tantum dies; ubi centum, dies quindecim; ubi centum quinquaginta, viginti dies ante communionem, pro audiendis earum confessionibus, debeant accedere.

33. Aliis diebus in suis se contineant conventibus, & non accedant ad monasterium, nisi essent danda, judicio medici, abbatissæ, & infirmariæ, monialibus graviter infirmis sacramenta.

34. In monasterio, ubi non sunt sæculares capellani, fratres in diebus festis de præcepto possint missas celebrare.

35. Si una soror in mortis articulo peteret alium confessorem, eidem concedatur, modo peritus fuerit aliquando illius confessionis, vel sit probatissimus; isque cum patre confessore ordinario ingrediatur.

36. Qui sine licentia ministri in scriptis colloquia habuerit cum moniali privetur actibus legitimis per annum, & cui hæc pœna non competit, puniatur arbitrio ministri. Eidemque pœnæ subjaceat, qui colloquium habuerit sine abbatissa, vel vicaria, ac duabus aliis sororibus præsentibus, & audientibus.

37. Nemo fratrum in solemnitatibus monialium, vel alio tempore comedat apud confessorem, nisi in prandio tantum, ubi conventus uno, vel altero milliari distaret a monasterio.

38. Nec abbatissa, nec quævis soror, etiam tertiaria, possit loqui cum religiosis, vel sæcularibus, nisi præsentibus duabus monialibus, sub pœna disciplinæ pro qualibet vice faciendæ.

39. Non leviter recipiantur moniales, quæ egressæ fuerint auctoritate summi pontificis, quavis ex causa.

40. Si recipiantur, sint privatæ voce activa, & passiva, & ultimum locum teneant per duos annos.

41. Simili pœnæ subjaceant moniales apostatæ, quæ revertuntur.

42. Quoad punitiones faciendas serventur statuta martiniana.

Leges pro ultramontanis. 1. Sexennii ministrorum dispositio ministro generali relinquatur.

2. Expleto triennio guardianorum, & confessorum, depositio, vel continuatio eorumdem relinquatur dispositioni provinciæ in suis respective capitulis.

3. In provinciis Hispaniarum id relinquatur ministro generali, & capitulis provinciarum.

4. Custos, in cujus custodia decesserit minister provincialis, sumat sigillum provinciæ.

5. Si in provincia non sint custodes, sumat sigillum guardianus loci, in quo decesserit, & statim congreget patres, qui in præcedenti capitulo fuerunt diffinitores, simul ac patres, qui sunt, & qui pro tempore fuerunt ministri, discretos item provinciæ, ubi tales habentur, quatenus cum custode, seu guardiano eligant vicarium usque ad capitulum designandum ab ejsdem patribus.

6. Nihil deferatur ad capitulum ge-

Digitized by Google

generale, provinciale, & custodiale, nisi a majori parte communitatum respective probatum, debitoque munitum sigillo.

7. Nullus ex tribus provinciis Turoniæ, Franciæ, & S. Bonaventuræ promoveatur Parisiis ad gradum doctoratus, nisi propter id a sua sit missus provincia, & munitus obedientia ministri generalis.

8. Nullus promoveatur ad doctoratum in capitulis provincialibus, & non decoretur gradu illo doctoratus qui per literas apostolicas promotus fuerit.

9. Qui assumuntur ad audiendas confessiones monialium quarumcumque subjiciantur ministris provinciarum, in quibus loca præfatarum monialium sunt sita.

10. Confessores monialium, qui in conventibus fratrum non manent, careant voce passiva in electione discreti localis ad provinciale capitulum destinandi.

11. Socii confessorum commorantes in monasteriis subjiciantur confessoribus, perinde ac fratres in conventibus commorantes subjiciuntur guardianis.

Leges pro electionibus in capitulis generalibus, & provincialibus. 1. Ad capitulum generale in festo Pentecostes habendum conveniant ministri, & custodes provinciarum.

2. Custodes secum deferant literas testimoniales sub sigillis ministri, & capituli provincialis, ubi eliguntur.

3. Si custodem electum impediri contigerit, alius eligi possit, vel in eodem capitulo per ministrum, & vocales, vel extra capitulum per ministrum cum aliquibus patribus discretis.

4. Ministri, & custodes non legitime excusati, si non convenerint ad capitulum generale, ipso facto suis officiis, & voce activa, ac passiva sint privati per sex annos.

5. Si aliqui non venerint ad capitulum, nihil eorum, quæ expedienda sunt, omittatur.

6. Minister generalis possit mutare locum capituli generalis, aliqua evidenti necessitate: non tamen tempus ultra vigiliam Pentecostes, in qua minister generalis eligatur, sive minister generalis venerit, sive non, etiamsi plures vocales eo temporis defuerint.

7. Absente ministro generali, commissarius generalis illarum partium, ubi habetur capitulum, loco ejus præsideat in ipso, nisi ipse minister generalis alium spiritualem commissarium ad id miserit.

8. Si absit minister generalis, & commissarius generalis, præsideat capitulo minister provincialis, in cujus provincia celebratur, &, in ejus absentia, præsideatis, quem congregatio generalis ad hoc elegerit, usque ad electionem novi ministri.

9. Feria sexta ante festum Pentecostes, post missam, fiat sermo fratribus in communi, qui ipsa die quiescant, & deliberent, usque ad mane diei sequentis.

10. Primo omnium in capitulo literæ testimoniales custodum ministro generali coram omnibus legendæ præsententur, vocesque omnium vocalium legitime integrentur.

11. Vota absentium, & eorum, qui privati sunt voce, suppleantur.

12. In suppletione primo suppleatur commissarius generalis; secundo pro-

procurator ordinis; tertio commissarius Romanæ curiæ.

13. Si nulla alia suppletio facienda sit, tam minister generalis immediate absolutus, quam prædicti tres, (præter electiones, & depositionem ministri), in omnibus aliis erunt de corpore capituli.

14. Minister generalis absolutus primum locum teneat post generalem ministrum electum, durante toto capitulo. Sequantur alii, qui fuerunt generales ministri; deinde commissarius generalis; postmodum alii, qui fuerunt commissarii generales; postea minister provinciæ, in qua capitulum celebratur; post eum procurator ordinis, deinde commissarius curiæ, post quem ministri succedent juxta ordinem provinciarum, & suo modo custodes.

15. Eligantur sex diffinitores cismontani, & sex ultramontani per disquisitionem scrutatorum, quorum tres sint cismontani ab iisdem deputati, & tres ultramontani ab iisdem pariter deputati.

16. Diffinitores sic electi nihil possint diffinire tangens universitatem ordinis; quod si fuerit attentatum, nullius sit roboris; hujusmodi enim diffinitores non censentur simpliciter diffinitores capituli generalis, quum omnes vocales sint diffinitores.

17. Non habeant aliquam prerogativam, seu præeminentiam in capitulo prædicto, aut postea; sed tenebunt loca sua secundum ordinem provinciarum suarum.

18. Diffinitores electi in uno capitulo non possint eligi ad idem officium in capitulo immediate sequenti.

19. In fine triennii generalis minister renuntiet suo officio.

20 Schedulæ omnes, pronuntiata electione, statim comburantur.

21. Fratres, qui venerint ad capitulum generale, & sunt liberi a diffinitione negotiorum capituli, quali bet die (excepta vigilia, & triduo Pentecostes) celebrent missam de B. M. Virgine. Quod observetur etiam in capitulis provincialibus.

22. Ministri provinciales teneantur renuntiare suis officiis vel coram, si adsint, vel per litteras, si absint a capitulo generali.

23. Eorum renuntiatio admittatur, si videbitur a ministro provinciali vel præsidente, cum assensu capituli generalis.

24. In omnibus diffinitoribus sententia plurium indistincte prævaleat, & inviolabiliter observetur.

25. Minister generalis habeat duos socios scribas, unum cismontanum, alterum ultramontanum, & duos alios socios possit habere, sed non plures.

26. Commissarius generalis possit habere tres socios. Minister provincialis, & commissarii missi ad provincias duos tantum.

27. Scribæ ministri generalis teneantur prævidere semper literas per socios scriptas, & signum ponere, antequam sigillentur a ministro generali, ne forte aliquid contineant contra statuta & ordinationes.

28. Ministri provinciales, et guardiani provideant ministro generali, & sociis, de provincia in provinciam, & de conventu in conventum deducendo.

29. Minister generalis nullo pacto habeat famulum sæcularem.

30.

Digitized by Google

30. Recipiatur in conventibus a tota communitate fratrum cum cruce, ac per superiorem indutum cappa, & ubi non est cappa, superpellicio, & stola ad osculandum offerenda, flexis genibus in introitu ecclesiæ, tali modo, quod fratres cantando eum deducant ad altare majus. Cantetur: *Salve Sancte Pater*, vel aliquid aliud.

31. Guardiani, & ministri, si fuerint præsentes, possint eidem obviare extra civitatem.

32. Ministri, & custodes, aliique patres venientes ad ministrum generalem pro negotiis, si non fuerint expediti, cum non comitentur de conventu in conventum, sed præcedant, vel sequantur præter ministrum provinciæ, & guardianum loci, a quo recedit.

33. Minister generalis visitet totum ordinem per se, vel commissarios suos, in suo sexennio.

34. Si ipse moriatur in partibus, de quibus assumptus est, minister, in cujus provincia moritur, convocet diffinitores illarum partium electos in capitulo immediate antecedenti, quamprimum fieri potest, pro electione vicarii ordinis, in qua dictus minister præsideat, & habeat vocem, sicut ipsi diffinitores.

35. Ille, in quem major pars electorum consenserit, sit vicarius totius ordinis.

36. Si minister generalis moriatur in partibus, quibus præest commissarius generalis electus secundum formam Bullæ Unionis, minister, in cujus provincia moritur, mittat sigillum ordinis commissario generali illarum partium.

37. Registrum ordinis clausum sigillis ministri provincialis, & conventus, in quo moritur, remaneat apud scribam ordinis, qui curam registri habere solet.

38. Commisarius generalis, quamprimum fieri potest, convocet diffinitores illarum partium ad eligendum vicarium, in qua electione tam ipse, quam minister provinciæ, in qua mors contigit, vocem sicut diffinitores, habeat.

39. Vicarius ordinis eligendus sit semper de eisdem partibus, ex quibus miniser generalis assumptus erat.

40. Si provincia, in qua moritur generalis minister, esset ministro provinciali orbata, commissarius illius provinciæ in prædictis suppleat vicem ministri provincialis.

41. Si aliquis prædictorum diffinitorum moriatur, minister suæ provinciæ, vel præfatus commissarius ad prædicta suppleat.

42. Si minister generalis moriatur in terminis duabus provinciis communibus, minister provinciæ prioris, in ordine provinciarum, ut prædictum est, provideat.

43. Si moriatur in terminis indifferentibus, provisio pertineat ad provinciam viciniorem.

44. Similis provisio fiat in morte ministri provincialis per custodem, in cujus custodia moritur, vel per guardianum loci, ubi non habentur custodiæ.

45. Si commissarius generalis intra suum terminum moriatur, minister generalis possit alterum instituere, usque ad capitulum generale futurum de consilio aliquorum patrum discretorum.

Digitized by Google

46. Minister, in cujus provincia moritur commissarius generalis, ejus officium exerceat, donec alius assignetur per ministrum generalem.

47. In electionibus, promotionibus, institutionibus prædictis, & confirmationibus eorumdem, fratres non teneantur ad formas, aut solemnitates a jure statutas, sed ad ea tantum modo, quæ præsentibus legibus ordinantur.

LVI. CAPITULUM GENERALE SALMANTICÆ. Anno 1553. CLEMENS MONILIANUS. *Leges*

1. Quicumque de persona summi pontificis canonice electi obloqui præsumpserit, & in hoc legitime fuerit deprehensus, puniatur carcere per bimestre, vel alia pœna graviori.

2. Ordinaria potestas recipiendi novitios remaneat apud superiores generales, & provincialem, qui eam non committant, nisi alicui patri probatissimo, pro numero determinato.

3. Auctoritas, quam habent ministri provinciales, recipiendi novitios, possit restringi per ministrum generalem.

4. Si quis in sua receptione interrogatus de bona sui valetudine, celaverit, se esse infectum lepra, morbo gallico, vel caduco, aut alia contagiosa infirmitate, ejus receptio, & professio sit nulla.

5. Apostatæ, qui revertuntur his morbis obnoxii, omnino expellantur. Utraque lex obliget prælatos sub pœna privationis sui officii.

6. Nullus conventualium nobiscum incorporetur, nisi probetur per annum, demptis doctoribus, & personis notabilibus.

7. Nemo ipsorum, aut alterius ordinis recipiatur, nisi prius petita licentia, licet non obtenta; salvo jure aliquorum ordinum, in quibus per apostolica privilegia interdicitur fratribus, ne a nobis recipiantur, absque licentia in scriptis suorum prælatorum.

8. Quilibet minister provincialis, de consilio diffinitorum, annuatim deputet in tabula provincialis capituli conventus novitiatus, sub pœnis per generalem ministrum, de consilio aliquorum patrum, taxandis.

9. Novitii non intrent cellas aliorum fratrum, præterquam suorum magistrorum, & prælatorum; neque ullus fratrum cellas novitiorum, & juvenum intret.

10. Non cogantur novitii de vestimentis sibi in ingressu providere.

11. Liberi relinquantur ad professionem emittendam, vel ad sæculum, vel alio eundum.

12. Magistri novitiorum actu officium exercentes, non mittantur extra conventum, neque ita occupentur, ut viriliter, & salubriter suæ curæ non intendant.

13 Puniantur ut inobedientes illi, qui ad hujusmodi magisterium deputati, ipsum pertinaciter recipere recusaverint.

14. Ministris, & guardianis interdicitur sub pœna privationis officiorum, ne quid disponant de rebus, quas eis novitii legaverint, vel donaverint, vel ante receptionem, vel post ipsam. Sed iis tantum uti possint, postquam novitii emiserint professionem, vel ante emissam recesserint ab ordine, & in voluntate legandi, vel donandi perseveraverint; secus illis reddantur.

15.

Digitized by Google

15. Novitii ante professionem sint prorsus expropriati, & nihil pro se in testamento, vel alias faciant reservari quocumque prætextu.

16. Receptio ad professionem fiat in capitulo locali, vel alibi, coram fratribus congregatis. Et professio emittatur in manibus prælati.

17. Si tertia pars fratrum conventus novitii conversationem habeat suspectam, ejus ad professionem receptio ministro provinciali penitus reservetur.

18. Apostatæ per triduum incarcerati remittantur cum literis testimonialibus ad proprias provincias, aut loca. Contrafacientes prælati priventur officiis in sequenti provinciali capitulo, & si functi fuerint officio, puniantur arbitrio generalis.

19. Apostatæ ultra pœnam carceris, priventur per triennium voce activa, & passiva.

20. Nemo a provincia, aut conventu egrediatur sub prætextu licentiæ prælatorum majorum, nisi eamdem licentiam ostendat aut personaliter, aut per literas propriis prælatis, quibus, postquam se expedierit, reditum suum citius significare teneatur.

21. Prælati sine legitima, & necessaria causa non mittant fratres extra suam quæstam, & territorium, sub pœna privationis auctoritate iterum mittendi.

22. Licentiati ad conventuales, si redierint, non admittantur, nisi cum pœna portandi caputium probationis per quatuor menses.

23. Fratres, qui ad caputiatos, sine prælatorum licentia in scriptis, transibunt, non recipiantur, absque licentia ministri generalis, & pœnitentia per ipsum imponenda.

24. Incorporatio non fiat alicujus sine licentia ministri, provincialis, a quo recedit, & ministri, ad quem accedit, aut generalium prælatorum, sub pœna carceris.

25. Qui post incorporationem revertitur ad propriam provinciam, deferat caputium probationis, nisi id faciat ex licentia ministri generalis, aut generalis commissarii pro aliquo ordinis commodo, & bono ejusdêm provinciæ.

26. Acriter puniatur a ministro, & guardianis frater, qui portaverit ora habitus, manicarum, caputii, vel fimbriarum cum filo albo, ut dicunt, repuncto, artificiose confecta. Eademque pœna puniantur abbatissæ, quæ permiserint, quod sorores suæ talia repuncta faciant.

27. Quicumque non legitime impeditus aut per obedientiam, aut per infirmitatem, nisi fuerit lector generalis, aut actualiter in prædicatione occupatus, non interfuerit in choro omnibus horis, dicat culpam suam.

28. Pro prima vice, si non interfuerit matutino, & aliis horis, dicat quinque *Pater*, & quinque *Ave*. Pro secunda dimittat pitantiam. Qui fuerit defectuosus, & solitus, pro qualibet vice faciat disciplinam.

29. Guardiani negligentes in exigendis ejusmodi pœnis, eisdem pœnis subjaceant.

30. Nemo a choro exeat, tempore, quo persolvitur divinum officium, sine expressa licentia præsidentis chori, sub pœna a guardiano taxanda.

31. Silentium a signo salutationis au-

angelicæ in sero, usque ad pulsationem primæ horæ diei sequentis, ab omnibus observetur, exceptis hospitibus de novo advenientibus, & illis ministrantibus de licentia guardiani.

32. Hora dormitionis a festo Resurrectionis Domini ad festum Exaltationis S. Crucis, qualibet die, post secundam mensam pulsetur campanella refectorii, & sileant omnes usque ad nonam.

33. Diebus jejuniorum similiter post pulsationem campanellæ sileant, donec sacrista signum faciat. Sed liceat fratribus, si necesse sit, loqui breviter, & submisse.

34. Qui silentium fregerit, dicat culpam in communitate, & accipiat pœnam a guardiano.

35. Nemo, sine licentia superiorum, stet cum alio fratre, vel sæculari juvene, in aliqua cella, vel camera, clauso ostio. Ostium vero intelligitur clausum, quando ab extra libere ingressus non patet. Contrafacientes jejunent in pane, & aqua coram fratribus.

36. Nemo deferat birectum in capite, in loco patenti, & communi.

37. Priventur officiis guardiani, qui in diebus jejunii dederint fratribus lacticinia, ova, caseum, & similia. Qui talia comederint, portent caputium probationis.

38. Superiores teneantur providere fratribus, qui voluerint jejunare quadragesimam *Benedictam*.

39. Ministri, guardiani, & vicarii in communitate, ecclesia, mensa, cibis, & vestibus, & aliis se conforment fratribus.

40. Graviter puniantur guardiani, qui sine pia, & rationabili causa dederint fratribus licentiam comedendi extra communitatem.

41. Nemo assumat vestes extraneas, devotionis, aut joci causa, sub pœna amotionis confusibilis a conventu, in quo manet.

42. Ministri, qui permiserint fratribus equitare, vel quadrigare, sine manifesta necessitate prolixi itineris, urgentis negotii, vel infirmitatis, aut calceamenta deferre in itinere, amoveantur a suis officiis in sequenti capitulo.

43. Qui equitandi, quadrigandi, ferendi calceamenta necessitatem habuerit, obtineat licentiam in scriptis a suo ministro, vel prælato locali, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ per biennium, & cui hæc pœna non competit, puniatur confusibiliter, arbitrio ministri.

44. Quilibet conventus, seu locus suum habeat procuratorem, œconomum, syndicum, & actorem, cui omnis eleemosyna pecuniaria, & quæ ad pecuniam reduci possunt, integraliter assignentur.

45. Syndicus pecunias dispenset pro reparatione conventuum, & locorum, aliisque occurrentibus fratrum necessitatibus.

46. Substitutus a syndico, ut puta famulus, non possit tenere penes se, de eleemosynis fratrum, ultra duo scutata.

47. Guardianus, qui habuerit aliquam eleemosynam alibi, quam in manu syndici, vel ejus substituti, puniatur pœna proprietarii.

48. Pœnam carceris subeat qui pecuniam portaverit, contrectaverit, aut in pera, aut supra jumentum detulerit, aut retinuerit in cella, vel con-

Digitized by Google

confessoriis. In eamdem incurrant prælati,& subditi, qui tenuerint apud se clavem alicujus arculæ, ubi sunt pecuniæ.

49. Fratres nec recipiant, nec recipi faciant oblationes in missis novellis, & similibus. Qui contrafecerit, tribus diebus, infra quindecim dies jejunet in pane, & aqua.

50. Omnes tam clerici, quam laici compellantur a superioribus, in labore sibi competente exerceri. Vitiosi, & otiosi per ministros, & guardianos priventur voce activa, & passiva.

51. Merces laboris, si fuerit pecuniaria, per laborantes consignetur integra prælatis ejusdem loci, de qua possit necessitatibus fratrum ejusdem loci occurri.

52. Fratres non sacerdotes communicent singulis diebus dominicis, in quadragesima, & adventu. Aliis temporibus, de quindena in quindenam.

53. Sacerdotes legitime non impediti faciant sacrum singulis diebus.

54. Fratres bis ad minus in hebdomada confiteantur peccata sua, & diebus solitis, juxta consuetudinem provinciæ, dicant culpam, & faciant disciplinam in communitate.

55. Vacent orationi mentali, ad minus omni die per horam, juxta morem provinciarum.

56. In omnibus conventibus, post *Ave Maria*, omnes ad ecclesiam vadant, & ante SS. Sacramentum, brachiis extensis, dicant sex *Pater*, & *Ave*, & *Gloria Patri*, ultimum pro S. Pontifice, ad lucrandam indulgentiam plenariam.

57. Qui receperit per se pretium laboris quodcumque, portet probationis caputium per mensem, & consuetudinarii carcere includantur.

58. Nemo sportulas, pileos, vel galeros, aut coronas, aut quid aliud de bombice, vel tornatile, vel alia de materia, venale faciat, sine licentia sui ministri; sub pœna pro prima vice unius disciplinæ, per totum *miserere*, in communitate. Pro secunda vice, probationis caputii per mensem. Pro tertia carceris per quindecim dies.

59. Ministri non concedant talem licentiam, nisi pro communi solum utilitate conventus.

60. Possint ministri, & guardiani, de pretio laboris necessitati fratrum laborantium satisfacere, quam eis conventus teneretur providere.

61. Nemo incidat arborem in nemore, vel viridario, fructiferam, vel infructiferam, sine scitu ministri provincialis sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, ab ipso ministro infligenda. Nec ministri licentiam concedant, nisi necessitas urgeat.

62. Studentes extra provincias suas non audiant confessiones mulierum, nisi aliqua vellet confiteri, cujus linguam ipsi soli callerent.

63. Nemo puerorum scholas regat, seu sæcularium personarum, in conventu, vel extra, sub pœna privationis actuum legitimorum.

64. Curent ministri, ut habitus, tunicæ, mantelli, femoralia, fascioli, & similia custodiantur in communitate, ad sufficientiam pro necessitatibus fratrum, & pro tota communitate.

65. Quisque, dum pergit pro aliquo

Digitized by Google

quo negotio extra terram, ubi manet, dimittat claves cellæ, & arculæ, seu scabelli guardiano, aut de ejus licentia, alteri fratri, sub pœna arbitrio ministri.

66. Si quis in aliena provincia, medio ordinato, acquisiverit libros, provinciæ, vel loco nativo, vel ubi professus est, eos acquirat, etsi in aliena provincia moriatur.

67. Libri fratrum, qui incorporantur, & moriuntur in alia provincia, distribuantur arbitrio ministri juxta necessitatem fratrum, & locorum.

68. Guardiani non inducant vel induci permittant locum aliquem in debita onerosa, absque ministri consilio, & assensu, & de his debitis in quolibet provinciali capitulo perquiratur, & puniantur delinquentes.

69. Guardiani singulis mensibus reddant computum clarum, & distinctum suæ administrationis. Ministri in visitatione notabiliter defectuosos privent officiis.

70. Ecclesia, & alia ædificia, quæ, considerato fratrum numero, judicari debeant excessiva, non amplius fiant.

71. Ministri, & custodes infirmorum curam habeant per alios eorum servitio deputatos, quos guardiani, & vicarii visitent, illisque provideant de necessariis ex communibus eleemosynis, nisi aliqua particularis distinète fuerit assignata fratri infirmo.

72. Ministri in quolibet loco suæ provinciæ deputent fratrem, qui in aliorum absentia infirmos frequenter visitet, & guardianum, procuratorem, atque infirmarium solicitet, ita quod bene provideatur, & serviatur infirmis.

73. Si frater pœnitens, instigante se spiritu, antequam sit delatus, vel accusatus de crimine, faciem ministri in confessione coram testibus prævenerit, absolvi possit a debitis pœnis, quoad forum extrinsecum, alia quacumque minus confusibili sibi imposita pœnitentia salutari. Quod intelligatur de primo recursu.

74. Qui facultatem non habuerit absolvendi a lapsu carnis, non possit absolvere a tactibus impudicis enormibus, sub pœna carceris.

75. Guardiani, & custodes non possint absolvere, sine speciali licentia ministri a sollicitatione ex certa scientia ad peccatum carnis.

76. Qui liberatur a carcere, non propter hoc intelligatur restitutus ad actus legitimos.

77. Privatio actuum legitimorum non importet privationem exsecutionis ordinis, sive vocis activæ, aut lectionis, aut prædicationis, vel testificationis in judicio, nisi specialiter exprimatur; bene vero privationem confessionis, saltem sæcularium.

78. Privatio officiorum ordinis importet privationem prælationis, confessionis, prædicationis, lectionis, diffinitionis, visitationis, & electionis in discretum mittendum ad capitulum; non tamen vocis activæ in electione ejusdem.

79. Guardiani, eorumque vicarii fratrem dignum carcere, possint retinere in domo disciplinæ, donec consulatur minister.

80. Arctatio importet, quod per triduum in qualibet hebdomada frater arctatus disciplinetur, cum psalmo *Miserere* semel recitato, & comedat in pane, & aqua per tempus ar-

arbitrio ministri, vel guardiani de consensu discretorum.

81. Incarcerati habitu ordinis spolientur, non sic in domo disciplinæ positi.

82. Incarcerati, qualibet feria sexta, in mensa communi fratrum, faciant disciplinam manu propria sine caputio, & jejunent in pane, & aqua.

83. Notati, & convicti de crimine innominabili carceri perpetuo mancipentur, ubi, saltem qualibet hebdomada, igne circa eo acceso, corpore denudato, pane, & aqua jejunent, & disciplinati in amaritudine, & dolore defleant vitam suam.

84. Possit minister generalis, post aliquot annos si vere contritos viderit, eos a carcere liberare.

85. Dogmatizantes, quòd ordinis prælati, in quorum numero censendi sunt custodes etiam, & guardiani, non possint ligare subditos censuris ecclesiasticis, & quod ministri nequeant sibi reservare casus, pro prima vice actibus legitimis sint privati; si vero perseveraverint, carceri mancipentur.

86. Possit custos, vel guardianus absolvere ab excommunicatione pro violenta manuum injectione, si ministri, aut custodis præsentia infra diem naturalem haberi non possit, aut vicarius guardiani, si præsentia custodis, aut guardiani infra triduum non possit haberi. Quod non intelligatur de injectione atroci, vel subditi in prælatum.

87. Quicumque peccatum alterius fratris, quod legitime probare non potest, alteri, quam prælato suo, revelaverit, puniatur pœna talionis.

88. In capitulo generali vota absentium, & eorum, qui sunt voce privati, post commissarium generalem, procuratorem ordinis, & commissarium curiæ, suppleantur quarto loco per guardianum Parisiensem, & custodem Hierosolymitanum.

89. Disquisitores, seu scrutatores cismontani in electione diffinitorum audiant, & recipiant vota cismontanorum; ultramontani vota ultramontanorum.

90. In electione ministri generalis omnes audiant, & recipiant vota singulorum vocalium cismontanorum, & ultramontanorum, ex quibus duo voces scribant, unus cismontanus, alter ultramontanus; cæteri assistant.

91. Si minister generalis decesserit ante officii sui quadriennium, vicarius generalis electus statim cogat vocales omnes ejus familiæ tantum, ex qua erat generalis minister defunctus, ad cooptandum alium generalem ministrum, in eamque cooptationem, & electionem judicetur ultro compromisisse, suisque sententiis ivisse altera familia, ita ut quod egerit ea familia, ex qua erat mortuus generalis, quæque alium sola eligit, altera ratum, fixumque habeat.

92. Idem intelligatur de electione novi ministri generalis, & de compromissione. Si vivens ob infirmam valetudinem, vel aliam causam, voluerit dimittere officium, eo in casu ipse convocet vocales suæ familiæ.

93. Minister novus duret, donec veniat legitimum tempus creandi ministrum totius ordinis suffragiis.

94. Generalis minister suo functus officio habeatur pro patre, & diffini-

tore

tore utriusque familiæ, & vocetur ad electionem vicarii ordinis, si sit facienda, maxime si ipse maneat in illis partibus, in quibus dictus vicarius eligi debet.

95. Post electionem ministri generalis, si is fuerit ex partibus cismontanis, eligatur immediate per patres vocales ministros, & custodes ultramontanos, per scrutinium secretum, cujus disquisitores ultramontani audiant, & conscribant singulorum vota, commissarius generalis ultramontanus.

96. Idem fiat per vocales cismontanos, si minister generalis sit ex partibus ultramontanis.

97. Commissarius generalis per triennium continuabit officium, nisi talis casus acciderit, quod vel propter bella, vel aliud legitimum impedimentum, generale capitulum intermedium, pro electione alterius generalis commissarii, celebrari non possit.

98. In hoc casu generalis minister eumdem usque ad tempus opportunum, de consilio nonnullorum patrum confirmare, vel alium ad arbitrium, ejusdem tamen familiæ, de qua erat functus officio, præficere queat eisdem partibus.

99. Si moriatur commissarius, a ministro generali alius instituatur, usque ad capitulum generale immediate futurum.

100. Si minister generalis de una familia assumptus se transferat ad aliam familiam causa visitationis, vel ob quodcumque negotium, possit de consilio nonnullorum patrum instituere commissarium generalem, usque ad suum reditum, ex suis partibus.

101. Si interim hujusmodi commissarius moriatur, ejus gerat vices minister provinciæ, in qua decesserit, donec alius commissarius a ministro generali assignetur.

102. Generalis commissarius electus secundum Bullam unionis, in omnibus, & per omnia subjiciatur ministro generali.

103. Possit tamen exercere suum officium, & uti sua auctoritate, etiam exsistente generali ministro in partibus, quibus præest commissarius, nisi negotia aliqua minister præfatus ordinaverit, ut ad suum devolvantur judicium, aut reservaverit suæ plenariæ jurisdictioni aliquas provincias, per se, vel alios commissarios suos particulares visitandas.

104. Generali ministro exsistente in partibus, ex quibus assumptus est, commissarius generalis exsistens in alia familia possit omnes delinquentes punire tam prælatos, quam subditos, tam institutos a dicto generali ministro, quam ab aliis prælatis ordinis auctoritate, qua uti posset præfatus generalis minister, si præsens esset; nisi fuerit sibi peculiaris aliqua causa interdicta.

105. Possit etiam animadvertere in officiales curiæ Romanæ.

106. Sit contentus duobus sociis.

107. In suo triennio visitet creditas sibi provincias, exceptis ultramarinis, per se, vel commissarios.

108. Expleto officio, sit pater, & diffinitor in sua familia, & non secus ac generalis minister functus officio, habeat vocem in electione vicarii ordinis.

109. Diffinitores generalium, & pro-

Digitized by Google

provincialium congregationum eligantur non solum vocales de corpore capituli, verum etiam de patribus in loco congregationis exsistentibus.

110. Electi non de corpore capituli habeant vocem activam in omnibus, præterquam in electione ministri, vel custodis mittendi ad capitulum generale.

111. Ex partibus ultramarinis cismontanæ, vel Italæ familiæ, unus in qualibet generali congregatione eligatur diffinitor, si provinciarum ultramarinarum ministri, & custodes ad generale capitulum accesserint, vel, legitime impediti, alios loco sui destinaverint.

112. Diffinitores in uno capitulo electi non possint in sequenti iterum eligi.

113. In capitulo generali intermedio, in quo est una tantum familia, sex eligantur diffinitores.

114. In capitulis provincialibus quatuor diffinitores electi in uno capitulo vacent vel per unum, vel per duo capitula, juxta consuetudinem provinciarum.

115. Sit in dispositione provinciarum, diffinitores eodem anno, quo sunt electi, præficere, vel non præficere in guardianos, vel confessores monialium.

116. Diffinitores eodem anno, quo eliguntur, præcedant in choro, mensa, aliisque publicis actibus cæteros non diffinitores, & illos, qui non fuerunt ministri, nec sunt guardiani.

117. Elapso anno servent ordinem religionis in præcedentia.

118. Non habeant socios particulares, aut capita mensæ, ratione paternitatis; sed servent communitatem, & usum fratrum.

119. Sine licentia ministri generalis, vel commissarii generalis, diffinitores non eligantur ultra numerum duodecim diffinitorum provinciæ.

120. Custodes mittendi ad capitulum generale per guardianos, & discretos in capitulo provinciali, censeantur in numero patrum provinciæ.

121. Provinciæ Galliarum reformatæ possint habere unum generalem diffinitorem in comitiis generalibus.

122. Procurator curiæ, seu ordinis semper instituatur de eadem familia, ex qua assumitur generalis minister.

123. Ad eum spectet orare in capella D. Papæ, & in eadem tempore debito interesse.

124. Commissarius curiæ instituatur ex altera familia. Nec ambo ultra triennium continuent officium.

125. Subditi sint, & pro subditis habeantur auctoritati, & obedientiæ commissarii generalis illarum partium, sive electi, sive instituti, dum ab iisdem partibus generalis minister aberit, ita ut ab eodem commissario generali possint corrigi, etiam usque ad suspensionem a suis officiis, saltem donec de eadem re fuerit factus certior idem minister generalis.

126. Excepto ministro generali, & commissario generali, non subjiciantur alteri prælato, sive locali, sive provinciali, una cum duobus sociis, quos unusquisque illorum habere possit.

127. Ad eos pertineat omnia ordinis negotia expedire, in quibus si quis se intromittat, sine illorum, aut ministri, vel commissarii generalium licentia, sit privatus omnibus actibus legitimis, etiamsi negotia bonum fa-

miliæ noſtræ concernant.

128. Nullo modo ſe ingerant de fratribus, quoad regimen provinciarum, nec de negotiis ſæcularium, nec de aliquo tangente ordinem noſtrum, ejusque libertatem, abſque ſcitu, & expreſſa licentia miniſtri generalis.

129. Miniſtri provinciales eligantur in ſuis provincialibus capitulis, eadem forma, qua eligitur miniſter generalis.

130. Eligantur a guardianis provinciæ, & diſcretis locorum, &, ſi defuerint aliqui vocales, ſuppleantur.

131. Inſtituantur tres diſquiſitores de corpore capituli, ex conſilio diffinitorum capituli præcedentis.

132. Diſcreti eligantur per fratres commorantes in eodem conventu, in quo diſcretus eſt eligendus.

133. Qui ſaltem per menſem non fuerit de familia in aliquo loco, non habeat vocem; ſed eam habeat in eo, a quo immediate receſſit.

134. Studentes forenſes in loco, ubi cauſa ſtudii de familia morantur, una cum lectore forenſi, poſſint habere tantum vocem activam.

135. Profeſſi tam clerici, quam laici, non habeant vocem ullam in electione diſcreti, niſi poſt integrum triennium a ſuſcepto habitu.

136. Guardiani habeant vocem activam in electione diſcreti, ſicuti miniſtri provinciales eamdem habent in electione cuſtodis mittendi ad capitulum generale.

137. Si quis ad diſcreti electionem, ſeu alios actus capitulares convenire nolit, voce activa, & paſſiva ſit per triennium ipſo facto privatus, et in prima publica refectione per unum *miſerere* faciat diſciplinam.

138. In loco, ubi non ſunt quinque fratres profeſſi, qui gaudeant voce activa, & paſſiva, non poſſit fieri diſcretus. Sed antiquior tempore, & honore in religione, & non ſuſpenſus, accedat ad capitulum una cum guardiano, quem miniſter, & patres provinciæ, ſi vocalibus non ſit ingratum, poſſint, tamquam ſupplemeum, pro dicto loco admittere.

139. In conventibus, ubi ſunt pauciſſimi fratres profeſſi, & non ſuſpenſi, poſſint inſtitui duo tantum diſquiſitores (ſi profeſſi, & electores omnes id approbaverint) alterius conventus, qui vota ſingulorum audiant, & electionem denuntient factam.

140. Miniſtri in capitulo, in quo abſolvuntur, habeant vocem, & ſuffragium in diffinitorio, electione guardianorum, confectione tabulæ, & præcedat reliquos omnes, durante capitulo, excepto miniſtro noviter creato. Poſtea teneat locum ſuum ordinarium, pro tempore, & dignitate ſua.

141. Non poſſint iterum eligi ad idem officium, niſi poſt duo triennia, nec promoveri ad guardianatum.

142. Decedente miniſtro provinciali, cuſtos cuſtodiæ, in qua moritur, ſumat ſigillum, vel, ſi non ſint ibidem cuſtodiæ, ſumat ipſum guardianus loci, in quo moritur.

143. Unus, vel alter advocet diffinitores electos in capitulo immediate præcedenti, & exminiſtros pro electione vicarii provincialis.

144. In ea electione guardianus, vel vicarius, ſi conventus caruerit guardiano, habeat vocem activam, & paſſivam, ſicut diffinitores.

145. Electio non fiat, ſine conſenſu mi-

ministri, vel commissarii generalium.

146. Si minister moriatur in terminis, qui duobus conventibus suis sunt communes, guardianus conventus prioris in ordine provideat.

147. Si moriatur in terminis indifferentibus duobus conventibus, provisio pertineat ad conventum propinquiorem.

148. In capitulis intermediis nulla sit potestas vocalibus confirmandi ministrum, quasi eum possint deponere, nisi super hoc fuerit eis a generali ministro, vel generali commissario data potestas particularis.

149. Si provincia habeat querelas contra ministrum, possit is privari officio, ex causa legitima, per ministrum, vel commissarium generales, aut eorum commissarios de ipsorum mandato.

150. Minister provincialis non exeat fines suæ provinciæ, nisi instituat commissarium, qui, si minister extra provinciam moriatur, regat provinciam, usque ad novam provisionem ministri, vel commissarii generalium. At non possit celebrare capitulum, sine mandato prædictorum, vel alterius eorum.

151. Illi, qui pro tempore fuerunt ministri, in provincia, in qua tales fuerunt, habeant vocem in electione vicarii provincialis, & in institutione novi guardiani extra capitulum, sicuti etiam in depositione alicujus guardiani, quemadmodum eam habent diffinitores. Ideo vocari debeant.

152. Possint etiam habere gratum socium in provincia, in qua fuerunt ministri. Sed non eximantur ab obedientia guardianorum.

153. Præcedant super omnes, qui officio ministeriatus non fuerunt functi.

154. Si minister, vel commissarius generales sint in ea familia, in qua celebrandum est capitulum provinciale pro electione novi ministri, non celebretur capitulum, nisi eidem unus, vel alter interfuerit.

155. Minister Candiæ non accedat ad capitulum generale; sed mittat loco sui commissarium cum custode, & ipse regat provinciam, usque ad reditum novi ministri.

156. Ministri provinciales habeant ordinariam jurisdictionem excommunicandi, ligandi, capiendi, incarcerandi, & pœna alia puniendi omnes aliarum provinciarum apostatas, ad suam divertentes provinciam.

157. Idem possint guardiani, si præsentia ministri intra triduum haberi non possit. Idemque pariter omnes fratres in casu necessitatis, citra tamen scandalum.

158. Ministri, qui non possunt ex legitimo impedimento accedere ad capitulum generale, mittant loco sui commissarios.

159. Commissarii missi ad provincias a superioribus generalibus, post provinciæ visitationem, & celebrationem capituli, exeant provinciam, ad minus intra viginti dies.

160. Post talem terminum expiret eorum auctoritas, nisi fuerit sibi in speciali datum mandatum regendi provinciam ad certum tempus.

161. Nullus commissarius valeat destinare fratres ad provincias alienas, nisi ipsos mittat ad ministrum, vel commissarium generales.

162. Commissarius non possit corrigere ministrum provincialem, nisi

Digitized by Google

ex causa, & cum consensu majoris partis provinciæ.

163. Si depositio esset infligenda, nihil fiat absque consensu ministri, & commissarii generalium, nisi minister deponendus admisisset crimen adeo scandalosum, quo merito deberet statim privari, & nisi præsentia dictorum generalium intra decem dies haberi facile possit.

164. Commissarius non possit privare aliquem patrem, qui fuerit alias minister provincialis, nec facere notabilem punitionem, ut puta carcerationem, sine consilio, & assensu majoris partis capituli.

165. Commissarius non habeat votum in electione guardianorum, & confessorum monialium, ac sororum, in diffinitoriis, nisi auctoritatem delegatam habeat a ministro, aut commissario generalibus. At curet, ut digni promoveantur.

166. Guardiani non sint in officio ultra triennium, & in uno loco sint tantum biennio.

167. Post primum annum guardianatus, vacent annum alterum, antequam ibi, vel alibi instituantur in eodem officio.

168. Eligantur in capitulo provinciali, & post ipsum, semper de consilio diffinitorum, & de eorum consilio post capitulum deponantur, si contingat, aliquos indigere privatione.

169. Singulis provinciis cismontanis integrum sit, si placuerit ministris, & majori parti patrum, quolibet anno sua celebrare capitula provincialia. Quando tamen erit habenda auctoritas generalium, habeatur, antequam celebrentur.

170. Liceat fratribus in quadragesima, processionibus, & similibus, ubi pro tempore fuit consuetum, cum prælatorum suorum licentia, sacras habere conciones.

171. Nulli fratrum concedatur licentia prædicandi ubilibet cum annexis privilegiis, & auctoritatibus, quas apostolicas vocant.

172. Nemo mittatur ad prædicandum in alienas provincias, nisi urgente necessitate, & cum unico socio.

173. Prædicatores eleemosynas prætextu prædicationis eis oblatas non recipiant, nec de illis se intromittant, maxime quando in propriis concionantur provinciis. Sed guardiano conventus eæ liberæ assignentur.

174. Guardiani teneantur de omnibus necessariis prædicatoribus providere, sub pœna ad arbitrium ministri, & in hoc casu liceat prædicatoribus, maxime extra suas provincias, sibi necessaria procurare.

175. Confessores monialium instituantur in capitulo provinciali; nullusque ultra biennium ejusdem monasterii valeat institui confessor.

176. Confessores, demptis spectantibus ad suum officium, cum suis sociis subiiciantur illis guardianis, quorum conventus sunt, sicut & cæteri fratres eorum curæ commissi.

177. Abbatissæ, seu ministræ provideant confessori suo saltem de indumento, quo indiguerit.

178. Confessores non circumeant civitatem una cum sociis, vel per terras abeant sine speciali licentia sui guardiani.

179. Moniales, quæ contra jurisdictionem ordinis nostri confugerint ad principes, & consilium eorum, vel ad dominorum opem implo-

Digitized by Google

plorandam, abdicentur continuo ab ordinis cura, & tutela, sub pœna excommunicationis.

180. Si id fecerit aliqua monialis, ea expellatur a monasterio, & in aliud nostræ obedientiæ ponatur.

181. Abbatissa, a cujus monasterio monialis expellitur, teneatur illi suppeditare impensas in victum, & vestitum annuum, usque ad vitæ finem. Altera eam recipere teneatur, sub prædicta pœna. Quod statutum semper observetur, si a prælatis insolentes, vel criminosæ transferantur.

182. Guardianus Hierusalem, vel commissarius, vel vicarius non possit destinare fratres ad Italiam, vel alias partes, nisi primum ad præsentiam ministri, aut commissarii generalium eos destinet, cum eorum permissu, sub pœna carceris.

183. Commissarius, aut guardianus locorum Terræ Sanctæ non recedat a commissione, vel officio suo, antequam novus prælatus accedat.

184. Non recedat inde aliquis frater, nisi fuerit custos, qui cum socio ad capitulum generale proficiscatur.

185. Guardianus, aut commissarius præfatus pro gubernatione illorum locorum, ducat secum totam familiam, tam in eundo, quam elapso triennio in redeundo, & de communibus eleemosynis illorum locorum suppeditet in itinere singulis fratribus necessaria.

186. Si contingeret, familiam non posse accedere, vel recedere cum suo prælato, tunc prælati, quibus incumbit, provideant fratribus de necessariis.

187. Singulis sabbatis dicatur in cismontanis partibus officium Conceptionis Virginis Mariæ tam in horariis precibus, quam in missa, & reliquis functionibus, incipiendo a primis vesperis, & a capitulo, ita ut omnia fiant solemniter.

Congregatio Generalis Romæ Anno 1557. sub vicario Generali Angelo de Aversa. *Leges* nullæ.

LVII. CAPITULUM GENERALE AQUILÆ. Anno 1559 FRANCISCUS ZAMORA. *Leges*. I. In capitulis generalibus, & provincialibus absentium vota non suppleantur, exceptis commissario generali, procuratore ordinis, commissario curiæ, & guardianis Hierosolymitano, ac Parisiensi.

2. Si minister generalis ante sexennium ex altera familia, ex qua assumptus est, moriatur, commissarius generalis teneat sigillum, & statim ad familiam, ex qua vicarius generalis assumendus est, se conferat, ubi in loco commodo diffinitores pro tempore convocet, & instituat vicarium generalem ejusdem familiæ, ex qua erat generalis minister.

3. Vicarius sic institutus statutum Salmaticense, de generalis ante quadriennium decedente, observabit.

4. Ministri provinciales ante sexennium non possint reassumi in ministros.

5. Diffinitores capitulorum provincialium, & intermediorum, durante suo officio, non possint eligi in guardianos.

6. Minister generalis, legitima urgente necessitate, possit mittere commissarios, per quos, & per seipsum totum ordinem visitet, antequam expleat officium. Si quis contrarium asseruerit, sit excommunicatus, & privetur omnibus actibus legitimis.

7. Ministri provinciales non possint remittere studentes ad suas provincias, absque licentia ministri, vel

com-

Digitized by Google

commissarii generalium, sub pœna privationis officii.

8. Si studentes commiserint aliquod facinus, ob quod in propriis retinere eos ministri non possint, eos cum literis remittant ad præfatos ministrum, & commissarium generales.

9. Fratres alterius familiæ non retineant in locis sui ministri, vel guardiani, ultra triduum, legitimo cessante impedimento, sine licentia generalium, aut officialium Romanæ Curiæ, sub pœna privationis officiorum. Guardiani eos non retineant, sine licentia suorum ministrorum.

10. Apostatæ revertentes, per duplum temporis apostasiæ locum ultimum teneant.

11. Fratres forenses prælato tantum, & non janitori, aut alii privato fratri, obedientiales literas ostendere cogantur.

12. Qnælibet provincia saltem unum conventum habeat, in quo sint infirmarii, et aromatarii ad infirmorum utilitatem.

13. Nullus deinceps promoveatur ad sacerdotium, nisi fuerit grammaticæ peritus.

14. Statuta Barchinonensia observentur a patribus ultramontanis, una cum tabula præsentis, & Salmaticensis capituli.

15. Ministri provinciales, intra quatuor menses, postquam in provincias suas venerint, accedant ad omnia monasteria monialium, & juxta capacitatem monasteriorum, determinent numerum monialium, ultra quem nulla recipiatur. Et, si moniales plures illo numero fuerint, neminem, donec ad determinatum numerum fuerint redactæ, recipere valeant.

16. In provinciis cismontanis sorores, quæ extra clausuram inserviunt monialibus, si fuerint incorrigibiles, includantur a ministro in monasterio inter moniales, cum velo albo, quod portare consueverunt. Et abbatissa, ac moniales cogantur eas recipere sub privatione officiorum.

Leges pro ultramontanis. 1. Mittantur in Indias duo commissarii generales, alter in novam Hispaniam, alter in Peruviam, qui illas partes per sexennium per se visitare curabunt.

2. Provincia Aquitaniæ reformatorum possit mittere octo studentes ad conventum Parisiensem.

3. In conventu Parisiensi continuentur duæ lectiones in Sacra Scriptura, sicut hactenus est observatum.

Congregatio generalis in S. Monte Alvernæ. Anno 1563. *Leges*. 1. Singulis annis sua celebrent comitia Italicæ provinciæ, ubi minister suo officio cedat, reeligendus, vel rejiciendus.

2. Interdicantur cantus facti in choro, & publice, sub pœna pro prima vice unius disciplinæ; pro secunda privationis vocis activæ, & passivæ. Moniales nullo pacto doceantur sub eisdem pœnis.

3. Eleemosynæ non recipiantur a prædicatoribus, prætextu prædicationis, sed integre assignentur sindico, seu procuratori conventus.

4. Guardiani in locis, ubi prædicatores concionantur, provideant eis de necessariis, tam circa indumenta, si indiguerint, quam alias expensas, veniendo, manendo, & redeundo, sub pœna privationis officii, & aliis actioribus arbitrio ministri, & commissarii generalium.

5. Nulli prædicatorum liceat, prætextu

textu prædicationis, vel quavis alia ratione, barbam nutrire, sub pœna privationis actuum legitimorum.

6. Minister provinciæ nulli guardiano concedat licentiam recipiendi aliquem ad ordinem, vel ad professionem emittendam.

7. Ut aliquis recipiatur ad ordinem, requiratur consensus majoris partis capituli provincialis, idemque fiat in professione emittenda, secus professio irrita censeatur. Quilibet autem novitius profitebitur in conventu, in quo diutius permanserit.

8. Juvenes professi instituantur in grammaticis per fratres idoneos, aut omnino provideatur, ut per præceptores sæculares id fiat; quibus de eleemosynis conventuum provideatur.

9. Puniantur arbitrio ministri illi, qui funes de canapo, & calepodia non detulerint, exceptis iis, quos necessitas non sinit nudis ire pedibus.

LVIII. CAPITULUM GENERALE VALLISOLETI. Anno 1565. ALOYSIUS PUTEUS. *Leges*. 1. Patres, qui fuerunt vicarii generales per biennium, censeantur patres utriusque familiæ, & habeant vocem in diffinitoriis.

2. Statuta generalia a Julio III. approbata, recipiantur a familia ultramontana, & a cismontana reverenter acceptentur.

3. Commissarius generalis habeat vocem activam, & passivam in comitiis generalibus.

4. Liberum sit provinciis, capitula intermedia celebrare, aut non celebrare, prout expediens videbitur necessitati provinciarum.

5. Ministri provinciales tantum visitent monasteria utriusque sexus, etiam primæ regulæ S. Claræ, amotis omnibus visitatoribus.

6. Moniales renuentes visitationem ministrorum dimittantur.

7. Custos custodum eligatur in principio, seu fine capituli; & quælibet familia servet in hoc morem suum.

8. Privetur actibus legitimis guardianus, qui, peracto suo officio, reliquerit majorem numerum missarum, quam centum, quarum satisfactio non apparuerit relicta in pecuniis numeratis pro successore.

9. Nemo, qui natalium patitur defectus, admittatur ad dignitates, & officia, quæ ad residentiam, & regimen spectant.

10. Falsificatores sigilli ordinis, aut conventus, ultra pœnas sui criminis, sint inhabiles ad ordinis dignitates, & officia.

11. Apostatæ, qui intra duos menses non agnoverint culpam suam, publice coram prælato, priventur per decennium voce activa, & passiva, nec promoveantur ad sacros ordines, & teneant ultimum locum inter fratres suæ conditionis.

12. Ministri provinciales primo examinent recipiendos; deinde eos examinandos comittant guardiano, & discretis locis, ubi recipi debent.

13. Nemo admittatur ad professionem, nisi per ministrum provincialem, aut de ejus licentia in scriptis; aliter professio sit nulla.

14. Cappellaniæ perpetuæ, per conventiones præsertim, & instrumenta publica, non recipiantur in conventibus, & receptæ dimittantur.

15. Liceat fratribus recipere, per modum eleemosynæ dumtaxat, subsidia

Digitized by Google

dia missarum libere oblata.

16. Visitatores, seu commissarii non mittantur ad provincias, nisi urgente necessitate, vel postulante aliqua provincia.

17. In toto ordine unum habeatur calendarium, secundum præscriptum S. R. E., excepto quod festa SS. Ordinis nostri fiant duplicia, & officium proprium S. Francisci non omittatur.

18. Fratres humaniter tractent religiosos cujuscumque ordinis, maxime Jesuitas, quos invitent ad actus literarios, & festorum nostrorum celebrationem, aliosque actus publicos, ad quos solent religiosi convenire.

19. Provinciæ Hispanorum, singulis sabbatis celebrent officium Immaculatæ Conceptionis proprium incipiendo a primis vesperis,& in utrisque vesperis versus sit: *In conceptione tua*, *Beata virgo*, *Immaculata fuisti*.

20. Festum desponsationis B. M. V. fiat octava die Martii, S.Francisci de Paula secunda aprilis duplex minus. Conversionis S. Pauli, S. Joachim, & S. Mariæ Magdalenæ sint majora duplicia.

LIX. CAPITULUM GENERALE ROMÆ. Anno 1571. CHRISTOPHORUS A CAPITEFONTIUM. *Leges*. 1. Divinum officium celebretur secundum breviarium novum, & calendarium ipsius.

2. Lectores post ordinariam lectionem, declarent aliquot casus conscientiæ, vel de iis ordinariam habeant lectionem; vel tres habeant lectiones in hebdomada, ad eorum arbitrium.

3. Diffinitores sive generales, sive provinciales, non priventur officiis suis.

4. Apostatæ ab una provincia non recipiantur in alia; nisi prius agnito peccato.

5. Magistri, & directores juvenum in grammatica, si officium suum exsequi recusaverint, graviter puniantur a ministro in sua visitatione, ante cujus adventum deponantur a guardiano, & alii instituantur.

6. Nulli sint lectores, & prædicatores, nisi actu legant, aut prædicent.

7. Nullus conventus accipiatur sine licentia generalis, qui eam non det, nisi rogatus a majori parte vocalium.

8. Ministri provinciales teneantur dare abbatissis tres confessores extraordinarios, & abbatissæ eos petere.

Leges pro familia cismontana. 1. In provinciis latioribus statuatur certus numerus diffinitorum, nempe sexdecim, in angustioribus duodecim; ultra quem numerum alii non eligantur, abque licentia ministri, vel commissarii generalium.

2. Diffinitores tam provinciales, quam generales, expleto officio, non habeant facultatem adsciscendi sibi socios particulàres, conventum exeundi sine licentia guardianorum, neque eximantur a choro, neque gaudeant ullo alio privilegio, quod communi omnium vitæ deroget.

3. Assideant choro, & mensis, ordine usitato in religione, plus siquidem, minus juxta tempus ingressus in religionem.

4. Dispensante ministro, vel commissario generalibus, diffinitores possint esse guardiani in eodem capitulo.

5. Prælati cum duobus patribus ex provincia faciant suas visitationes contentiosas, excipiant dicta testium, & audiant defensiones reorum.

Leges pro monialibus. 1. Observetur

vetur concilii canon circa bona particularia.

2. Cancelli, seu crates laminentur interius, relictis parvis foraminibus.

3. Interdicantur familiaritates suspectæ, amicitiæ, seu devotiones sæcularium, clericorum, & religiosorum, sub pœnis gravissimis.

4. Servetur canon concilii, quando offerendi sunt monialibus a prælatis confessarii ordinarii.

5. Confessarii audiant earum confessiones, quando fuerint interpellati, potissimum temporibus, in quibus ex regula, vel concilio debent confiteri; idque sub pœna privationis officii.

6. Moniales conversæ eligi nequeant ad alia officia, præter coquinam, & alia servilia.

Leges pro Galliarum provinciis. 1. Guardiani continuent officium in eodem loco, donec videbuntur utiles, eorumque electio fiat juxta statuta Barchinonensia.

2. Moniales S. Claræ non visitentur, nisi a ministro provinciali, aut viro probo, & gravi.

3. Promoveri possint aliqui ad lecturam magistri sententiarum in facultate Parisiensi, quibus minister generalis non det literas obedientiales, nisi postulatus a ministris juxta placita patrum provinciæ.

4. Promovendi non gaudeant obedientiis, nisi responderint in capitulo provinciali, deferantque testimonium patrum suorum de doctrina, & sufficentia sua; sine quo testimonio non recipiantur a discretorio Parisiensi.

5. Si sententia lata contra delinquentem exsequtioni mandari cito non possit, vel ob rebellionem ipsius, vel ob favorem sæcularium, ad nullius postulationem revocetur, inconsultis patribus, viva voce, si adsint, vel, si absint, scripto.

6. Conventus proportionaliter, secundum judicium patrum provinciæ, suppeditent sumptus necessarios ministro, & custodi euntibus ad capitulum generale.

7. Patres, vel conventuum superiores, qui in eo restiterint, priventur ex tunc actibus legitimis.

8. Addatur pœna gravior ea, quæ est in statutis, contra recurrentes ad sæculares, & appellantes a sententia suorum superiorum.

9. Provincia Aquitaniæ habeat discretum in conventu Parisiensi, qui sit antiquior tempore studii in eodem conventu, modo a provinciali capitulo judicetur habilis.

10. Moniales alterius ordinis, institutæ abbatissæ apud nos, teneantur habitum nostrum gerere, & secundum nostram regulam vivere.

11. Administratio bonorum monasterii fiat per sindicam, & ministram, quæ sæpissime rationem reddant abbatissæ.

12. Qui per literas ausi fuerint subornare fratres, ut relinquant proprias provincias, arctentur in punitionem.

13. Liceat ministris provincialibus intermedium capitulum celebrare, aut fratres provinciæ pro negotiis expediendis ad certum locum, & diem convocare.

Leges pro Hispaniarum provinciis, 1. In conventibus de Tordesillas, S. Antonii de Segovia, & Galabazanos, provinciæ Conceptionis, vicarii habeant vocem in capitulo provinciali.

2. Biennio post provincialæ capitulum fiat a ministris, & diffinitoribus

Digitized by Google

congregatio, quæ gerat vicem provincialis capituli ad peragenda ea, quæ fieri solent in capitulis provincialibus.

3. Non mittantur fratres ad curias principum; sed negotia omnia peragat commissarius curiæ.

4. Recollecti non suscipiant curam monialium.

5. Nullus conventus, custodia, aut monasterium eximatur a regimine ministri provincialis, etiam ad preces principum.

6. Provincia, quæ non habuerint saltem tres domos, studio literarum occupatas, scilicet grammaticæ, logicæ, & theologiæ, fiat custodia, & applicetur alicui provinciæ.

Congregatio generalis Romæ. Anno 1575. *Leges*. 1. Quicumque gladio fratrem suum, vel sæcularem percusserit, carcere includatur per annum.

2. Qui gladium exemerit, ut percutiat, vel minatus fuerit gladio, carceris sex mensium pœnam luat.

3. Si ex percussione mors sequuta fuerit, vel gravis mutilatio, damnetur ad triremes. Et ad eosdem damnetur, si percusserit prælatum gladio, sive mors sequuta fuerit, sive non.

4. Quicumque rebellaverit provinciali suo, guardiano, vel vicario, & verbis irreverentibus, & injuriosis illum coram fratribus, aut sæcularibus affecerit, privetur voce activa, & passiva.

5. Si prælati notabiliter defectuosi inveniantur in legendis statutis, vel ipsis exsequendis, per ministros, & commissarios provinciam visitantes priventur officiis suis.

6. Nullomodo differantur pœnæ delinquentium, sub pœna depositionis ab officio.

7. Confessiones Juvenum nostri ordinis, qui ad XXV. annum non pervenerint, non audiantur in cella, sed in capitulo, ecclesia, vel alio publico loco, sub pœna privationis actuum legitimorum.

8. Si quis post ingressum religionis commiserit crimen, per quod in sæculo morte esset mulctandus, non promoveatur ad dignitates ordinis, nisi ostenderit maximam contritionem; & hoc de licentia ministri, aut commissarii generalium; si inde proveniat magna utilitas ordini nostro.

9. Cæteris paribus, viri docti præferantur aliis circa promotionem ad dignitates, & collocationem fratrum in celebrioribus conventibus, & civitatibus. Judicium de doctrina, & probitate feratur a ministro provinciali, cum diffinitoribus capituli.

10. Assignentur procuratori conventus eleemosynæ prædicatorum integræ, de quibus a provinciæ ministro alantur pro rata studentes extra provinciam.

11. Confessores abstineant ab audiendis confessionibus sæcularium in cella, vel privatis locis, nisi maxima urgeat necessitas.

12. In conventu S. Mariæ Novæ Neapolis morentur tantum quinquaginta sacerdotes de familia, decem clerici, & triginta laici, quibus addatur numerus studentium, arbitrio ministri generalis. Nec deinceps in celebrandis missis deserviant fratres alii ecclesiæ, nisi propriæ, immo nec monialium nostri ordinis.

13. In conventu S. Crucis ejusdem civitatis sint tredecim sacerdotes, septem laici, clerici ad libitum, qui studeant grammaticæ. Et in conventu Mon-

Digitized by Google

Montis Calvarii sint duodecim sacerdotes, sex laici, & reliqui clerici, arbitrio ministri provincialis, qui etiam operam dent studio grammaticæ.

14. Si contigerit, exulare aliquem fratrem, decreto protectoris ordinis, vel expelli vigore statutorum generalium, minister provinciæ propinquioris illum acceptet, sub pœna privationis officii.

15. Privetur officio guardianatus per aliquot annos guardianus, qui conquestus fuerit de sua translatione, si contingat, ut transferatur.

16. Si aliquis fratrum apostataverit, ejus apostasia statim scribatur in registro a ministro provinciali.

17. Si minister habuerit de apostata suspicionem criminosam, formet processum, servandum in archivo provinciæ. Quæ duo nisi faciat minister, privetur officio.

18. Diffinitores præcedeant cæteros fratres in choro, processionibus, & mensa, usque ad electionem novorum diffinitorum, nullo habito respectu antiquitatis religionis.

19. Finito eorum tempore, dent præcedentiam antiquioribus in religione, ac si nunquam ipsi fuissent diffinitores.

20. In congregationibus tamen, quæ pro emergentibus negotiis fieri solent, eodem gaudeant honore. In capitulis vero immediate vocalibus succedant.

21. Studentes generales surgant media nocte ad matutinum, sub pœna pro prima vice privationis mediatatis portionis vini; secunda, vel tertia, sola aqua illis in refectione apponatur.

22. In diebus festivis conveniant ad majorem missam, & vesperas.

23. Guardianus ipsis assignet unam horam pro oratione.

24. Qui cum guardianis, & lectoribus suis non vixerint pacifice, & non fuerint studiosi, a studio removeantur confusibiliter cum ignominia.

25. Silentii tempore non possint conversari in alterius cella, nec alio tempore, nisi januis apertis.

26. Post occasum Solis, nulli liceat alterius cellam ingredi, aut commessationes, & compotationes facere in dormitorio.

27. Eleemosynas, quas ab amicis pro studio receperint, deponant in manus sindici conventus, in quo morabuntur, sub pœna proprietarii.

28. Semel in mense tantum e conventu egredi possint de licentia guardiani pro suis negotiis. Libros autem per lectorem, vel alium emi sibi faciant.

29. Dum egrediuntur, non possint accedere ad domos suspectas, vel monasteria monialium, sub pœna expulsionis confusibilis a conventu, & studio.

30. Non teneantur ad processiones, nisi generales, neque ad cætera onera conventus.

31. Unusquisque, vicis suæ ordine, sustineat, præsente lectore, conclusiones publicas, semel ad minus in hebdomada, diebus præsertim dominicis, sub pœna privationis studii, judicio generalium ministri, vel commissarii, quibus statim per literas lectores significent studentium negligentiam.

32. Sacerdotes celebrent ad minus ter in hebdomada. Diaconi, & subdiaconi bis Eucharistiam sumant, idque faciant diebus festis, ac dominicis.

33. Lectores nunquam, sine legi-

timo impedimento, deficiant a lectura.

34. Semel in menſe poſſint vacare a lectione, & egredi conventum ad recuperandas vires.

35. Diebus dominicis, quibus præerunt concluſioni, non teneantur ad aliquam lectionem.

36. Si per notabile ſpatium temporis abfuerint, vel legere noluerint, aut neglexerint, alii ipſorum vice illico ſubſtituantur.

37. Quælibet provincia habeat unam arcam, tribus clavibus diverſis munitam, ad ſervendas ſcripturas publicorum, & privatorum negotiorum. Una clavis ſit apud miniſtrum provinciæ, reliquæ apud duos patres electos a miniſtro, & diffinitorio.

LX. CAPITULUM GENERALE PARISIIS Anno 1579. FRANCISCUS GONZAGA. *Leges*. 1. Miniſtri provinciales ſub pœna depoſitionis ab eorum officiis, curent, ut fratres omnes intendant orationi, præſertim mentali.

2. Curent pariter, ut exſecutioni mandentur decreta viſitatorum apoſtolicorum, præciſe quæ ad eccleſias, & ſacriſtias pertinent.

3. Viſitent cuſtodias, & tabernacula SS. Sacramenti, & quæcumque pertinent ad cultum divinum.

4. Dent operam, ut habeant omnia ſtatuta generalia, maxime Salmaticentia, Aquilana, Valliſoletana, & Romana, quæ impreſſa una cum ordinationibus provincialibus ſinguli habeant conventus, ſub pœna depoſitionis ab officiis.

5. Procuratores, & commiſſarii curiæ committant prælo omnia brevia, bullas, & motus proprios, quæ impreſſa mittant ad ſingulas provincias, a quibus exigant portionem expenſarum.

6. Miniſtri provinciales non mutent, nec mutare locum permittant, infra annum, eos fratres, quos capitulum provinciale, vel congregatio locaverit, niſi pro ſervitio provinciarum.

7. Si quis apoſtataverit, miniſtri ſtatim certiorem reddant miniſtrum, vel commiſſarium generales. Guardiani vero, præſidentes, aut vicarii in prima refectione immediate ſequenti apoſtatas excomunicatos denuntient, & publicent in refectorio.

8. Curent miniſtri provinciales, ut in quolibet conventu ſit unus prædicator de familia, vel ſaltem pater, aut frater probus, maturus, & in literis eruditus.

9. Nota legatorum cum oneribus mittatur ad capitulum, vel congregationem provincialem.

10. Qui neſcit caſus miniſtro reſervatos, & in tabula expreſſos, non poſſit audire fratrum confeſſiones.

11. Miniſtri in viſitatione committant alicui fratri probatæ vitæ, & famæ facultatem abſolvendi a caſibus reſervatis, a quibus nemo alius abſolvat, ſub pœna excommunicationis.

12. Reis non liceat appellare ad majores prælatos, vel ſuperiores, niſi poſt ſententiam provinciæ datam.

13. Miniſter, vel commiſſarius provinciæ det appellanti copiam proceſſus fidelem, clauſam, & ſigillatam, afferendam ab ipſo ad judicem appellatum, una cum obedientia eum adeundi, niſi ſit ſuſpectus de fuga, quo in caſu judex, a quo, mittat proceſſum ad judicem, ad quem fuerit appellatum.

14.

Digitized by Google

14. Si reus repertus fuerit indebite judicatus, puniatur judex; secus, duplicetur ei pœna injuncta.

15. Si reus, sententia non expectata, superiorem adierit, remittatur ad judicem, a quo discessit, & notetur de apostasia.

16. Ministri neminem instituant confessarium, vel promoveant ad ordines sacros, absque testimonio in scriptis de ætate, moribus, & doctrina.

17. Ministri provinciales continuent deinceps officium suum per quadriennium.

18. Si quis exerceat amicitiam cum monialibus, vel devotis quibuscumque feminis, privetur voce activa, & passiva, sitque inhabilis perpetuo ad omnia ordinis officia.

19. *Pro cismontanis*. Capitula intermedia reserventur ministris provinciarum. Alia arbitrio ministri, & commissarii generalis cismontani.

20. Ministri legitime impediti possint mittere ad capitulum generale commissarios electos in diffinitorio, qui vocem habeant in eodem capitulo activam, & passivam.

21. Nemo incorporetur in aliena provincia, nisi post biennium, de consensu ministri, & capituli.

22. Incorporatus non possint expelli a provincia, sed si deliquerit, in ea puniatur.

23. Nemo elemosynas quærat in terris alterius conventus, nisi de consensu guardiani conventus ipsius.

24. Vigeant in singulis provinciis statuta recepta, quibus alia non addantur, nec contra illa aliquid decernant commissarii, nisi consenserint minister, & diffinitores.

25. Abbatissæ in Hispania, expleto quadriennio, non possint iterum eligi, sed vacent per tres annos.

26. Guardiani in Hispania, expleto quadriennio, nequeant esse guardiani in eodem conventu.

27. Ministri provinciales, si sint præsentes, habeant vocem in capitulo provinciali, cui adesse poterunt, si velint.

28. Ministri provinciales, & diffinitores subrogent alterum diffinitorem, si unus decedat.

29. In Gallia fratres beneficiati non assumantur ad officia, & dignitates ordinis.

30. Pensio studentium Parisiensium sit æqualis. Ipsi veto, absoluto studiorum cursu, redeant ad proprias provincias, sub pœna apostasiæ. Qui non redierint intra quatuor menses, nec impediti fuerint legitime, priventur cursu.

31 Concordata, statuta, & privilegia provinciarum Franciæ, Turoniæ, & S. Bonaventuræ, rata habeantur, si antea probata, & confirmata sint per ministrum generalem.

32. Conventus S. Joannis in Laterano sit incorporatus provinciæ Romanæ.

33. Provincia Candiæ possit eligere suum ministrum, eidemque jungantur Corcyra, & Chium.

LXI. CAPITULUM GENERALE ROMÆ Anno 1587. FRANCISCUS A TOLOSA. *Leges*. 1. Interdicantur conversationes intrinsecæ sæcularium tam mulierum, quam virorum, quibuscum nemo tractet, nisi quantum necessitas exegerit.

2. Patres ordinis gaudeant privilegiis eorum, qui fuerunt ministri in suis provinciis.

3. Secretarii ministri generalis sint

pa-

Digitized by Google

patres suarum provinciarum, & socium habere possint.

4. Ministri provinciales abstineant, quantum in Domino poterunt, a mittendis fratribus extra provincias; nec admittant ad prædicandum, confessiones audiendas, vel ad sacros ordines fratres non suos subditos.

5. Nemo assumatur in commissarium curiæ, aut procuratorem ordinis, nisi fuerit minister provincialis.

6. Nemo egrediatur septa conventus, absque licentia petita, & obtenta a guardiano, exceptis ministris generalibus, atque etiam commissariis generalibus officio functis; præterea iis, qui diffinitores generales exstiterint, qui sine licentia alicujus, cum socio sive electo, sive assignato, extra conventum exire queant.

7. Commissarii visitatores provinciarum non possint recipere aliquem ad habitum religionis, seu novitiatum, inconsultis actualibus patribus earumdem provinciarum.

8. Qui prælato suo aliquid occultaverit in visitatione, quod correctione indiget, atque id fecerit absque legitima causa, acriter puniatur.

9. Habeantur ut nullæ dispensationes omnes, sive renuntiationes vocis activæ, & passivæ, quas obtinent nonnullæ moniales in electionibus abbatissarum.

10. Apostatæ prima vice puniantur ad normam statutorum Aquilæ, & Vallisoleti. Secunda vice addatur eis pœna comedendi in terra panem cum aqua sine caputio, quindecim continuis diebus. Tertia vice, in perpetuum priventur actibus legitimis, voceque activa, & passiva. Quarta vice, damnentur, et mittantur ad triremes per triennium.

11. Ministri provinciarum indicent ministro generali, & procuratori ordini apostatas cum eorum criminibus.

12. Qui percusserit fratrem, vel sæcularem gladio, baculis, aut pugillis, aliisque hujusmodi, præter pœnam alias statutam, priventur voce activa, & passiva, & omnibus officiis in perpetuum. Insuper per mensem continuum edat in refectorio ter in hebdomada appensis ad collum ejus instrumentis percussionis.

13. Nemo inferior ministro, & commissario generalibus, fratrem aliquem Hierosolymam mittere possit.

14. Non mittatur guardianus Hierosolymitanus cum sua familia, nisi tempore capituli, vel congregationis generalis.

15. Ad lectoratus officium non promoveantur, nisi illi, qui probati fuerint per ministrum, & diffinitores.

16. Instituantur studia theologiæ generalia, & privilegiata Romæ in Aracæli, Neapoli in S. Mariæ de Nova, Venetiis in S. Francisci de Vinea, Bononiæ in S. Annuntiationis, & in S. Francisci de Monte cœnobiis. In his habeantur lectiones per totum annum, exceptis diebus festis, & canicularibus. Insuper in conventibus S. Francisci Salmanticæ, & Campluti.

17. Quolibet anno quilibet lector perlegat integrum librum sententiarum.

18. Lectores singuli unum tantum socium habeant sibi gratum, quacumque dignitate polleant, etiamsi perfuncti sint provincialatus officio, iis exceptis, qui commissarii generalis munus jam absolverint.

19. Possint studentes assumi ex qualibet provincia, illorum tamen præ-

Digitized by Google

præmiſſo examine a commiſſario generali, vel patribus ab eo deputatis, qui inquirant, an ſtudentes mittendi ad ſtudia generalia compleverint curſum logices, & philoſophiæ.

20. Studentes provinciæ, in qua adeſt ſtudium generale, præferantur exteris.

21. Numerus ſtudentium Neapolis ſit XXXV., Venetiis XVI., totidemque Romæ, Bononiæ, & Peruſiæ, quos inter non computentur ſocii lectorum.

22. Triennio vacent ſacris literis, nec poſſint habendis concionibus, & confeſſionibus audiendis operam dare.

23. Si quis eorum non interſit circularibus diſputationibus, & repetitionibus lectionum, ſine legitima cauſa, puniatur diſciplina, vel aliter ad arbitrium.

24. Extra vacantiæ tempus, & dies feſtos non teneantur adeſſe primæ, quo tempore duæ habeantur lectiones, nec completorio, neque illis temporibus, quibus a meridie fiet circulus, vel lectionum repetitione occupati erunt.

25. Non ſint diſpenſati ab oratione mentali, quæ in hyeme habeatur per integram horam poſt matutinum, in æſtate poſt nonam. Qui contrafecerit plectatur diſciplina, ſive aliter ad arbitrium guardiani, qui, ſi fuerit negligentior, deponatur a munere ſuo.

26. Miniſtri provinciales provideant ſtudentes provinciæ ſuæ de oleo, papyro, femoralibus, calepodiis, & amictu. Pro exteris exigat octo coronatos, ſeu ſcuta, quolibet anno, vel a prædicatoribus, vel aliunde, juxta eorum prudens judicium.

27. Præter vacantiæ tempus ſtudentes non egrediantur a conventu, niſi bis in menſe. Poſſit tamen guardianus eis facultatem concedere adeundi campos, lectoribus annuentibus.

28. Guardianus Hieruſalem, & commiſſarius Terræ Sanctæ, officio ſuo functus, gaudeat in ſua provincia inter exminiſtros provinciales.

29. *Pro familia ultramontana*. Procurator, & commiſſarius in Romana curia, munere abſoluto, ſint diſcreti propriæ provinciæ, & ſecundum in illa locum habeant. Idem ſit de diffinitoribus generalibus, durante eorum officio, quoad conſeſſum, non vero quoad diſcretoriatum.

30. Miniſtri, & commiſſarii præſidentes electioni alicujus guardiani non aſſumant ſecretarios, vel ſcribas ſuos pro auditoribus.

31. Nullum celebretur capitulum intermedium, ſed negotia omnia abſolvantur in congregatione, quæ capituli vim obtinet.

32. *Pro Hiſpanis*. Inſtituantur commiſſarius in curia regis catholici pro expediendis negotiis, nec ad id muneris aliquis actu guardianus aſſumi queat.

33. Habeatur in quolibet conventu lectio ſacrorum canonum, cui qui biennio non interfuerit, non admittatur ad excipiendas confeſſiones ſæcularium.

34. Miniſtri provinciales in ſuis viſitationibus examinent confeſſarios per ſe, vel alium, idoneoſque confirment, cæteros rejiciant.

35. Præſes capituli provincialis, ſive intermedii, quod præcedit capitulum generale, inſtituat notarium, ſeu ſcribam, & teſtes, qui ſecreto excipiant defectus prælatorum ab omnibus

vo-

Digitized by Google

vocalibus, deferendos ad capitulum generale.

36. Quod si non capitulum, sed congregatio habenda sit pro electione custodis, aut alia re, tunc minister provincialis moneat guardianos ut, electis notario, & testibus in suis conventibus, inquirant secreto hujusmodi defectus, eosque chirographo communitos, & sigillo firmatos mittant ad congregationem. Ejus deinde patres procesum forment accurate.

37. Ministri ituri ad capitulum generale, vel alio, relinquat sigillum provinciæ ei, in quem major pars diffinitorum, & discretorum in congregatione consenserit.

38. In ea congregatione, & quacumque alia, diffinitores, & discreti habeant votum decisivum.

39. Suffectus defuncto diffinitori non possit eligi in diffinitorem in capitulo proxime subsequenti.

40. Nullus guardianus sufficiatur defuncto diffinitori; quod si secus factum fuerit, guardianatu se abdicet.

41. Suffecti teneant ultimum locum inter reliquos diffinitores.

42. Commissarii visitatores uti possint minori sigillo provinciæ, quam visitant, & mittere fratres in alias provincias pro negotiis munus sibi commissum concernentibus.

43. Abbatissæ non possint iterum eligi, nisi post duos annos.

44. *Pro Indis*. Nemo ad habitum recipiatur ante XII. ætatis annum expletum.

45. Juvenes professi non mittantur extra conventum ante annum completum a professione. Sed possint mitti ad studia ante annum eumdem, arbitrio ministri provincialis, cum consilio discretorum.

46. Possit eligi commissarius, qui provinciarum novi regni Granatensis, de Quito, Caracarum, & S Dominici curam gerat, ex electione ministri generalis.

47. Commissarius generalis Indiarum habeat vocem activam, & passivam in capitulo, & congregatione generalibus, & in capitularibus actionibus. Præterea possit animadvertere in fratres quoslibet reos sive in Indiam euntes, sive ab Indiis revertentes.

48. Qui commissario generali Indiarum non paruerit, incidat in pœnam excommunicationis, & privetur officiis, actibusque legitimis.

49. Instituatur in conventu S. Francisci Hispalis a generali commissario Indiarum, absente generali ministro, vicecommissarius, qui una cum socio a se assumpto eidem commissario subjaceat, et pareat.

50. Quicumque in nova Hispania transierit ad recollectos, aut discalceatos, & postmodum eos deseruerit, eam provinciam, ex qua primo solvit, repetere teneatur, & si hoc prætextu redierit in Hispaniam, puniatur tamquam apostata.

51. Amoveatur ab officio minister, qui in nova Hispania receperit fratres missos regiis sumptibus in aliam provinciam.

52. Licitum sit commissario generali apud Indos agenti, si necessarium fuerit, advenientes fratres de provincia in provinciam transferre.

53. Guardianus officio functus ad tempus prosequatur officium suum.

54. Diffinitores, & minister provincialis, absoluto munere, possint eligi in guardianos.

55. Sub pœna excommunicationis

latæ

Digitized by Google

latæ sententiæ fratres omnes relinquant domos doctrinales presbyteris sæcularibus, si id jusserit rex catholicus.

56. *Pro Gallis, & Germanis*. Non mittantur commissarii in provincias, nisi a ministro, vel patribus petantur; vel minister generalis ex legitima causa mittendos judicaverit.

57. Fratres beneficiati, seu curati, se non immisceant rebus ordinis, & privatis habitent in ædibus.

58. Regantur provinciæ juxta nova, vel antiqua statuta, & consuetudines, regulæ puritate incolumi.

59. Discreti conventus Parisiensis admittant obedientias omnes ministri generalis; alias privetur guardianus.

60. Custos trium provinciarum Galliæ habeat rationem doctrinæ in promotione lectorum ejusdem conventus, ministri provincialis, & diffinitorum judicio.

61. Solus minister-generalis possit licentiam dare promovendi aliquem ad lecturam sententiarum. Si alius eam concesserit, is privetur officio.

62. Incorporati in una provincia non discedant ab illa, nisi de licentia ministri generalis, vel consentiente utriusque provinciæ ministro.

63. *Pro cisalpinis*. Clerici non ascendant ad presbyteratum, nisi post annum a subdiaconatu, & post duos annos a diaconatu.

64. Prædicatores in alienas provincias missi, etiam a ministro generali, benedictionem petant a ministro provinciæ aut voce, aut per epistolam.

65. Priventur officio ministri provinciales, & diffinitores, qui admiserint aliquem ad prædicationem, antequam compleverit triennium in studio theologiæ. Sic promotus cesset decennio a prædicatione.

66. Nemo eligatur in confessarium monialium, qui non ascenderit ad ætatis annum XL., & XX. in religione; nec socium habeat, nisi senem, maturum, atque exemplarem.

67. Confessarii monialium, post biennium, vacent per integrum annum; secus non amplius deputentur. Idem sit de sociis, ubi commode fieri possit.

68. Guardiani sint ætatis XXX. annorum, & X. in religione. Nemo autem ad id munus assumatur, nisi vel antea ipsum peregerit, vel biennio saltem fuerit vicarius, aut magister novitiorum. Excipiuntur provinciæ ultramarinæ.

69. Nemo eligatur diffinitor, qui non vixerit in ordine saltem XV. annos, & prius triennio magistri novitiorum, aut clericorum officium exercuerit, vel sexennio prædicaverit, vel triennio fuerit a secretis ministri provincialis, aut aliorum majorum prælatorum.

70. Commissarii in provincias delegentur ex-ministri, vel ex procuratores, aut ex-commissarii curiæ.

71. Sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, nemo fratrum, aut monialium scribat alteri, nisi sub his formulis: ministro, & commissario generalibus: *Reverendissimo*: patribus ordinis: *Multum Reverendo*; ministris; *Reverendo*. prælatis, lectoribus, et prædicatoribus: *Multum venerando*: simplicibus sacerdotibus: *Venerando*: clericis, & laicis: *Devoto religioso*.

72. Ministri provinciales examineant per se, vel alium confessarios sæcularium.

73. Sint perpetuo privati voce activa, passiva, actibusque legitimis illi, qui posthac ob crimen ad triremes damnati, vel morte plectendi essent, & misericordiam fuerint consequuti.

74. Dum superiores sunt eligendi, præses, & discreti provinciæ nominent duos testes ad minus, & unum secretarium, omnes de corpore capituli, ad quos accedant suo ordine electores petentes ad minus duo nomina, quæ secretarius notabit, totque schedulas exhibebit, quot fuerint nomina eligendorum petita.

75. Liberum sit electoribus unam ex iis schedulis secreto assumere. Eam vero reponant in vase coram præside, & capitulo, conjectis aliis schedulis in aliud vas, & vocalibus in locis suis ordinatim sedentibus, donec fiat electio.

Sequuntur *Leges* congregationis Neapoli habitæ anno 1590. sub Thoma de Massa commissario generali.

1. Sint privati voce activa, & passiva per biennium, qui legitime non impediti, vel exempti per statuta generalia, non interfuerint ad omnes horas canonicas.

2. Sub pœna privationis officii guardiani curent, ut nemo sine licentia exeat a choro, eosque corrigant, qui ante signum campanæ ad chorum non vadunt ad præparanda corda Domino.

3. Qui orationi mentali una cum aliis non vacaverit, singulis vicibus faciat disciplinam. Si neglientior fuerit, careat biennio voce activa, & passiva. Guardiani, aut ministri, qui id non curaverint, priventur officiis.

4. Habeatur ut proprietarius prædicator, qui per se, vel alium eleemosynas procuraverit. Ex sponte oblatæ impendantur juxta statuta superiora; secus tam prædicatores, quam guardiani, sint privati quadriennio voce activa, & passiva.

5. Confessarii, qui legitime indicati fuerint, prætextu confessionis, pecuniam recepisse, arctentur ad veritatem dicendam. Convicti priventur officio in perpetuum, & subjaceant pœnæ in proprietarios.

6. Guardiani, qui ab eisdem petierint pecunias, aut eis faverint, amoveantur ab officiis.

7. Eleemosynæ, quas pœnitens pro sua pietate offerre voluerit, remittantur ad arcam sacristiæ auctoritate apostolica concessam, vel ad procuratorem conventus.

8. Apponantur ad singula confessionalia laminæ ferreæ cum parvis foraminibus, per quæ pecunia transmitti nequeat, easque visitent ministri, qui ab audiendis confessionibus suspendant perpetuo, & proprietarii pœna afficiant eum, quem repererint laminas fregisse; secus, ministri ipsi officiis priventur.

9. Non audiantur confessiones virorum sæcularium in privatis cubiculis, sed in ecclesia, vel patenti loco. Mulierum vero nonnisi ad laminas ferreas, sub pœna suspensionis a confessionibus audiendis.

10. Irrita sit electio guardiani non facta per ministrum, & diffinitores congregatos in diffinitoriis, sive generalibus, sive provincialibus etiam extra tempus. In hoc casu electus inhabilis sit per triennium ad illud, & quodvis aliud officium.

11. Minister, & commissarius generales in conventibus sibi subjectis pos-

possint extra capitulum, vel congregationem, substituere guardiano defuncto guardianum alium, donec diffinitorum generalium consensum habeant voce, vel scripto.

12. Ministri provinciales ex consilio diffinitorum, & patrum præscribant in singulis conventibus certum numerum fratrum asservandum in archivo provinciæ, ratione habita eleemosynæ, qua fratres ali possunt. Nec numerus augeatur, nisi accedente communi consensu eorumdem patrum.

13 Guardiani habeant sigillum conventus, costitutiones tam generales, quam provinciales legendas præscripto in ipsis tempore, ac regulam legendam cum testamento B. Francisci singulis sextis feriis, sub pœna privationis officii, & vocis activæ, ac passivæ per triennium. Ea omnia hæc assignent præsidi conventus, dum pergunt ad capitulum.

14. Præses conventus ea resignet guardiano successori, nec antea a conventu discedat, sub pœnis eisdem.

15. Priventur officiis, quæ obtinent, & declarentur inhabiles ad alia omnes ii, qui non servaverint vitam communem.

16. Ministri semel saltem quolibet anno, assumptis secum duobus antiquioribus discretis, visitent cellas singulorum fratrum.

17. Permittatur fratribus usus rerum moderatus determinandus judicio superiorum.

18. In necessariis victus, & vestitus nihil cuiquam desit; alioquin guardiani, atque etiam ministri in eo culpabiles, priventur perpetuo omnibus officiis.

19. Qui habitum vel in qualitate, vel forma variaverit, careat per sexennium omni jure suffragiorum. Ministri in eo negligentes priventur officio.

20. In omnibus communitatibus, in quibus vestimenta fiunt, habeatur appensa tabella vernaculo sermone conscripta, in qua determinetur forma habitus, & caputii. Ministri imprimis eam servent sub eadem pœna.

21. Fratres habentes vestimenta ex panno, vulgo *Rassetta*, vel *Saja impannata*, vel Bononiensi, aut Mediolanensi, aut Matelicano pretiosis, ea deponant infra sex menses ab hujus constitutionis cognitione, sub pœna privationis actuum legitimorum per triennium.

22. Qui deinceps his pannis usi fuerint, ultra dictas pœnas, priventur eisdem pannis, & per trimestre includantur carcere.

23. Si quis, absque licentia in scriptis ministri provincialis, detulerit camisiam, eam de collo pendentem ferens coram prælato culpam dicat, & genibus flexis super illam comedat in pane, & aqua.

24. Fratres in eo notabiliter defectuosi voce insuper activa, & passiva sexennio priventur.

25. Ministri, qui licentiam dederint portandi camisiam, absque causa gravis infirmitatis, priventur officiis; eamdemque pœnam subeant guardiani, si delinquentes non punierint.

26. Qui de quindena in quindenam, excepto infirmitatis casu, non in claustris, sed in tonstrinis sæcularium se radi fecerint, careant triennio voce activa & passiva.

27. Qui caput, & occiput, non autem barbam, sibi radi fecerit, careant

Digitized by Google

triennio jure ſuffragiorum.

28. Eamdem pœnam ſubeant tonſores, ſi contra præſcriptum radere aliquem auſi fuerint; & guardiani, qui fratres aliter, quam præſcriptum eſt, radere fecerint, officio priventur.

29. Capitis corona ab auribus altior diſtet digito uno; latitudine non excedat tres digitos communes.

30. Circulus laicorum in rotundum ducatur, ab auribus ſupra, uno digito. Qui contrafecerit, prima vice deferat per tres menſes caputium probationis; ſecunda careat, triennio voce activa, & paſſiva, vel gravius puniatur arbitrio miniſtri.

31. Curent miniſtri provinciales, ut in quolibet conventu, ſingulis ſextis feriis, habeantur capitula culparum, ſub pœnis eorum arbitrio taxandis.

32. In egreſſu a conventu licentia humiliter petatur, & in reditu benedictio, quam qui petere neglexerit, non poſſit per ſex menſes clauſtra egredi, & præterea faciat diſciplinam, & comedat in pane, & aqua humi genuflexus. Contumaces acrius puniantur arbitrio miniſtri.

33. Puniantur guardiani, qui licentiam dederint fratribus exeundi, abſque urgente cauſa, habita tamen ſemper perſonarum exire petentium qualitate.

34. Privetur per decennium voce activa, & paſſiva guardianus, qui charitative, & benigne hoſpites fratres non ſuſceperit, & tractaverit.

35. Privetur officio, & ad illud, ac aliud quodcumque inhabilis ſit guardianus, qui infirmorum curam non egerit. Miniſtri in eo negligentes, vel notabiliter culpabiles & ipſi ſuis officiis deſtituantur.

36. Eleemoſynæ non extrahantur a capſis in ſacriſtia aſſervatis, niſi a procuratore conventus, præſentibus guardiano, & tribus, aut quatuor diſcretis, ſeu fratribus natu majoribus, ubi tot non fuerint diſcreti.

37. Miniſter provincialis negligens in puniendis guardianis, qui ſingulis menſibus rationem de expenſis, & acceptis non reddiderint, privetur officio ad arbitrium ſuperiorum.

38. Diſcreti conventus ad minimum quinque antiquiores, vel, eorum defectu, totidem fratres familiæ, ſubſcribant rationem prædictam, obſignatam manu guardiani, & procuratoris.

39. Rationum totius anni ſummam guardiani deferant ad capitulum provinciale ſubſcriptam ab omnibus fratribus familiæ. Qui contrafecerit, officio deſtituatur, aliiſque ſubſit pœnis, arbitrio ſuperiorum, & diffinitorum provinciæ.

40. Debita non contrahantur, ſub pœnis privationis officii, & inhabilitatis ad alia per decennium.

41. Nemo recipiatur pro clerico, niſi munitus ſacramento confirmationis, & intelligat ſaltem linguam latinam. Nec receptus admittatur ad profeſſionem, niſi memoriter recitaverit doctrinam chriſtianam, & regulam coram fratribus capitulariter congregatis. Aliter recepti profeſſio ſit nulla, & qui eum receperit, privetur officio, & careat voce activa, ac paſſiva per triennium.

42. Magiſter, qui novitios non docuerit doctrinam chriſtianam, & regulam, ſit perpetuo inhabilis ad omnia officia ordinis.

43. Si miniſter provincialis hujuſmo-

modi pœnas non inflixerit, aut in his culpabilis fuerit, privetur officio ad arbitrium superiorum.

44. Clerici, & laici ab annis sex, & citra professi, qui doctrinam christianam, & regulam, ante professionem non recitaverint, teneantur recitare coram fratribus capitulariter congregatis, sub pœnis arbitrio ministri.

45. Novitiorum magistri sint viri probati, ætatis annorum saltem XL. guardianatus officio triennio ad minus functi, de humanioribus literis, & cantu ecclesiastico periti.

46. Loca novitiorum in qualibet provincia, communi patrum consilio, sint, quoad fieri potest, frequentiori sæcularium concursu sejuncta.

47. In unoquoque loco adsint saltem quatuor novitii, nisi fuerint laici, & uniformitas in omnibus sive induendis, sive ad professionem admittendis servetur.

48. In provinciis singulis erigatur unum, vel plura seminaria, seu collegia pro juvenibus clericis professis, quibus magistri munere præficiatur vicarius conventus, dignitate sacerdos, gravis, honestus, liberalibus disciplinis sufficienter eruditus, delectus judicio communi patrum, & diffinitorum.

49. Non admittantur in collegium, nisi juvenes saltem XVII. annorum, ex legitimo matrimonio nati, qui legere, & scribere optime norint, principia linguæ latinæ quoquo modo sciant, bonæque sint indolis, & spei.

50. Singulis diebus intersint sacris; bis in hebdomada magistro peccata sua confiteantur, & in dominicis, aliisque festis solemnioribus communicent, sub pœna ad arbitrium superiorum.

51. Magister eos ad pietatem formet, instruat in ecclesiasticis ritibus, curet, ut crebro legant sacram scripturam, homilias patrum, vitas, & res gestas majorum nostrorum, decreta, declarationes pontificum, & sanctorum patrum super regulam. Discant etiam cantum ecclesiasticum.

52. Conducatur communibus expensis provinciæ, arbitrio ministri, et diffinitorum arbitrio determinandis, magister sæcularis moribus, et vita probatus, qui eos doceat grammaticam, et orthographiam.

53. Circa collegii visitationem, et morum correctionem, servetur decretum concilii Tridentini Sessione 23. cap. 18.

54. Collegium moderetur guardianus provectæ ætatis, vitæ integer, prudens, expertus.

55. Non teneantur juvenes ad onera extra conventum, præter quæstuam frumenti, et vini.

56. Recitent diu, noctuque in ecclesia officium divinum, septem psalmos pœnitentiales, unamque horam impendant orationi singulis diebus.

57. Singuli conventus quotannis collegio solvant eam contributionis rationem, quam minister, et patres diffinitorii jusserint.

58. Juvenes non amoveantur a collegio, nisi post triennium excepta evidenti necessitate, aut utilitate quæ aliud postulaverit.

59. Absoluto triennio, illi, qui communi diffinitorum judicio fuerint idonei, promoveantur ad studia altiora; vel etiam provinciæ servitio partim deputentur, partim in collegio erudiendi permaneant. In eductorum locum alii interim sufficiantur.

60.

Digitized by Google

60. Bona mobilia fratrum decedentium, quocumque modo acquisita applicentur ad collegium, sub pœna suspensionis, et alia graviori contrafacientibus infligenda.

61. Seligantur duo diffinitorii patres, qui bona prædicta distribuant in communem collegii usum una cum ministro, et guardiano ipsius collegii, et bis in anno eorum rationem reddant coram aliis diffinitorii patribus ministrorum jussu, simul congregatis.

62. Instituantur in capitulis provincialibus, et scribantur in tabula capitulari, examinatores ordinandorum, et confessariorum. Et, si fieri potest, quatuor eorum, tresve, aut duo ad minimum, semper simul collocentur.

63. Fratres Romam euntes statim ac ad urbem pervenerint, recta properent ad conventum S. Mariæ de Aracæli, et se præsentent coram procuratore, vel commissario curiæ, cui tamquam vero, ac legitimo prælato subsint in omnibus, et per omnia, nec sine expressa ejus licentia de conventu egrediatur, sub pœna apostasiæ ipso facto incurrenda.

64. Conferat cum eo sincere, et fideliter negotia, si quæ habuerint, Romæ peragenda, et quidquid ipse desuper decreverit, inviolate, et ad unguem exsequantur.

65. Notetur in libro peculiari dies eorum accessus, et discessus.

66. Qui devotionis causa Romam iverint, possint ibidem commorari tribus diebus. Qui causa negotiorum, diebus octo. Utrumque tamen arbitrio procuratoris, qui possit terminum producere, vel contrahere, judicio suo.

67. Habeatur ut apostata, et statuta pœna salutariter emendatus remittatur ad suam provinciam is, qui Romam iverit absque legitima facultate, quam provinciales ministri non dent, nisi urgentibus de causis.

68. Guardianus in conventu de Aracæli capitularem audientiam pro fratribus suis habeat secunda, quarta, et sexta feria, solemni festo non impeditis. Procurator vero, aut commissarius curiæ habeat eam pro cismontanis feria tertia, et quinta, pro ultramontanis sabbato, similiter non impeditis.

69. In ecclesiis non pulsentur, nisi organa, & instrumentum illud, quod *regulam* vocant, sub pœna suspensionis, non exceptis monialibus. Si quis fratrum, vel monialium contrafecerit, uterque suffragiorum jure careat per triennium; & hæc velo per mensem privetur, ille carcere includatur, arbitrio superiorum.

70. Nulla fiat in ecclesiis musica per quoscumque, sub eisdem pœnis, nisi prælati, vel principes divinis officiis interfuerint.

71. Puniantur arbitrio superiorum ministri, qui permiserint fratribus, aut monialibus retinere instrumenta musicalia, excepto monochordo. Et qui ea retinuerint, in pœnas incidant, quas ministri exigant.

72. Nemini liceat, monialem, aut puellam educandam ad colloquutorium musicam docere. Puniantur arbitrio ministri abbatissæ, & moniales, quæ contrafecerint. Puellæ vero aut pœnam eamdem subeant, aut a monasteriis ejiciantur.

73. Careant per triennium jure suffragiorum guardianus, et fratres, qui aliquem sæcularem, etiam consanguineum invitaverint ad comedendum in com-

Digitized by Google

communi menſa, exceptis prælatis, vel dominis magnæ ſpectabilitatis.

74. Nemo habeat plures libros, quam eos, quos miniſter, & commiſſarius generales, aut provincialis miniſter neceſſarios judicaverint.

75. Libri fratrum decedentium reponantur in bibliothecis, et illos, quos in eis reponi non eſt expediens, dentur lectoribus, prædicatoribus, & ſtudentibus, de patrum conſilio, ratione habita publicæ utilitatis.

76. Qui libros receperint, obſignent manu propria illorum inventarium conficiendum a guardiano, & diſcretis, & ſervandum in archivo conventus. Nec ulli liceat libros quovis modo vendere, donare, aut diſtrahere.

77. Si quis equitaverit, bigiſque, aut quadrigis vectus fuerit, prima vice carcere includatur per bimeſtre; ſecunda, per ſemeſtre; tertia, privetur perpetuo voce activa, & paſſiva. Guardiani, qui carcere delinquentes non incluſerint, dejiciantur officiis ſuis. Inſuper & miniſtri officiis dejiciantur ad arbitrium ſuperiorum, ſi in licentiis hujuſmodi concedendis nimis faciles ſe præbuerint.

78. Privetur voce activa, & paſſiva is, qui quovis prætextu ocreas, ſeu *ſtivalia* detulerit, ac prædictis pœnis ſubſint miniſtri, & guardiani, qui contrarium fecerint, vel fieri permiſerint.

79. In itenere quiſque ſocium ducat, excepta urgente cauſa probanda a prælatis, ſub apoſtaſiæ pœna, quam guardianus exſequi negligens, privetur officio per biennium.

80. Nemo unquam, etiam bacchanalium tempore, choreas ducat, comœdias, aut alia vana ſpetacula repræſent, vel audiat, larvas aſſumat, religionis habitum exuat, vel ſæcularem induat, ſub ſuſpenſionis pœna, & aliis gravioribus, etiam carceris, ſuperiorum arbitrio.

81. Nihil novi, quod librarum L. imperalium expenſas excedit, ſine licentia in ſcriptis miniſtri provincialis, ædificetur, aut deſtruatur. Qui contrafecerit, expellatur a conventu, privetur officio, & gravius puniatur, arbitrio miniſtri.

82. Nullus conventus recipiatur, ſine licentia in ſcriptis ſuperioris generalis, epiſcopi, miniſtri, & diffinitorum, provincialium.

83. Miniſter, & commiſſarius generales in omnibus provinciarum capitulis, quibus aderunt, & præerunt, votum habeant electivum. Si munere ſuo functi fuerint, habeant votum conſultivum, deciſivum, & electivum in omnibus capitulis, & congregationibus generalibus reſpective in diffinitorio, & electionibus quibuſcumque.

84. Miniſtri provinciales actuales, ex-miniſtri, exprocuratores ordinis, excommiſſarii curiæ, patres ordinis, illi, qui fuerunt guardiani Terræ Sanctæ, vel per tres annos continuos ſecretarii miniſtri, aut commiſſarii generalium, in omnibus capitulis, & congretionibus habeant in diffinitorio votum conſultivum, & deciſivum; in electionibus electivum, in ſua quiſque provincia, tamquam perpetui diſcreti, & diffinitores.

85. Cuſtodes mittendi ad capitulum, vel congregationem generalem, & diffinitores actuales, habeant votum conſultivum, & deciſivum in diffini-

to-

Digitized by Google

torio, & electione guardianorum.

86. Nemo prædictorum patrum in sua provincia possit esse guardianus.

87. Qui in visitatione superiorum majorum malitiose occultaverit defectus fratrum, aut literas contra aliquem servaverit, & postea illas, aut defectus occultatos, in judicio, seu visitatione produxerit, privatus sit ipso facto actibus legitimis, sitque infamis.

88. Qui verbis, aut factis aliquem graviter provocaverit, prima vice ferat per mensem caputium probationis; secunda, includatur carcere per bimestre; tertia, per semestre, & privetur decennio voce activa, & passiva.

89. Provocantes aliquem ad levia faciant disciplinam coram fratribus capitulariter congregatis.

90. In visitationibus contentiosis, in quibus prælatus duos patres exteros assumere non potest, assumat duos discretos conventus.

91. Fiat recursus ab inferioribus ad superiores prælatos, sub pœna carceris per bimestre, & privationis juris suffragiorum per decennium.

92. Minister, & commissarius generales; item commissarii visitatores possint eligere loca, pro celebrandis capitulis provincialibus de consilio tamen aliquorum patrum ex probatioribus.

93. Sint privati officiis suis, & inhabiles ad ea, vel alia obtinenda ministri, & visitatores provinciarum, qui consenserint, aut permiserint, aliquem promoveri ad officium, dignitatemve, favore sæcularium. Sic promoti subjaceant pœnis, & censuris contentis in literis apostolicis.

94. Pœnitentiarii Basilicæ Lateranensis sint ætatis annorum supra XL. probati a diffinitorio provinciarum, a quibus assumuntur, sacrorum canonum periti, de quibus habeant ordinariam lectionem, quemadmodum & de casibus conscientiæ mutuo conferant bis in hebdomada.

95. Soli nunquam incedant per urbem sub pœna apostasiæ ipso facto incurrenda.

96. Præses sit vir provectæ ætatis, honestus, prudens, doctus, gravis, qui eos contineat in officio, & puniat delinquentes.

97. Commutentur de triennio in triennium, & semel saltem quotannis visitentur a ministro, vel commissario generalibus per se, aut alium, & si aliquis demeruerit, possit amoveri, & transferri illorum arbitrio.

98. Appellentur *Reverendi* secretarii ministri, aut commissarii generalium tam actuales, quam habituales; commissarii provinciarum, tempore comitiorum generalium, vel alias per absentiam ministrorum provincias regentes, quo tempore regunt; custodes electi pro comitiis generalibus, quousque functionem obierint; theologi, qui decennio legerint; & prædicatores, qui decennio in præclaribus Italiæ civitatibus sacrum peregerint prædicationis officium.

99. Secretarii procuratoris ordinis, commissarii curiæ, ministrorum provincialium, ac visitatorum; insuper & reformatorum custodes vocentur *Multum venerandi*.

100. Secundum locum semper ubique teneant minister, & commissarius generales officio functi.

101. Ministri provinciales in provinciis respectivis, præter suos superiores, præcedant cæteros.

102.

Digitized by Google

102. Procurator ordinis, commissarius curiæ, diffinitores generales, & patres ordinis in suis provinciis præcedant omnes, præter ministrum, & guardianum proprii conventus. Præcedentia vero inter ipsos sit a die electionis.

103. Exministri provinciales, & exguardianus Hierusalem præcedant omnes, exceptis prædictis.

104. Secretarii ministri, vel commissarii generalium, in comitiis generalibus immediate sequantur quoslibet patres ordinis, & in provinciis præcedant eos, qui sunt diffinitores actuales provinciæ.

105. Diffinitores provinciales in capitulis præcedant guardianos; extra capitulum dent præcedentiam guardiano suo.

106. Secretarii ministrorum provincialium, & visitatorum, præter diffinitores actuales, cæteros præcedant.

107. Lectores theologi, & prædicatores clarissimi, præter prædictos, cæteros præcedant.

108. Patres provinciarum in capitulis, & congregationibus, præcedant guardianos; aliis in locis, præter prædictos, cæteros præcedant.

109. Custodes reformatorum in capitulis, & extra, guardianos omnes præcedant, præter eum, qui extra custodiam in unoquoque conventu ordinarius fuerit.

110. Guardiani extra proprium conventum, præter predictos, cæteros præcedant.

111. Sequantur prædicatores, deinde sacerdotes, clerici, ac post ipsos, fratres laici, pro cujusque professionis antiquitate, & ordine.

112. Singulis annis, die tertia Novembris, celebretur missa solemnis de requie, cum officio defunctorum, pro fratribus nostris, summo pontifice, & protectore ordinis, qui jam decesserunt; & singulis mensibus idem fiat pro fratribus, parentibus, propinquis, & benefactoribus.

113. Ut primum nunciatus fuerit obitus, mox, diebus non impeditis, decantetur missa solemnis, accensis intortitiis circa tumbam paratam antea pannis nigris, non tamen altarium palliis, juxta hanc tabellam publice servandam in sacristia. *In universa familia: Pro summo Pontifice fiant funeralia novem dies. Pro D. Protectore tres dies. Pro generalibus tres dies. In propria provincia. Pro ministris provincialibus tres dies: Pro patribus ordinis tres dies. Pro reliquis patribus, et benefactoribus unum diem.*

114. Singuli sacerdotes illis ipsis diebus pro eisdem celebrent, vel saltem statam orationem dicant. Clerici officium defunctorum. Laici centies orationem dominicam cum salutatione angelica, & *requiem æternam etc.*

115. Nemo officio privetur, vel suspendatur, vi horum decretorum, nisi de patrum consilio, & consensu.

116. Difficultates, & dubia, quæ oriri possunt, explicentur a ministro, vel commissario generalibus.

117. Superiores, qui decretorum exsequutionem neglexerint, præter pœnas in ipsis decretis contentas, subjaceant etiam privationi officii, & juris suffragiorum, aliisque gravioribus, generalium arbitrio.

118. Erigantur duæ universitates, altera in conventu S. Mariæ Novæ Neapolis, in qua studentes XL., altera in conventu S. Francisci Perusiæ,

Digitized by Google

in qua studentes XXX. collocentur, hoc modo assumendi: ex singulis provinciis regni Neapolitani deligantur quatuor examinandi a duobus lectoribus doctioribus cujusque provinciæ, & probati mittantur a diffinitorio: ex aliis provinciis Italiæ, deligantur tres ordine prædicto, & mittantur, hi Perusiam, illi Neapolim.

119. In utraque universitate tres sint lectores pietate, & doctrina maxime insignes.

120. Singulæ provinciæ solvant quotannis decem coronatos pro singulis studentibus, ex quibus coronatis quindecim expendantur pro cujusque lectoris necessitate.

121. Guardiani curent, ne quidquam necessarium desit quoad victum, vestitum, oleum, chartam, pennas, calepodia &c. eisdem lectoribus, & studentibus, sub pœna privationis officii.

122. Puniantur arbitrio generalium superiorum guardiani, qui studentes pluries extra conventum egredi permiserint, quam bis in mense.

123. Ministri provinciales de consilio, & consensu guardianorum, & lectorum, mittant ad superiorem generalem studentes insolentes, vel scandali auctores.

124. Lectores habeant quotidie unam lectionem ex doctore subtili, faciant repetitionem bis in hebdomada, & in fine cujuslibet anni conclusiones publicas in ecclesia.

125. Studentes sint exempti ab horis primæ, & completorii; a funeralibus, & missis celebrandis extra conventum.

126. Nullus studentium sit lector, nisi, completo in sua universitate cursu studiorum, conclusiones ter publice defenderit, & probetur lectorum suorum testimonio.

127. Lector sic institutus non admittatur ad docendam theologiam, nisi prius docuerit philosophiam, & artes. Idipsum servetur quoad studentes alios ad lecturam promovendos.

128. Lectores theologiæ, qui sexennium absolverint, habere possint socium gratum assumendum a propria provincia. Qui legerint per decennium, gaudeant in omnibus, & per omnia, privilegio eorum, qui fuerunt ministri.

LXII. CAPITULUM GENERALE VALLISOLETI. Anno 1593. BONAVENTURA DE CALATAHIERONE. *Leges*. 1. Studentes non mittantur extra provinciam, sed quælibet provincia suos retineat, & de præceptoribus, rebusque necessariis studia provideat.

2. Sint in qualibet provincia quatuor saltem studia nempe unum humanarum literarum; 2. logicæ; 3. physicæ, & metaphysicæ; 4. theologiæ, & sacræ scripturæ. In aliis locis (quantum fieri potest) habeatur lectio sacrorum canonum, & casuum conscientiæ, cui intersint omnes sacerdotes.

3. Lectores euntes ad docendum in alienam provinciam, non possint ducere, nisi unum socium studentem.

4. Tres, vel quatuor studentes ad summum mitti possint ex singulis provinciis ad studia generalia, quibus guardiani locorum necessaria ministrent. In reliquis ea omnia exacte serventur, quæ in congregatione generali Neapolitana constituta sunt.

5. Quicumque obloquutus fuerit de S. R. E. cardinalibus, ac præcipue

Digitized by Google

pue de protectore ordinis, carcere includatur, vel gravius plectatur pro ratione delicti, superiorum arbitrio.

6. Si obloquutus fuerit de episcopis, aliisque prælatis ecclesiasticis, cum populi scandalo, arctetur graviter, superiorum arbitrio.

7. Qui ministro, vicario, vel commissario generalibus non obedierit, trimestris pœna carceris, vel graviori puniatur, eorum arbitrio. Si rebellaverit, vel verbis injuriosis illos affecerit, careat per sexennium jure suffragiorum, subeatque pœnam semestris carceris, aut graviorem.

8. Carceris quoque pœnam luat is, qui talia admiserit in ministrum provincialem, vel commissarium, et insuper suffragiorum privationis, superioris generalia arbitrio.

9. Qui deliquerit in guardianum, vicarium, vel patrem graviorem, puniatur arbitrio ministri, pro delicti qualitate.

10. Carcere includatur, prout opportunius videbitur, etiam non præmissa trina monitione, is, qui pœnitentiam a superioribus locorum sibi impositam subire noluerit.

11. Fratres, & moniales, qui restiterint commissariis visitatoribus missis a prælato generali, incidant in excommunicationem latæ sententiæ, priventur perpetuo officiis cum inhabilitate ad illa, & alia, voceque activa, & passiva.

12. Nemo alterius ordinis professus recipiatur in ordine nostro, sine expresso generalis consensu.

13. Superiores locales non possint novitios admittere ad habitum, & professionem, nisi habita prius licentia in scriptis; qua obtenta, examinent una cum discretis suis, an aliqua ex conditionibus expressis in constitutionibus ordinis novitio desit. Ea si desit, habitum novitio denegent, & admoneant ministrum provincialem.

14. Idem faciant, si constiterit novitium esse inhabilem, & protestentur, ejus professionem nullam fore, si lepram, morbum gallicum, caducum, vel aliam contagiosam infirmitatem celaverit.

15. Qui aliter novitum receperit, vel ad professionem admiserit, præter alias pœnas, sit privatus officio, & suffragiorum jure perpetuo careat.

16. Imponatur novitio nomen alicujus sancti, eo die, quo habitum sumit in ecclesia ante altare. Singulis indumentis singulæ orationes, & benedictiones aptentur.

17. Qui habitum dederit, alloquatur novitium brevi, pioque sermone.

18. Servetur uniformitas in omnibus provinciis in induendis novitiis, & ad professionem admittendis.

19. Scribatur in libro asservando in archivo conventus novitii nomen, locus, tempus receptionis, nomen illius, a quo habitum recepit, adhibita subscriptione superioris loci, & novitii ipsius, modo scribere sciat, & antiquioris discreti. Horum testimonium minister reponat quoque in archivo provinciæ.

20. Singulis quatuor mensibus novitii proponantur fratribus capitulariter congregatis, qui prima, & secunda vice, quid de novitiis sentiant palam dicant; tertia vice secreto ferant suffragia.

21. Novitii, quibus prima vice non faverint tres ex quatuor partibus, & secunda vice duæ ex tribus, habitu

statim priventur absque recursu.

22. Si novitio defuerit tertia pars suffragiorum, differatur ejus professio, donec minister provinciæ declaraverit. Si major pars eidem suffragata non fuerit, sine declaratione, expellatur.

23. Subeat proprietarii pœnam is, qui aliquid vel minimum acceperit a novitio.

24 Si infra duos menses ante professionem novitius aliquid fratribus reliquerit, legati, aut donationis nomine, id post professionem ejus in utilitatem fratrum converti queat. Magis tamen decet, ut fratres nihil accipiant. Sed & antequam novitius habitum sumat, possit aliquid in fratres erogare, sicut in cæteros pauperes.

25. Nemo recipiatur pro laico citra XX. ætatis annum, aut ultra XXX., quique non est aptus ad labores utiles, & honestos.

26. Laici non ascendant ad clericatum, nisi permittente capitulo generali; secus ad laicalem conditionem reducantur, etiamsi pervenerint ad sacerdotium.

27. Assignetur novitiis pars aliqua conventus separata, nempe novitiatus, in quo ipsi, & magister commorentur, sic ut nemo alius ingrediatur, sub pœnis per guardianum taxandis de consilio discretorum.

28. Si guardianus id neglexerit, puniatur arbitrio provincialis. Si & hic in eo deliquerit, puniatur arbitrio generalis.

29. Novitiatus deligatur in locis reformatorum, ubi commode fieri potest, & in eo quatuor saltem clerici collocentur.

30. Novitii non ingrediantur cubicula aliorum novitiorum, aut professorum, & e converso, sub pœna pro prima vice unius publicæ disciplinæ, & jejunii in pane, & aqua; secunda vice, expulsionis ab ordine. Professus qui contrafecerit, prima vice puniatur ut novitius; secunda, mittatur ad præsentiam ministri, qui ipsum expellat a conventu novitiatus privatum triennio jure suffragiorum.

31. Tempore novitiatus novitii non egrediantur domo, nisi aut publicæ processionis gratia, aut funeris, aut petendæ eleemosynæ, cum magistro, aut viro gravi; secus guardiani priventur officio, & gravius puniantur, arbitrio generalis.

32. Novitii non possint colloqui cum fratribus alterius ordinis, ac sæcularibus etsi parentibus; secus exui possint habitu, aut graviter coerceri, arbitrio provincialis.

33. Non possint studiis operam navare, nec ad ordines promoveri.

34. Novitius jussu provincialis translatus in alium novitiatum, vel alio missus, licet ad quartum mensem non pervenerit, recipiantur fratrum suffragia, de quibus admoneatur provincialis, & guardianus loci, ad quem transfertur.

35. Nemini liceat, sub pœna anathematis, novitii voluntatem impedire, quominus emittat professionem.

36. Liberum sit novitiis, transire ad alium ordinem, vel ad sæculum redire. Superiores, qui id impediverint, priventur officio, & alii quicumque careant jure suffragiorum.

37. Magistri novitiorum non possint institui extra capitulum, & congregationem, nisi de communi patrum con-

Digitized by Google

consilio, & consensu.

38. Non accipiant munuscula a novitiis, aut eorum parentibus, sub pœna proprietarii.

39. Qui sine legitima causa officium magistri recusaverit, sit inhabilis ad alia officia, & careat jure suffragiorum. Qui saltem triennio recte illud obierit, sit habilis ad omnes gradus, & dignitates ordinis.

40. Non admittatur ad professionem novitius non expropriatus. Possit tamen, si, velit testari, dummodo pro seipso nihil disponat.

41. Novitius quacumque ex causa extra ordinem cum habitu, vel sine illo exierit, & postea reversus fuerit, non computetur ei tempus anteactum; sed denuo annum probationis incipiat. Si exierit ex causa irrationabili, non amplius admitti possit.

42. Nulla sit professio novitii, qui probatus non fuerit per unum annum ad minus.

43. Nemo ante suffragiorum postulationem novitium laudet aliquem, vel vituperet.

44. Juvenes professi, præsertim clerici, quamdiu in novitiatu permanserint, sint sub cura magistri novitiorum.

45. Ante biennium non transferantur ad alium conventum, absque magna causa.

46. Sint sub cura magistri alicujus deputati a capitulo, aut ministro provinciali, donec pervenerint ad sacerdotium; nec per annum post professionem mittantur extra conventum; nec aliis temporibus, nisi cum socio.

47. Sine testimonio approbationis examinatorum minister provincialis nemini det literas pro suscipiendis ordinibus, sub pœna, superiorum arbitrio. Possit tamen ipse ordinandos per se examinare.

48. Nemo ante biennium ab emissa professione promoveri possit ad ordinem subdiaconatus, aut ante quinquennium ad presbyteratum, nisi in sacris fuerit, dum habitum recepit, aut id necessitas postulaverit cognoscenda a superioribus generalibus.

49. Testimonium ordinationis authenticum episcopi, vel saltem guardiani ejus loci, ubi ordinatio peracta est, mittatur ad ministrum provincialem servandum in archivo provinciæ.

50. Nemo susceptum ordinem exsequatur sine peritia cæremoniarum, & consensu in scriptis ministri provincialis.

51. Nulla fiat oblatio pecuniarum in missis novellis, sub pœna proprietarii contra celebrantem, & superiorem conventus.

52. Levis apostasiæ notam incurrat is, qui, sine licentia tacita, vel expressa superioris sui, moratur extra conventum per unum diem naturalem; levioris; qui exierit de conventu ex licentia superioris, sed pernoctaverit extra ipsum, etiamsi pernoctet in conventu alterius ordinis, absque necessitate; levissimæ, qui sine licentia egreditur, sed revertitur eodem die.

53. In gravem incidat apostasiam is, qui sine superioris licentia, & contra obedientiam ejusdem a conventu exierit, etiam prætextu accedendi ad superiores; attamen ad eosdem non iverit, & extra obedientiam vel triduo permanserit; graviorem, qui id fecerit per dies octo. In primo casu, si ad superiores accesserit, notetur saltem de levi apostasia. In altero

ro

Digitized by Google

ro de gravi; in graviſſimam, qui habitum temere deposuerit, & extra ordinem perseveraverit, nec redierit infra duos menses.

54. Qui sine socio de loco in locum iverit, nisi juxta de causa id sibi, specialiter scripta facultate, concessum fuerit, & qui de superioris licentia aliquo proficiscens, alio, vel alia via iverit, quam sibi concessum fuerit, incurrat in apostasiam aut levem, aut gravem superioris judicio.

55. Levis apostasiæ reus prima vice carcere includatur per triduum, & careat per triennium jure suffragiorum; secunda, & tertia vice multiplicetur pœna.

56. Reus apostasiæ levioris, prima vice biduo carcere includatur, & careat per biennium voce activa, & passiva; secunda vice, pœna duplicetur, ac deinceps augeatur.

57. Reus apostasiæ levissimæ, prima vice per unum diem sit in carcere, & careat per annum jure suffragiorum; secunda vice, pœna duplicetur; & augeatur deinceps.

58. Reus apostasiæ gravis, prima vice, triduo maneat in carcere, jejunet in pane, & aqua, & careat per triennium jure suffragiorum; secunda vice, pœna duplicata, deferat tribus mensibus caputium probationis, & teneat ultimum locum inter omnes sui ordinis professores; tertia vice gravius puniatur.

59. Reus apostasiæ gravioris, prima vice detur carceri per tres menses, tribusque diebus in hebdomada jejunet in pane, & aqua, & feria sexta faciat disciplinam coram fratribus, ac omni jure suffragiorum sit privatus per sexennium; secunda vice, duplicetur pœna, deferat per annum caputium probationis, sit ultimus inter æquales, ac lavet utensilia.

60. Si tertio idem admiserit, careat perpetuo omni jure suffragiorum, deferat per triennium caputium probationis, singulis sextis feriis faciat disciplinam publicam. & jejunet in pane, & aqua, sit ultimus inter æquales, lavet utensilia, & pro carcere habeat conventum, a quo egredi nequeat, nisi publicæ processionis, vel utilitatis causa.

61. Si quarto idem admiserit, augeatur pœna, & possit mitti ad triremes.

62. Reus apostasiæ gravissimæ, prima vice, trimestri carcere includatur, ac per triennium deferat caputium probationis, singulisque feriis sextis faciat publicam disciplinam, jejunet in pane, & aqua genuflexus sine caputio, careat per decennium jure suffragiorum, sit ultimus inter æquales, utensilia lavet, & de conventu non exeat, nisi causa publicæ utilitatis. Secunda vice, pœna duplicetur. Tertia, ut incorrigibilis, religionis habitu privetur, & mittatur ad triremes per decennium.

63. Si is fuerit in sacris, & supervixerit, sit perpetuo suspensus ab exsequutione ordinum.

64. Nemo hospes in conventu recipiatur, nisi ostenderit literas obedientiales, aut licentiam suorum superiorum, exceptis patribus gravibus; secus loci superior privetur officio.

65. Literæ obedientales generalis eundi extra provinciam nisi exsequutioni mandentur infra duos menses, sint nullæ; exceptis iis, quibus a generalibus mittuntur commissarii.

66.

Digitized by Google

66. Si apostata pœnam subire renuerit, graviter coerceatur etiam per censuras, invocato quoque auxilio brachii sæcularis, si necesse fuerit.

67. Superiores tam provinciales, quam locales, habeant facultatem ordinariam excommunicandi, capiendi, & carcerandi apostatas quoscumque; & in casu necessitatis id facere possint alii fratres.

68. Nemo incorporetur in aliena provincia, nisi nativus fuerit ejusdem, biennio saltem in ea manserit, & accedat consensus utriusque provinciæ; secus incorporatio sit nulla, nisi aliter ministro generali visum fuerit.

69. Ministri provinciales curent, ut nemo fratrum careat necessariis, abundet superfluis; habita tamen ratione qualitatis personarum, & diversitatis meritorum.

70. Nemini liceat dormire sine habitu cum caputio, chorda, & femoralibus, nisi causa infirmitatis, ex consilio medicorum, ac superiorum venia. Secus jejunet genuflexus in pane, & aqua coram fratribus.

71. Nemo utatur interulis, seu camisiis laneis, vel lineis, aut de bombyce, seu cotono, linteaminibus, anaclynteriis, caligis, crepidis, aliisque similibus, nisi sit infirmus, de licentia in scriptis ministri provincialis; alias suffragiorum jure careat per triennium; &, si monitus se non emendaverit, carcere includatur per duos menses.

72. Qui communem vitam observare nequit nullo officio, etiam vicariatus, fungi possit.

73. Ministri non concedant licentiam ferendi calceamenta, nisi pro tempore magni frigoris, ægræ valetudinis, aut causa itineris necessarii.

74. In infirmaria, & hospitio sint anaclynteria, linteamina, & crepidæ, quæ concedi etiam possint senibus, qui L. ætatis annum excedunt.

75. Ministri, qui aliter prædicta concesserint, aut delinquentes non punierint, priventur officiis, generalis arbitrio, eamdemque pœnam subeat superior localis, arbitrio provincialis, si, prout possunt, delinquentes non correxerint, vel provincialem non monuerint.

76. Instituatur in singulis provinciarum conventibus, præsertim insignioribus chori vicarius, sive sacrarum cæremoniarum magister, & cantus ecclesiastici moderator; idque fiat in capitulis provincialibus.

77. Silentium, si oportuerit, in choro indicat chori vicarius, vel præsidens.

78. Sæculares, quantum fieri potest, non permittantur, in chorum ingredi.

79. Nonnisi magistris, & superioribus liceat, fratres, præsertim juvenes, in cellas recipere, sub pœna, arbitrio ministrorum. Nec cuiquam liceat, cellæ ostium ita occludere, ut non pateat ingressus; quod si fecerit, notetur suspicione gravioris delicti.

80. Nemo comedat in valetudinario, nisi ex necessitate probata judicio medicorum, & superioris; aut extra communitatem, absque rationabili causa a superiore probata, qui si nimis fuerit facilis in concedenda licentia, coerceatur arbitrio provincialis.

81. Superior localis provideat ea, quæ necessaria fuerint, iis fratribus, qui quadragesimam Epiphaniæ jejunare voluerint.

82.

Digitized by Google

82. Non detur fratribus licentia egrediendi a conventu, nisi gravibus, & urgentibus de causis; habita tamen ratione personarum.

83. Egredientibus superior socium assignet, prout opportunius videbitur.

84. Ministri provinciales coerceant fratrum vagandi petulantiam, ac in licentiis, quam dederint, exprimant causam itineris, & præscribant tempus reditus. Si ministri facultate sua abutantur, officio priventur, aut suspendatur, ad arbitrium generalis.

85. Possint ministri concedere superioribus localibus, ut certis in casibus fratres suos ad viciniora loca, vel etiam ad eorum præsentiam mittant, de discretorum consilio, cum licentia in scriptis. Qui contrafecerint, officio, & suffragiorum jure priventur, arbitrio ministrorum. Illi, qui mittuntur ad colligendas eleemosynas intra terminos conventus, non indigeant, nisi licentia verbali.

86. Superior localis hospiti socium assignet, exceptis patribus ordinis, aut exministris.

87. Hospes significet superiori locali negotia, quæ habuerit ibidem peragenda, nisi sit pater ordinis, vel exminister.

88. Superior localis signet diem accessus, & recessus in literis, quas hospes detulerit.

89. Procurator conventus instituatur tantum a generali, ministris provincialibus, & custodibus.

90. Eleemosynæ pecuniariæ serventur in arculis, seu capsa in sacristia aut in manu procuratoris, seu ejus substituti, qui tamen ultra duo scutata de eisdem habere non possit.

91. Claves arculæ sint perpetuo apud procuratorem, qui eleemosynas non extrahat, nisi præsentibus guardiano, tribusque, vel quatuor discretis, aut natu majoribus, ubi non fuerint discreti.

92. Subeat pœnam proprietarii guardianus, qui alibi, præterquam in arcula hujusmodi, eleemosynas pecuniarias retinuerit, aut aliquid de eisdem disposuerit, inscio procuratore, aut fecerit instrumenta, contractus, scripturasque, in quibus pecunias se recepisse testetur. Eidem pœnæ subsint alii fratres idem agentes.

93. Possint fratres, testari, se tantam pecuniæ quantitatem recepisse pro necessitatibus ab aliquo ordinatam, seu legatam, quum opus id fuerit.

94. Nemo, pecuniam quærat, aut accipiat, sine licentia sui superioris, vel argenti aliquid, vel auri habeat, aut quodcumque sanctæ paupertati repugnat.

95. Nemo sine licentia sui superioris, teneat in manu procuratoris eleemosynam, aut ære alieno gravetur, sub pœna proprietarii.

96. In ecclesiis nullæ sint capsæ pro eleemosynis colligendis, etiam nomine confraternitatum. Si quæ sint, auferantur statim, sub pœna anathematis, & proprietatis.

97. De eleemosynis disponant superiores, & prælati, procuratorum opera.

98. Proprietas, & dominium eleemosynæ, antequam in usus insumpta fuerit, spectet ad S. Romanam ecclesiam, aut ad eos benefactores, qui illam largiti sunt.

99. Nemini permissum sit, eleemosynas permutare, si id fieri oportue-

fuerit, præter procuratorem.

100. Si ob veſtimentorum penuriam, vel ob alias neceſſitates, fratres cogantur debita contrahere, procuratores creditoribus ſatisfaciant de eleemoſynis fratrum, quæ ſi non aderunt, rogentur procuratores, ut ſolvant, cum ſpe pecunias ſuas redimendi ex illis, quæ fratribus obvenerint.

101. In his caſibus poſſint procuratores, alios, quot, & quales voluerint, ſubſtituere ad ea ipſa explenda.

102. Nulla ſit regulæ tranſgreſſio, ſi frater conſenſerit, ut qui dat pecuniariam eleemoſynam, illam adminiſtret ei per manum ſervi ſui, vel alterius, vel etiam per eum ipſum præſentari faciat, ad relevandas ejus neceſſitates.

103. Fratres notabiliter otioſi priventur jure ſuffragiorum, & ſubſint pœnis gravioribus. At clerici non arceantur ad laborem manuum, & exercitia corporalia.

104. Merces laboris, ſi pecuniaria fuerit, procuratori conſignetur; ſecus, detur ſuperioribus locorum.

105. Qui non interfuerit orationi mentali, faciat ſingulis vicibus publicam diſciplinam. Si ſe non emendaverit, careat per triennium jure ſuffragiorum, & carcere etiam includatur, ad arbitrium miniſtri provincialis.

106. Superiores locorum vigilantia ſua fratres ſubditos inducant ad orationem mentalem, in qua ſi negligentes ipſi fuerint, priventur officio, & gravius puniantur, arbitrio provincialis.

107. Sub pœna privationis juris ſuffragiorum, & expulſionis a propria provincia, nemo inſtitutus lector grammaticæ in capitulo provinciali, munus obire pertinaciter recuſet.

108. Qui trienaio laudabiliter grammaticam legerit, poſſit eligi in diffinitorem.

109. Vetitum ſit fratribus, præeſſe ſcholis puerorum, aut perſonarum ſæcularium, ſive in conventu, ſive extra.

110. Qui medicam artem exercuerit, careat biennio actibus legitimis, & vinculis etiam conſtringatur, arbitrio provincialis.

111. Nemo, ſub pœna proprietarii, venale faciat tornatile cujuſvis generis, nec ſportulas, pileos, galeros, coronas, vel aliud de bombice, lana, junco, vel palea, ſine licentia expreſſa ſuperiorum provincialium, vel generalium.

112. Nemo per ſe, vel alium committi procuret ſibi, vel alteri fratri, negotia per reges, principes, prælatos, vel quoſvis alios, abſque expreſſa licentia eorumdem provincialium, aut generalium, ſub pœna privationis omnium officiorum ordinis, arbitrio ſuperiorum.

113. Dona, quæ cuiquam mitti aliquando contingit, afferantur ad ſuperiorem, quo nonniſi ſciente, & conſentiente, ea quiſquam recipiat.

114. Qui in choro, oratorio, cœnaculo, dormitorio, in veſtitu, & omnibus aliis, communem vitam non ſervaverit, ad nullum officium, vel dignitatem promoveatur, & promoti iis priventur.

115. Si miniſter provinciæ in his deliquerit, puniatur arbitrio generalis, vel ejus viſitatoris, de patrum conſilio, & conſenſu.

116. Qui depoſuerit apud perſonam ſæcularem libros, aut res alias ſuo uſui conceſſas, abſque licentia provincialis, vel ſuperioris loci, de

scitu etiam discretorum ; & qui clavem cubiculi sui, aut arculæ reliquerit discedens alteri fratri, præterquam superiori, incidat in pœnam proprietarii, arbitrio ministri luendam.

117. Qui panum emerit per se, vel alium, absque facultate in scriptis ministri provincialis, ad se induendum, vel aliud quidquam faciendum, privetur panno, & habeatur tamquam proprietarius.

118. Qui vendiderit, vel commutaverit rationem panni sibi assignatam, privetur portione vestimenti sequentis anni, & tamquam proprietarius puniatur.

119. Nemini liceat pecuniam dare, vel accipere pro vestimento, sub pœna proprietarii tam dantibus, quam recipientibus.

120. Nulla fieri possit locatio terræ, prati, viridarii, quæ ad conventum aliquem spectent; nec liceat in ipsis frumentum serere, aut aliud cujusvis generis triticum, nisi forte olus, hordeum, fructus, ac fœnum, sub pœna contra proprietarios, quam subeant superiores, qui hortum fructus vendiderint, etiam per procuratorem.

121. Superior localis nihil possint pignori supponere, nisi causa sit urgens, de communi consensu discretorum, & scripto consensu provincialis, sub pœna privationis officii.

122. Superiores locorum, qui eleemosynas ad communem utilitatem fratrum erogatas fraudaverit, legitime convictus, subeat pœnam excommunicationis, suffragiorum jure, omnibusque officiis & gradibus perpetuo privetur, & carcere includatur, ad arbitrium superiorum.

123. Liceat fratribus, legata pia extra judicium exigere per modum eleemosynæ; in judicio vero nequaquam.

124. Tempore generalis interdicti fratres matricibus ecclesiis se conforment; privilegiis tamen ordinis servatis.

125. Generalis non det facultatem novum conventum acceptandi, nisi in eo XII. fratres de familia honeste ali, & satis commode vivere possint; neque fratres eo mittantur, antequam locum inviserit minister provinciæ; nec inibi instituatur guardianus, nisi sit communitas saltem octo fratrum.

126. Fratres ordinis prædicatorum hospites benigne recipiantur in locis nostris. Si advenerit prior, guardianus ei locum suum det; quod de aliis prælatis etiam respective servetur.

127. Res in valetudinariis ad infirmorum usum destinatæ, nunquam auferantur, neque in usus alios convertantur, etiam prætextu hospitalitatis, sub pœna privationis officii ab infirmariis, & guardianis etiam subeunda.

128. Nemo confessiones audiat fratrum, nisi sit guardianus, vel approbatus per examen a ministris generali, vel provinciali.

129. Qui admiserit crimen nefandum, ignis pœna torqueatur. Qui de eo crimine fuerit suspectus, nudus, ligatisque manibus per tria intervalla flagellis, superiorum arbitrio, torqueatur, & pane, atque aqua marceretur. Pro criminibus atrocibus aliud torturæ genus excogitari queat.

130. Minister provinciæ possit ex legitima causa guardianum officio suspendere, donec res, consultis patribus diffiniatur. Non possit tamen ipsum privare, sine consensu diffinitorii.

131 Non possit idem minister, aut com-

commissarius visitator, aliquem patrem ordinis, vel exministrum officio privare, aut notabilem aliquam punitionem, seu confusionem eisdem inferre, sine consensu majoris partis patrum provinciæ, aut capituli provincialis.

132. Qui extra diffinitorium revelaverit ea, quæ in illo tractantur, unde dissentiones, & odia in diffinitorium, vel diffinitorem quemquam oriantur, biennio excludatur a diffinitorio.

133. Nemo alium fratrem ordinis franciscani malitiose, & irrisorie appellet privilegiatum, coletanum, bullistam, amadeistam, clarenum, de evangelio, seu de caputio, bigotum, vel alio quovis nomine etiam de novo reperto, seu in futurum reperiendo, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, aliisque superiorum arbitrio infligendis.

134. Si quis prætexu injustitiæ sibi factæ recurrat ad tribunalia sæcularia, sit ipso facto excommunicatus, pœnisque subjaceat privationis officiorum, perpetuæ instabilitatis ad illa, & alia, vocisque activæ, & passivæ.

135. Damnati ad carcerem perpetuum, vel ad triremes, si postea misericorditer liberentur, careant jure suffragiorum, & actibus legitimis in perpetuum.

136. Qui ad tribunal inquisitionis delatus, de levi abjuratus fuerit, sit perpetuo inhabilis ad actus legitimos; qui vero de gravi, ad omnia ordinis officia.

137. Puniatur ad arbitrium generalis minister provinciæ, qui neglexerit capere, & detinere hospites delinquentes, in eosque debite animadvertere.

138. Nemini liceat appellare, vel recurrere ad majores prælatos, nisi post sententiam ab inferiore datam.

139. Post datam sententiam, reo, qui appellaverit, minister provincialis assignet infra xxx. dies copiam processus clausam, & sigillatam, per ipsum ad judicem appellatum afferendam, cum obedientia ipsum adeundi.

140. Si reus fuerit suspectus de fuga, remaneat in loco detentionis, & processum judex, a quo, mittat ad judicem appellatum.

141. Si reus indebite judicatus, vel gravatus fuerit, puniatur judex. Si vero recte judicatus reperiatur, duplicetur ei pœna injuncta.

142. Si, sententia non expectata, reus superiores adierit, remittatur ad judicem suum, & sit apostata.

143. Appellatio fiat a provinciali ad generalem, a generali ad protectorem, a protectore ad summum pontificem. Qui secus fecerit, omni suffragiorum jure careat per triennium, & bimestri carceri mancipetur.

144. Ad electionem canonicam vota saltem quinque requirantur, & disquisitores non plures, quam sex, neque minus, quam duo, qui sint de corpore capituli; nisi ob vocalium paucitatem externus aliquis, de eorum consensu, sit advocandus.

145. Disquisitores in capitulo generali eligantur a ministro generali, seu in ejus defectu ab antiquiore in ordine discreto, de consilio, & consensu discretorum ordinis, & diffinitorum generalium.

146. In capitulo provinciali eligantur a præside electionis, de consilio pariter, & consensu discretorum, & diffinitorum provinciæ. In capitulo

 lo-

locali eligantur a præside, consentientibus discretis.

147. Fratres euntes ad capitulum generale accipiant a provinciis sumptus necessarios, & sufficientes pro itinere, juxta contributionem, patrum judicio, per singula provinciarum loca proportionaliter taxandam, sub pœna privationis officii, ac suffragiorum juris, renuentibus, aut negligentibus, etiam a guardianis, & aliis locorum superioribus eo ipso incurrendis.

148. Minister generalis transiens ab una in aliam familiam possit, de aliquorum discretorum consilio, instituere vicarium generalem, eumque relinquere cum plenaria facultate.

149. Ad eum spectet, procuratorem ordinis, & commissarium curiæ, in generalibus comitiis, & extra, ubi prædicta officia vacare contigerit, instituere; de consilio tamen, & consensu discretorum ordinis, & ejus familiæ, a qua prædicti assumuntur, verbo, si præsentes fuerint, scripto, si absentes.

150. Ad eum spectet institutio commissarii generalis Indiarum. Similiter ministrorum Candiæ, Hiberniæ, & Angliæ; guardianorum Hierusalem, S. Claræ Neapolis, S. Mariæ Magdalenæ, S. Mariæ Ægyptiacæ, S. Crucis Oeniponti, ac Constantinopolis, de consilio, & consensu discretorum ordinis familiæ cismontanæ.

151. Ad eum spectet, congregationem generalem intermediam celebrare, diffinitorum electioni præsidere, eos confirmare, congregationem ex urgenti causa differre, commissarium generalem aut in officio confirmare, aut alterum, de consilio aliquorum discretorum ordinis ejus familiæ, cui commissarius generalis est præficiendus, substituere.

152. Commissarius hujusmodi substitutus non sit pater ordinis, nec votum habeat in sequenti capitulo generali.

153. Minister generalis officio functus sit perpetuus pater, diffinitor, & discretus totius ordinis in utraque familia, & possit habere duos socios delectos arbitrio suo a qualibet provincia.

154. Si minister generalis moriatur ante triennium suæ administrationis, vicarius generalis electus ejus loco convocet vocales suæ familiæ tantum, ad eligendum alium ministrum, loco, & tempore opportunis. In eam electionem compromisisse altera familia censeatur.

155. Idem fiat, si minister generalis assumatur ad dignitatem extra ordinem, aut officium dimiserit, ante triennium prædictum.

156. Si moriatur post triennium, vicarius generalis reliquo sexennii tempore ordinem moderetur. Quod si ad dignitatem assumatur, vel officium dimiserit post idem triennium, tunc de consilio aliquorum discretorum regimini ordinis ipse provideat.

157. Vicarius generalis post duos annos regiminis sit pater, & discretus ordinis; sed officio functus nequeat in sequenti capitulo eligi in commissarium generalem.

158. In electione commissarii generalis vocem habeant minister generalis de novo electus, exministri generales, excommissarii generales ejusdem familiæ, cui commissarius est præficiendus, commissarius curiæ Romanæ, exvicarii generales, qui bien-

Digitized by Google

biennium expleverunt, ministri provinciales, & custodes præfatæ familiæ. Si commissarius eligendus sit ex ultramontanis, vocem habeat in ejus electione commissarius generalis Indiarum in curia regis catholici.

159. Commissarii generalis munus duret per triennium, quo expleto, alius eligatur in congregatione generali celebranda ministri generalis jussu.

160. Si congregatio celebrari nequeat ob bella, vel alias causas, minister generalis, consultis aliquibus discretis ordinis, aut eumdem in officio confirmet ad tempus opportunum, aut alium subroget ejusdem familiæ.

161. Nemo unquam in familia, cui præest commissarius generalis, eximatur ab ejus jurisdictione, & obedientia, ne exceptis quidem officialibus curiæ Romanæ, si commissarius fuerit cismontanus.

162. Commissarius subsit ministro generali; libere tamen officium suum exerceat, etiam ministro ipso præsente, nisi minister rationabili ex causa sibi aliqua negotia, vel provincias visitandas reservet.

163. Habeat duos, vel tres socios si eos voluerit functusque officio sit perpetuus pater suæ familiæ, diffinitor, & discretus.

164. Gaudeat voce activa, & passiva in electione vicarii generalis suæ familiæ, voce activa in comitiis generalibus, ubi commissarius generalis suæ familiæ est eligendus, & passiva quoque, si præscripto tempore vacaverit.

165. Si commissarius generalis moriatur, aut ad dignitatem extra ordinem transeat, aut officium dimittat, possit minister generalis, de consilio aliquorum discretorum ordinis, alium instituere usque ad proximum generale capitulum.

166. Minister provinciæ, in qua mortuus fuerit commissarius generalis, una cum secretario defuncti, recognoscat ejus scripturas, & sigillis muniat, ab eodem secretario mittendas una cum sigillis ipsius commissarii ad familiæ discretum dignitate antiquiorem.

167. Discretus, acceptis, recognitisque scripturis, moneat ea de re ministrum generalem, & interim ipse defuncti officium cum potestatis plenitudine exerceat, donec de alio commissario provisum fuerit.

168. Si vocalium aliquis non intersit congregationi generali celebrandæ, triennio post capitulum generale, nec electio commissarii, nec alia omittantur, vel differantur.

169. In eadem congregatione eligantur sex diffinitores generales ejusdem familiæ, procurator ordinis, commissarius curiæ, minister Candiæ, guardianus Hierusalem, aliique immediate subjecti ministro, vel commissario generali cismontano.

170. In omni capitulo generali eligantur duodecim diffinitores, sex cismontani per vocales, & disquisitores eorum familiæ cismontanæ, & sex ultramontani per vocales, & disquisitores eorum familiæ.

171. Vivente diffinitore, alter ex ejus provincia eligi non possit, salva libertate electionis, & ratione habita provinciæ Romanæ.

172. Eligatur unus diffinitor ex provinciis ultramarinis, quæ sunt provincia S. Mariæ, S. Salvatoris Hungariæ, Argentinæ, Poloniæ, Austriæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Bosnæ Argentinæ, Bosnæ Croatiæ, Ragusii, Candiæ

Digitized by Google

diæ, & Albaniæ, dummodo earum ministri, & custodes capitulo interfuerint.

173. Ex provinciis regni utriusque Siciliæ eligantur duo diffinitores. Alii tres sint ex cæteris provinciis.

174. Ex provinciis reformatorum Galliæ eligatur unus.

175. Nemo esse queat diffinitor generalis, nisi ætate XXXV. annorum, in religione XX., ac nisi fuerit minister, aut insignis prædicator, aut lector theologiæ per sexennium. Qui unam, vel alteram harum qualitatum habuerit, eligi possit, si sit præsens, quamvis non sit de corpore capituli.

176. Alter alterum ex ordinis antiquitate præcedat, nec unquam esse queat guardianus, nisi specialiter dispensatus, & quamdiu fuerit guardianus, non possit esse de corpore capituli provincialis.

177. Diffinitores assumpti ex familia ministri generalis maneant in officio per sexennium; cæteri per triennium, aut usque ad celebrationem congregationis generalis.

178. Uno mortuo, vel ad dignitatem extra ordinem promoto, ejus loco subrogetur antiquior ex eadem familia.

179. Gaudeant in suis provinciis privilegio exministrorum provincialium, quos semper præcedant.

180. In gravioribus, arduisque negotiis sint consultores prælati generalis, provinciarum negotia cognoscant, & causas dirimant.

181. Eligant procuratorem ordinis, & commissarium curiæ, & vocentur ad electionem vicarii generalis, si fieri contigerit.

182. Post electionem diffinitorum, instituantur discretoria duo, cismontanum, & ultramontanum, ex viris gravibus, & prudentibus, quibus adsint duo præsides.

183. Legantur in discretoriis constitutiones antiquæ ordinis, & inquiratur, an earum vigeat observantia, rerumque summam præsides referant ad diffinitorium generale.

184. Diffinitorium generale pariter duplex sit, cismontanum, & ultramontanum, quæ ministri generalis jussu, in rebus ad totum ordinem spectantibus quandoque in unum conveniant.

185. Utrique diffinitorio præsideat minister generalis, ejusque loco, generalis minister præteritus præsideat diffinitorio familiæ suæ. Nihil autem determinetur, nisi ex auctoritate ministri generalis.

186. Diffinitorium componant patres, & discreti perpetui ordinis. Procurator generalis, commissarius curiæ, commissarius generalis, in comitiis generalibus proxime præteritis, una cum diffinitoribus noviter electis ad illud respective vocandi sint, de cujus familia ipsi fuerint.

187. Ministri provinciales, sive præsentes, sive absentes, officiis suis se abdicent coram diffinitorio, eorumque abdicationem minister generalis vel admittat, vel rejiciat, prout fuerit expediens, judicio ejus, & diffinitorum.

188. Fiat in diffinitorio collatio eorum, quæ transmissa sunt ad capitulum generale, eaque rite examinentur, quæ commune ordinis bonum, & decus respiciunt.

189. Eligantur in ipso vel per vota secreta, vel instituantur procurator

or-

Digitized by Google

ordinis, commiſſarius curiæ, miniſter Candiæ, guardianus Hieruſalem, & alii guardiani, & officiales, qui generalis miniſtri, vel commiſſarii generalis ciſmontani curæ immediate ſubſunt. Prævaleat autem ſententia plurium.

190. Inſtituantur ſtudia generalia artium, & theologiæ, habileſque lectores in illis.

191. Procurator ordinis, ad quem pertinet in capella pontificia congruis temporibus orare, & adeſſe, ſit ſemper ex familia miniſtri generalis. Commiſſarius curiæ ex altera familia. Neuter eorum ſit in officio ultra triennium.

192. Ad eam dignitatem nequeant promoveri, niſi viri graves. & qui alias fuerint miniſtri.

193. Eorum uterque commiſſario generali illarum partium, in quibus Romana curia fuerit, ſubditus ſit, & eſſe cenſeatur, niſi miniſter generalis præſens adfuerit.

194. Neque ipſi, neque ſocii eorum, qui pro unoquoque poſſint eſſe duo, ſint ullo modo ſubjecti ſuperiori locali, vel provinciali.

195. Non poſſint deſtinare fratres Romam venientes ad ullam provinciam, præter Romanam.

196. Non agant negotia ſæcularium, nec ſe intromittant quoad regimen provinciarum.

197. In comitio generali ad dexteram miniſtri generalis ſedeant primo exminiſter generalis immediatus, deinde alii exminiſtri generales, exvicarii generales per biennium, procurator ordinis, diffinitores generales ejus familiæ ex qua miniſter eſt aſſumptus, provincialis miniſter provinciæ, in qua habetur comitium, patres ordinis, miniſtri aliarum provinciarum, & cuſtodes ejuſdem familiæ.

198. A ſiniſtris miniſtri generalis ſedeant primo commiſſarius generalis, deinde eodem officio perfuncti, commiſſarius curiæ, alii diffinitores generales, patres ejuſdem familiæ, miniſtri provinciales, cuſtodes.

199. Commiſſarius generalis Indiarum in curia regis catholici ſedeat a dextris, vel ſiniſtris ſupra procuratorem, vel commiſſarium curiæ Romanæ, ac miniſtros, & cuſtodes ultramontanæ familiæ, prout ejuſdem familiæ viciſſitudo fuerit.

200. Si quis loco ſuo non ſedeat, nullum novum jus acquirat.

201. Capitula provincialia celebrentur tempore, quod interjacet inter Paſcha Reſurrectionis; & Pentecoſtes, niſi aliud generalis prælatus aliquando judicaverit.

202. Locus eligatur arbitrio ſuperioris generalis, vel ejus viſitatoris, de conſilio aliquorum diſcretorum provinciæ.

203. Ante capitulum mittantur per totam provinciam, & conventus ſingulos literæ indictionis, in quibus hæc contineantur. I. *Ut quo die, & loco capitulum celebrandum eſt, exprimatur.*

II. *Ut quo primum locorum ſuperiores indictionis literas acceperint, fratribus ad ſonitum capitularis campanæ more majorum capitulariter congregatis publice eas legi, & evulgari diligenter curent.*

III. *Ut quo die eas acceperint, & quo item ad alium locum traſmiſerint, in eiſdem propria manu teſtentur.*

IV. *Ut eas de loco ad locum per nuncios*

cios fideles diligenter transmittant.

V. *Ut ubi localis discreti ad provinciale capitulum mittendi electio celebrata non fuerit, mox canonicè, ac rite juxta præscriptum celebretur.*

VI. *Ut totius administrationis rationem accuratè, ac diligenter conscriptam, coram fratribus capitulariter congregatis exactissimè reddant, ac singulorum propria manu obsignatam, cui etiam procuratores locorum apostolici primò subscribant, ad capitulum deferant.*

VII. *Ut omnium rerum mobilium inventaria ad capitulum deferenda, una cum localibus discretis diligenter conficiant, ac si qua bonorum accessio facta fuerit, aut aliqua fabricæ instaurata, in eisdem expressè notetur; quibus locales discreti propria manu subscribant.*

VIII. *Ut antiquiori locali discreto, qui, si vicarius non adsit, interea loci curam habebit, ipsorum inventariorum originalia, loci sigillum, regulam, & ordinis, ac provinciæ statuta, nec non bibliothecæ, si quæ fuerit, inventaria, ad constitutionis apostolicæ præscriptum confecta, coram discretis localibus assignet, locorum superioribus noviter eligendis, quo primum de capitulo redierint, pariter resignanda.*

IX. *Ut qui quovis jure, vel consuetudine, provinciali capitulo interesse debent, stata die in ipsis indictionis literis expressè praescripta, quæ triduo, aut biduo saltem diem electionis præcedat, ut quæ capitulari loco, & tempore peragenda sunt, consultius, ac maturius pertractari, & examinari possint in capitulari loco praesentes adesse debeant. Caeteris vero omnino omnibus ad capitulum accessum, & de locorum finibus egressum, sub apostasiæ paena ipso facto incurrenda, interdicant.*

X. *Ut venientes, ac redeuntes modestè, religiosè, compositè, ac graviter incedant, cauponas devitent, pedestres vadant, nisi scriptam aequitandi facultatem, que nonnisi in casibus omnino necessariis concedi possit, antea impetraverint.*

XI. *Ut capitulares discreti suae quisque electionis fidem, guardiani, & disquisitorum propria manu obsignatam, opportunè in diffinitorio exhibendam afferant.*

XII. *Orationes, supplicationes, processiones, ac alia omnia, ad constitutionis praescriptum, pro felici rerum capitularium successu, & exitu peragenda, omino fieri praecipiant.*

XIII. *Postremo loco suprascrita omnia exacte quidem, atque inviolate ab omnibus aequè servanda, sub pœnis eorum arbitrio a negligentibus subeundis, expressè cavendo praecipiant.*

204. Ad provinciale capitulum accedant discreti provinciarum, discreti capitulares, & guardiani, secus priventur per triennium jure suffragiorum; nec propterea capitulum suspendatur, vel differatur.

205. Vocem activam in eo habeant, si præsentes fuerint, minister, & commissarius generales.

206. Exministri provinciales in electione custodis mittendi ad capitulum generale habeant tantum vocem activam; in electione ministri provincialis habeant voce etiam passivam, si præscripto tempore vocaverint.

207. Discreti provinciarum, & diffinitores perpetui in electione ministri provincialis habeant vocem activam, & passivam; in electione diffinitorum tantum activam. Guardiani, & discreti capitulares in omnibus electionibus vo-

Digitized by Google

vocem activam, & paſſivam, ſi habiles fuerint.

208. In miniſtrum provincialem eligi non poſſit, niſi vir integritate vitæ, & morum gravitate excellens, qui XXXV. ætatis ſuæ annum, XX. vero in religione excedat.

209. In capitulo, quod antecedit in qualibet provincia capitulum generale, eligatur cuſtos cuſtodum, qui eat ad capitulum generale, deferens ſecum ſcripturas, quas habuerit, contra generales, aut provinciales miniſtros, & commiſſarios, alioſque.

210. Si mori ipſum, aut legitime impediri contigerit, alius mittatur ad capitulum generale per miniſtrum, & diſcretos provinciæ perpetuos, ac diffinitores.

211. Si cuſtos, legitimo impedimento ceſſante, non acceſſerit ad capitulum generale, privetur jure ſuffragiorum. Si diſſimulaverit accuſationes, quas ſecum defert, eodem priventur jure.

212. Computetur cuſtos inter diffinitores, & a capitulo, in quo electus eſt, uſque ad alterum capitulum, ſit de corpore capituli.

213. In capitulo provinciali eligantur quatuor diffinitores, qui una cum miniſtro, & aliis diffinitoribus perpetuis, vocari, & convenire debeant ad inſtitutionem guardianorum, aliorumque officialium capitulari loco, & tempore celebrandam.

214. Si legitime non impediti, intereſſe renuerint, vel neglexerint, priventur officio, & dignitate, arbitrio ſuperiorum.

215. Miniſter, aut viſitator provinciæ poſſit quidem ſuſpendere officio guardianum, vel alium, qui id meruerit; ſed nequeat declarare, eum incidiſſe in pœnam privationis, niſi cauſa coram diffinitoribus propoſita.

216. Numerus diffinitorum in provinciis latioribus, quæ ſcilicet habuerint ultra triginta loca, non excedat numerum XVI.; in ſtrictioribus, quæ habuerint infra triginta loca, numerum XII., niſi ex cauſa rationabili generalis prælatus diſpenſet. In numero tamen diffinitorum non cenſeantur perpetui diffinitores, & diſcreti provinciarum.

217. Si urgentibus de cauſis diffinitor eligatur in guardianum inſignis alicujus loci, non ſit de corpore capituli.

218. Duo diffinitores nequeant eſſe ex eadem cognatione, niſi ob probitatem, & doctrinam eorum excellentem generalis prælatus diſpenſet.

219. Præcedant inter ſe juxta antiquitatem in ordine. Et ſi quis eorum moriatur, ejus locum ſuppleat antiquior provinciæ pater, qui ſi in eo munere per biennium perſeveraverit, non poſſit eligi in diffinitorem in capitulo ſequenti.

220. Ea, quæ dicta ſunt de diſcretorio, & diffinitorio generalibus, in capitulo provinciali quoque locum habeant.

221. Diſcretorum componant omnes capitulares, diffinitorium diffinitores perpetui, nempe miniſtri provinciales, & qui alias eo officio functi ſunt, diffinitores generales, patres ordinis, & qui aut procurator ordinis, aut commiſſarius curiæ, aut guardianus Terræ Sanctæ, aut fuerunt per tres annos continuos a ſecretis miniſtri, vel commiſſarii generalis. Inſuper diffinitorio interſint diſcreti, nempe cuſtos ad generale comitium mittendus, & diffinitores actuales. Omnes habeant votum

Digitized by Google

consultivum, & decisivum.

222. Minister provinciæ, sive præsens, sive absens, in diffinitorio renuntiet officio suo; quod agant etiam guardiani, & confessarii monialium.

223. Examinentur deinde status conventuum, causæ cognoscantur, instituantur guardiani, vicarii, confessarii monialium, magistri novitiorum, aliique officiales; & sententia plurium prævaleat.

224. Liberum sit prælato generali, guardianum instituere in locis sibi immediate subjectis, si extra capitulum, vel congregationem generalem vacaverit.

225. Eamdem facultatem habeat minister cum diffinitoribus tum perpetuis, tum actualibus, si conventus aliquis sibi immediate subjectus vacaverit extra tempus.

226. Guardianus institui possit etiam frater laicus vita, & moribus probatissimus, de religione benemeritus.

227. Possint guardiani, continuare in officio per triennium, etiam eodem in loco, si causæ accedant honestæ, & rationabilier. Attamen in omnibus capitulis, & congregationibus hujusmodi officio renuntient.

228. Guardianus nequeat esse magister novitiorum.

229. Si quis ob fraudem, vel notam violatæ castitatis, vel aliud grave crimen, guardianatus officio privatus fuerit, perpetuo ad illud sit inhabilis.

230. Non instituantur vicarii in conventibus, in quibus familia sit minor XII. fratribus.

231. In conventibus insignioribus instituantur magister cæremoniarum, & vicarius chori. Huic, absentibus guardiano, & vicario conventus, cæteri fratres obediant.

232. Si socium monialium in infirmitatem inciderit, admoneatur minister provinciæ, & interim guardianus alterum etiam sacerdotem, si laicus defuerit, in socium ei assignet.

233. In unoquoque conventu collocetur unus prædicator, vel saltem frater aliquis eruditus, qui dubiis respondere possit.

234. Guardiani in gravioribus negotiis adhibeant discretos conventus, qui sint ex fratribus antiquoribus, & notentur in capitulari tabella.

235 Sacristæ, qui sacris non est initiatus, non liceat tangere vasa sacra, nisi institutus fuerit per capitulum, vel per ministrum, vel per prælatos superiores.

236. In capitulo provinciali sedeant fratres hoc ordine. Primo loco superior generalis, si adfuerit. A dextris ejus commissarius visitator, quem sequantur diffinitores generales, si qui sint. A sinistris minister provinciæ, exministri, secretarii generales. Deinde hinc inde custos, diffinitores, lectores theologiæ, qui sexennio saltem legerint, prædicatores clarissimi, secretarii commissarii visitatoris, & provincialis, patres provinciæ, custos reformatorum, guardiani, & discreti; postmodum reliqui.

237. Minister provincialis quotannis saltem semel, aut bis, aut etiam sæpius provinciam visitet, quæ ab ejus visitatione non sit exempta, nisi quando generalis per se, vel alium visitationem obierit.

238. Habeat ordinariam jurisdictionem excommunicandi, ligandi, capiendi, incarcerandi &c. omnes aliarum provinciarum apostatas, qua jurisdictione gaudeant superiores locales

Digitized by Google

les, ubi infra triduum præsentia ministri haberi nequeat.

239. In morum correctione, & visitatione, nulla inhibitio, appellatio, aut querela impediat, aut suspendat exsequutionem sententiæ ministri.

240. Exministri provinciales sint perpetui provinciarum diffinitores, & discreti, habeantque votum consultivum, decisivum, & electivum in capitulis & congregationibus, ad quas semper vocentur.

241. Præter diffinitores generales, & patres ordinis, alios quoscumque præcedant, nisi qui simili officio antea sunt functi.

242. In capitulo, in quo quis officio ejusmodi absolvitur, omnes præcedat, præter superiores generales, visitatorem, & novum ministrum.

243. Non possint exministri, nisi urgentibus de causis, eligi in guardianos, quo in casu, durante guardianatus officio, non admittantur in diffinitorium.

244. In propria provincia non possint iterum esse ministri, nisi sexennio vacaverint.

245. In capitulis localibus pro electione discreti mittendi ad capitulum provinciale vocem habeant, exceptis clericis in sacris non constitutis, & fratribus illegitime natis, a Judæis, Mauris, Mahumetanis, vel hæreticis damnatis originem trahentibus, alii omnes post triennium a suscepto habitu, qui per mensem de familia commorati fuerint in eo loco.

246. Studentes etiam forenses, lectores, & guardiani habeant vocem passivam.

247. Prædicatores in eo loco, ubi per quadragesimam prædicationis causa morantur, habeant vocem activam, & passivam.

248. Provincialium socii habeant & ipsi jus suffragiorum in electione discreti, ubi hac de causa per superiorem deputati fuerint, quamvis inibi per mensem non steterint.

249. Si in aliquo loco fratres ad minus quinque non fuerint, pro discreti electione suffragari non possint, sed votum habentes ad propinquiorem locum pro electione hujusmodi, vocari, & accedere debeant.

250. Renuentes interesse electioni discreti, careant triennio suffragiorum omnium jure, & singulis vicibus faciant disciplinam coram fratribus capitulariter congregatis.

251. Vicarius conventus præcedat lectoribus artium, & prædicatoribus conventus, qui tempore quadragesimæ, aut per annum actu prædicant, vel legunt, & cæteris inferioribus præcedat, præter theologos & prædicatores clarissimos.

252. Visitatores provinciarum deligantur viri religiosi, & in rebus agendis strenui; & qui alias ministri fuerint in provincia, aut actu sint, aut diffinitores generales, aut patres ordinis.

253. Visitator missus in provinciam nequeat capitulum in ea celebrare, nisi per facultatem literis expressam id sibi liceat.

254. Nequeat superior generalis mittere visitatorem, nisi urgentibus de causis, ad petitionem provinciæ, vel majoris partis patrum.

255. Visitatores regulariter mittendi sint, quando nova electio facienda est ministri provincialis, nisi generalis prælatus visitationem peragere velit.

256. Visitator, antequam suum officium exsequi incipiat, assignet lo-

Digitized by Google

cum miniſtro provinciali, ubi ille commorari debeat, donec abſolvat viſitationem, qui tamen locus non ſit principalior.

257. Viſitet SS. Euchariſtiæ Sacramentum, SS. Reliquias, Oleum Sanctum, altaria, capellas, ſedes confeſſionales, ſepulturas, ſacriſtiam, infirmariam, aromatariam, hoſpitia, cellas fratrum, & fratres ipſos perſonaliter; quod & ipſi agant miniſtri provinciales, dum viſitant.

258. Si ſuperioris generalis præſentia infra decem dies haberi non poſſit, liceat viſitatori, de conſenſu majoris partis patrum provinciæ, officio ſuſpendere, aut deponere, aut privare fratrem reum criminis adeo enormis, ut populo ſit ſcandalo.

259. Nequeat viſitator quempiam ad profeſſionem, aut ad ſacros ordines ſuſcipiendos admittere.

260. Superioribus non liceat, cuiquam prædicandi poteſtatem facere, niſi in ſcripto, & iis tantum fratribus, qui per patres capitulari auctoritate delectos, moribus, & doctrina fuerint probati; cujus comprobationis teſtimonium in eo ſcripto inſeratur.

261. Prædicator aliter inſtitutus habeatur pro ſuſpenſo, & privato, niſi admiſſus fuerit a prælato generali.

262. Admiſſus per alios, quam per generalem extra ſuam provinciam, quum ad propriam redierit, prædicationis officium exercere non poſſit, niſi ſcriptus diffinitorum conſenſus acceſſerit.

263. Nullus prædicator concionem ſibi procuret; ſecus non mittatur.

264. Miniſter, & diffinitores conciones provinciæ inter prædicatores diſtribuant.

265. In provinciis contiguis miniſtri de prædicatoribus ſe mutuo adjuvare poſſint.

266. Nemo in aliena provincia prædicet, niſi ab illius provinciali benedictionem petierit ſaltem per epiſtolam, & obtinuerit.

267. Habeat prædicator ſocium unum moribus, & vita probatum.

268. Puniantur ſuperiores locorum, qui prædicatoribus neceſſaria non providerint; & ſubeant pœnam proprietarii, ſi eorum negligentia prædicatores per ſe, vel alium pecunias receperint.

269. Eleemoſynæ libere, ac ſponte oblatæ prædicationis cauſa cedant in beneficium loci, in cujus ditione, vel quæſtuatione prædicator fuerit.

270. Prædicatores conducantur, & reducantur communibus expenſis, & præterea quæ neceſſaria fuerint provideantur eis de eorumdem eleemoſynis.

271. Superiores generales viſitent provincias ſibi ſubjectas infra tempus, quo fuerint in officio, per ſe, vel per ſuos commiſſarios.

272. Guardiani una cum aliquibus diſcretis gravioribus ter ſaltem quotannis viſitent cellas ſingulorum fratrum, & referant in inventarium ſupellectilem inventam. Quod & miniſtri faciant in ſuis viſitationibus.

273. Cuſtos Terræ Sanctæ univerſam familiam ſuam eundo, & redeundo ſecum ducat, niſi ex cauſa urgenti aliud facere cogatur.

274. De communibus eleemoſynis ad loca ſancta ſpectantibus provideat fratribus neceſſaria, nec permittat, ut aliquis habeat eleemoſynas pecuniarias.

275.

Digitized by Google

275. Ad colligendas eleemosynas pro locis hujusmodi, superior generalis deputet procuratores arbitrio suo, de patrum consilio, ac deinde ipsi fidelem rationem reddant.

276. Sit Venetiis procurator generalis sæcularis, qui collectas eleemosynas recipiat, & expendat juxta consilium procuratoris religiosi in conventu Vineæ.

277. Uterque procurator instituatur arbitrio generalis, eique in reddendis rationibus subsit.

278. Custos Terræ Sanctæ non possit mittere fratres in ullas regiones christianis principibus subjectas ad eleemosynas emendicandas, nisi consulto prius prælato generali, sub pœna suspensionis, vel etiam privationis ab officio. Missi autem sint ipso facto apostatæ.

279. Guardianus Vineæ deducat in navim paratam processionaliter, cum psalmorum, & hymnorum cantu, custodem Terræ Sanctæ, seu guardianum Hierusalem cum familia Hierosolymitana.

280. Non recedat a locis Terræ Sanctæ guardianus, neque suorum ulli licentiam recedendi concedat, sub apostasiæ nota, nisi prius ejus successor advenerit.

281. Successor visitet prædecessorem, ejusque familiam, ac visitationem suam sigillo clausam mittat ad prælatum generalem. Quod si scandalum invenerit in detrimentum ordinis, aut notabile damnum sanctorum locorum, ipse provideat.

282. Qui pro tempore generali ministro ex partibus cismontanis fuerit a secretis, Terræ Sanctæ custos censeatur esse, & pro tali semper habeatur, atque cum aliis cismontanæ familiæ custodibus ad omnes capitulares actus in generalibus comitiis ubique, & semper admittatur.

283. Ministri provinciales in suis provinciis nominent, & eligant pro quolibet loco conservatorem, virum in dignitate ecclesiastica constitutum, qui fratrum quieti consulat, & adsit procuratoribus, seu sindicis apostolicis, quoties fuerit requisitus.

Sequuntur *Leges* pro fratribus reformatis. 1. Reformati ministris obediant.

2. Ministri provinciales libere visitent domos reformatorum, corrigant, & coerceant delinquentes, qui tamen extra custodias non mittantur; nisi ob majorem quietem reformationis, de consilio custodum, & discretorum aliud videatur.

3. In conventibus reformatorum vigeant ordinationes, & statuta religionis, in quantum reformationi non adversantur.

4. Custodes visitent proprios conventus, & possint, honesta, & urgenti ex causa, mittere fratres in alia loca provinciæ, non extra ipsam.

5. Si moriatur, aut quocumque modo deficiat guardianus reformatus, custodes, & discreti in deficientis locum præsentent alium difinitorio provinciæ, atque is, non alius, in guardianum substituatur.

6. In quolibet capitulo provinciali eligantur duo discreti custodiales, qui una cum discretis actualibus, & præteritis faciant provisionem guardianorum, qui præsentari debent diffinitorio.

7. Eligantur etiam duo discreti pro quolibet conventu ex sacerdotibus pro-

probatioribus, & antiquioribus, qui si non adsint, poterint deputari fra tres laici magis idonei. His in rebus gravibus utantur guardiani, sub pœna suspensionis, vel privationis, vel alia ad arbitrium custodum, & discretorum custodialium.

8. Non possit in custodia haberi capitulum ob mortem custodis, vel alia ex causa, sine assistentia ministri provincialis, aut commissarii deputati ab eo, vel a ministro generali.

9. In capitulis provincialibus deputentur examinatores custodiarum, qui reformatos audiant suscepturos sacros ordines, vel fidelium confessiones excepturos.

10. Si episcopus, ad quem probati accedere debent, intra fines custodiæ reperiatur, iis custodes licentiam dare possint; sin extra, mittantur a solis ministris provincialibus.

11. Nemo a familia transeat ad reformatos, nisi tempore capituli, vel congregationis generalis; & tunc custodes significent ministris nomen, & numerum eorum, quos recipere cupiunt.

12. Eodem capituli tempore solum, liceat reformatis transire ad familiam. Extra capitulum transitus fieri nequeat, absque licentia prælatorum generalium, eademque licentia requiratur pro missione fratrum in alienam custodiam.

13. Nemo inquisitus, vel pœnitentiatus in familia recipiatur inter reformatos.

14. Qui triennio saltem in reformatione laudabiliter non manserit, nequeat esse custos, aut guardianus.

15. Novitii in quocumque conventu habeant magistrum; nec professis liceat reformationem deserere, nisi post triennium completum ab eorum professione.

16. Non possint reformati recipere loca sumptuosa, aut in receptis excedentia ædificia excitare, cum amplitudine, & vanitate fabricarum.

17. Non possint aliquem familiæ locum accipere, nisi capituli tempore, & nisi sufficientem habeant fratrum numerum ad inibi habitandum, ita ut ex quatuor partibus fratrum, qui in eo prius manebant de familia, tres saltem ex reformatis collocentur.

18. Extra capituli tempus nequeant locum aliquem deserere; ac in acceptione, & desertione locorum nullum intersit scandalum, aut sæculi admiratio, aut fratrum dissentio.

19. Accipiantur ab ipsis conventus humiliores, pauperiores, & magis sequestrati, qui si sint resarciendi, id fiat obtenta facultate in scriptis custodis.

20. Nemo reformatorum habeat præterquam unam, & simplicem cellam. Soli autem custos, & guardianus habeant in ostiis claves, & seras, nisi judicio custodis, & discretorum, aliquo in loco aliud necesse fuerit.

21. In aptioribus locis panni viles, & uniformes in substantia, ac colore conficiantur; quod si in conventibus fieri nequeat, custodes curent, ut fiat per sæculares, modo licito.

22. Latitudo, & longitudo habitus, & mantelli illa sit, quæ determinata est in statutis Salmaticensibus, & explicata in Neapolitanis.

23. Singuli fratres habeant unum habitum, & unam tunicam, & accipiant a locorum communitatibus mantellum, temporibus opportunis. Hinc in

Digitized by Google

in quolibet loco ſit aula quædam communis, in qua ſerventur indumenta, eique præſit unus, qui nova veſtimenta reſtauret.

24. Cuſtodes pluries quolibet anno viſitent cellas fratrum, ſuperflua auferant, neceſſaria provideant.

25. Nulla unquam accipiatur pecunia pro miſſarum celebratione; & ſi in aliquibus locis inducta fuerit conſuetudo celebrandi miſſas particulares, ea penitus auferatur.

26. Nulla ſit domi, vel extra, perſona, quæ denarios, vel pecuniam recipiat, aut conſervet; neque nummos reformati deponi faciant in capſulis, ſed benefactori nummos offerenti manifeſtent præſentem neceſſitatem, ut eſt olei, aut alterius rei defectus.

27. Tempore meſſis, & vindemiæ non faciant proviſionem annualem frumenti, aut vini; ſed ſi neceſſaria victui aliter obtineri nequeant, cuſtodes, ex conſilio graviorum patrum, determinent quod fuerit expediens.

28. Vindemiæ tempore poſſint conquirere aliquam portionem vini pro miſſis celebrandis.

29. Non poſſint quærere frumentum, hordeum, aut quid ſimile, ut ea vendant, eorumque pretio ſibi neceſſaria provideant.

30. Exceptis calicibus, patenis, pixide, & vaſculo olei ſancti, nequeant habere ex argento thuribula, aut vaſa alia, etiam ſponte eis oblata.

31. Cuſtodes fieri curent in quolibet loco bibliothecas, non tamen formales, in quibus reponantur libri fratrum decedentium ex eo oppido, vel ex ejuſdem queſta naturalium, non inutiles, ſed pertinentes ad ſacram hiſtoriam, moralitatem, & ſpiritualitatem.

32. Bibliothecis præficiantur cuſtodes, qui eas ſervent integras, mundas, & cum decore. Qui libros in ordine, vel extra, dederit, aut diſtraxerit, incidat in excommunicationem, aliaſque pœnas, arbitrio generalis.

33. Liceat fratribus, de licentia cuſtodis, aut guardiani, recipere libros ab amicis ſpiritualibus oblatos.

34. Habeant, ubi opus fuerit, jumentum humile, de conſilio, & conſenſu cuſtodis, guardiani, & diſcretorum. Non tamen equos, & mulos.

35. Poſſint veſci carnibus, dummodo non emantur, vel quærantur; exceptis infirmis, & ſenibus, pro quibus modo licito carnes procurentur.

36. Non poſſint habere comeſſationes extra communitatem, nec extra ipſam comedere, niſi pia, & rationabili ex cauſa.

37. Quadrageſimam, quæ dicitur *Benedicta*, incipiant jejunare per duos, vel tres dies, quibus elapſis, nemo cogatur ad jejunandum, illiſque, qui jejunare voluerint, guardiani prandium dari curabunt.

38. Fratres omnes reformati ſingulis ſextis feriis jejunent in refectorio genibus flexis in pane, & aqua.

39. Nemo feminas alloquatur in eccleſia, niſi cauſa confeſſionis, vocatus a ſacriſta, vel guardiano; nec etiam viros, niſi guardianus conſenſerit.

40. Juvenes laici, & clerici tam novitii, quam profeſſi, nullo modo mulieres alloquantur, niſi id eis concedatur a ſuperioribus, vel magiſtris, urgenti de cauſa, & in loco patenti.

41. In conventibus ſingulis ſit unus tertiarius non recipiendus ante annos ætatis XXV., nec poſt XL., qui ad neceſ-

cessaria providenda extra domum mittatur, fratribus intra loci septa retentis, nisi necessitas aliud suadeat.

42. Nemo pergat de conventu in conventum, sine scripta licentia custodis, & urgenti de causa.

43. Interiorum officiniarum ostia claudantur semper communi clave a fratribus introeuntibus, & exeuntibus, nec in eas, aut in dormitorium, refectorium, ac cellas pateat aditus sæcularibus, exceptis prælatis, virisque nobilibus, & merito insignibus, quibus guardianus fratrem discretum comitem assignet.

44. Officium divinum recitetur sine cantu, sed gravi, sonora, & plena voce. Poterit tamen guardianus, in festis solemnioribus cantum etiam præcipere in hymno: *Te Deum laudamus*, in missis, vesperis, & completorio. In choro autem nemo sedilibus innitatur, aut corpore provolvatur, sed compositionem servet devotam.

45. Post divinum recitetur semper officium B. Mariæ Virginis, exceptis solemnitatibus Paschatis, & similibus.

46. Superiores non alia imponant in choro fratribus recitanda, præter hæc, & quæ præscribunt rubricæ breviarii; secus, possint fratres nolentes assistere absque alia licentia, facta tamen superiori profunda reverentia, choro egredi, exceptis novitiis, & clericis.

47. Fratres omnes legitime non impediti orationi vacent per duas horas singulis diebus in choro, aut ecclesia, quarum una sit post completorium, altera, pro ratione temporum, vel post matutinum, vel post nonam.

48. Præmittatur orationi lectio spiritualis, liberumque sit fratribus orare vel stando, vel genibus flexis, vel brachiis in crucis modum extensis, vel modis aliis honestis, & devotis.

49. Secundis, quartis, & sextis feriis totius anni, nisi solemne festum inciderit, se disciplinent, & quolibet die hebdomadæ sanctæ acrius solito id peragant. Eisdem feriis dicant culpam coram guardiano in capitulo. *Novitii*, & qui nondum sextum religionis annum expleverunt, eam dicant quolibet mane, & quando id eis impositum fuerit a superiore.

50. In loco quolibet sint duo, tres, vel quatuor confessarii fratrum, quos inter connumeretur novitiorum, vel juvenum magister, quibus bis saltem in hebdomada omnes peccata confiteantur.

51. Confessiones juvenum audiantur in patenti loco, non in cellis.

52. Sacerdotes non legitime impediti sacrum faciant quolibet mane. Clerici, & laici Eucharistia se reficiant singulis diebus dominicis, & festis.

53. Fratres forenses charitative recipiantur, pro quibus frater foresterarius habeat paratas duas saltem cellas cum lectulis, in quibus ponat syndonem vilem, & rudiorem, ad munditiam.

54. Foresterarius lavari faciat pedes fratrum advenientium in communitate.

55. Reformati pergant ad loca familiæ, ubi non sunt loca reformatorum, idemque faciant fratres de familia, ubi ipsi conventum non habent, sub pœna apostasiæ.

LXIII. CAPITULUM GENERALE ROMÆ. Anno 1600. FRANCISCUS A SOSA. *Leges*. 1. In provinciis, quæ ad minus decem habent

Digitized by Google

bent conventus, non fiat electio discreti mittendi ad capitulum provinciale.

2. Superiores negligentes punire eos, qui impetraverint favorem extra ordinem, aut habuerint recursum ad tribunalia aliena, subsint pœnis ipsorum delinquentium.

3. Nemo, etiam præsenti, vel imminenti necessitate, possit pecuniam expendere sibi oblatam, sine assensu ministri, aut guardiani, sub nota proprietarii.

4. Nemo habeat aliam supellectilem, quam sibi concessam a guardiano suo.

5. In locum diffinitoris provincialis defuncti extra tempus capituli subrogetur antiquior provinciæ pater, qui minister, aut diffinitor prius fuerit; vel, si nemo sit talis, subrogetur guardianus loci principalioris.

6. Is, si per biennium munus diffinitoris exercuerit, non possit eligi in diffinitorem in capitulo sequenti. Idem fiat si diffinitoris officium quocumque modo vacaverit.

7. *Pro familia Cismontana*. Nemo collocari possit de familia in conventu extra propriam provinciam, neque sub ratione studii, lectoris, prædicationis, neque sub aliquo quocumque respectu.

8. Ministri infra quindecim dies remittant in provincias suas fratres exteros, quos invenerint, non incorporatos, sub pœna privationis officii.

9. Nemo exeat a sua provincia, titulo prædicationis in adventu, & quadragesima; sed ad ministros pertineat, prædicatores distribuere per loca.

10. Prædicatorum eleemosynæ sint conventus, in quo ipsi manent de familia, etiamsi prædicent, generalis jussu, in alienis provinciis.

11. Guardiani concedant infirmis ea omnia, quæ medici ordinaverint.

12. Sanis fratribus sigillatim ministrentur in prandio sex unciæ carnium, & aliæ sex in cœna cum suo jure in utraque mensa. Si vetitus sit esus carnium, detur ipsis in prandio sex unciæ piscium. Guardianus, qui contrafecerit, officio absolvatur, & in eamdem pœnam incidat minister, qui guardianum impunem dimiserit.

13. Removeatur ab officio minister, qui ad unguem non servaverit decreta apostolica circa receptionem novitiorum; & guardianus, qui infringi permiserit in suo conventu statutum generale de oratione.

14. Nemo minister, vel guardianus, sub pœna privationis officii, habeat cappellanias, exceptis locis ultramarinis, oratoriis, vel confraternitatibus, quæ fundatæ sunt a nostris patribus, aut a longo tempore receptæ, ac præterea locis illis, in quibus principes, vel communitates volunt, ut fratres celebrent.

15. In solemnitatibus, atque obitu sororum, ii tantum accedant ad monasteria ad celebranda divina officia, qui mittuntur a superioribus.

16. Possit etiam sacerdos esse socius confessarii monialium, dummodo non audiat earum confessiones.

17. Nec minister extra provinciam, nec guardianus extra limites loci sui quæstores mittat.

18. In conventu Aracæli sint de familia duo patres maturi, ac prudentes, qui causas fratrum coram procuratore, & commisario curiæ audiant, eisque assistant in judicio.

19. Si contravenientes constitutioni Clementis VIII. de muneribus non recipiendis puniti non fuerint, superiores in eo negligentes eisdem pœnis subjaceant.

20. Revocantur, & annullantur pœnæ omnes excommunicationis, & suspensionis a divinis, per quæcumque statuta tam generalia, quam provincialia inflictæ fratribus cujuscumque familiæ, commutandæ in pœnas alias, arbitrio superiorum.

21. *Pro Gallis, & Belgis*. Commissarii sint nationales, qui non possint condere statuta, sine consensu diffinitorum.

22. *Pro Hispanis*. Lectores artium liberalium, qui non legerint in conventibus principalioribus, non præcedant vicario conventus.

23. Ministri non sumantur ab alienis provinciis, nisi magna ex causa, & consensu totius diffinitorii.

24. Vota pro receptione novitiorum ad habitum dentur per calculos albos, & nigros.

25. Qui docuerit theologiam per annos XII. gaudeat privilegio statuti Vallisoletani, hac conditione, ut anni illi continui intelligantur, & quod in sæculo, vel in religione integrum prius liberalium cursum artium perlegerit.

26. *Pro Indis*. Commissarii generales Indiarum majora cœnobia visitent, præsint comitiis, nec in statutis provinciarum dispensent, sine consensu ministrorum, & diffinitorum, nec se intromittant de receptione novitiorum ad habitum, aut fratrum incorporationibus. Maneant insuper procul a curia.

27. Incorporatio non relicta libertati ministrorum, & diffinitorum, sit nulla.

28. Ministri possint mittere unum, vel alterum fratrem ad curiam regiam rationem reddituros superioribus prælatis de statu provinciarum.

29. Venientes ab Indiis non ferant aurum, argentum, lapides pretiosos, vel aliud simile, sub pœna proprietarii.

30. Socii commissarii promoveri nequeant ad officia guardianatus, & provincialatus.

31. Commissarii non dejiciant fratrem aliquem, maxime dignum, ab officiis honoris, prætextu causæ in judicium adducendæ.

32. Diffinitores actuales nequeant eligi in custodes pro comitiis generalibus.

33. In conventibus principalioribus deputentur fratres, qui alios doceant Indicum idioma.

34. Commissarii non petant literas testimoniales a fratribus circa suorum officiorum administrationem.

35. Carcere includatur, & in exilium mittatur quicumque ministrum suum pro suspecto habuerit in causis agendis.

36. Qui ad Indos iverit sub commissarii obedientia, & destinatam provinciam non petierit, sit apostata. Si minister, aut guardianus eum ad provinciam suam non remiserit, sint officiis privati.

37. Vicecommissarius Indiarum in conventu S. Francisci Hispalensi certior reddatur de rebus omnibus, quas fratres in Indias deferunt, ab eoque ipsi accipiant literas testimoniales deferendas ad ministros.

38. Qui in tabulis capitularibus sunt approbati, ut in Indias mittantur, tales sint, nisi aliqua postea sui honoris publica nota fuerint maculati.

39. Ministri quærant exactam rationem

nem de eleemosynis, quæ dantur custodibus accedentibus ad capitulum generale.

Sequuntur *Leges* editæ a ministro generali. 1. Provinciarum ministri non morentur in uno tantum provinciæ loco, neglecta visitatione aliorum conventuum.

2. Non dent fratribus licentiam pergendi de loco in locum, absque determinatione temporis; aliter licentiæ sint nullæ.

3. Curent, ut pannus pro fratribus vestiendis fiat in uno, vel pluribus provinciæ locis, prorsus uniformis, nec permittant, ut fratres habeant, nisi unum habitum, & unam tunicam.

4. Qui nova vestimenta susceperit, vetera deponat in communitate, ad quam recurrat, si vestimenta mutare cogatur.

5. In quolibet studio theologiæ sint saltem duo lectores, quorum unus speculativam legat, alter moralem, nullamque, etiam prædicationis, occupationem subire possint.

6. Unus in mane, alter in sero legat singulis diebus, una die disputationem, altera repetitionem prætexentes. Quolibet mense habeant conclusiones generales quæstionum prælectarum tantum, & non aliarum.

7. Studentes non prædicent, nec instituantur prædicatores, nisi post triennium, & debitum examen.

8. Non exeant a conventu, nisi semel in mense. Quod si aliquando aliquem egredi necessarium foret, tunc eum comitetur vel guardianus, vel vicarius. Possint tamen egredi cum tota communitate ad funeralia, vel processiones.

9. Gaudeant privilegiis, & exemptionibus, quæ eis conceduntur in statutis generalibus.

10. Si superior aliquid contra prædictas exemptiones studentibus imposuerit, ei prompte obediant, ac interim ministrum reddere possint certiorem, qui graviter superiorem puniat, si absque urgentissima causa id fecerit.

11. Idem servetur in studiis artium. In dubiis autem, quæ oriri queunt, standum sit declarationi prælati generalis.

12. Leges expositas pro studentibus ministri, guardiani, & lectores exsequtioni mandent, sub pœna privationis officiorum.

13. Nonnisi necessitate cogente, sacristæ sacerdoti laicus adjutor concedi possit.

14. Officio privetur guardianus, aut minister, qui permiserit, sacristam non esse sacerdotem.

15. Faciat disciplinam in communitate, & expellatur a conventu, qui superiore inscio, mulieres alloquetur in ecclesia.

16. Quilibet frater habeat suam cellam in dormitorio, & in una duo habitare non possint.

17. Nemo cujuscumque ætatis, vel gradus, introducat in cellam suam personam sæcularem, absque licentia superioris localis, sub pœna confusibilis expulsionis a conventu.

18. In conventibus majoribus sint duo janitores, in minoribus unus, qui sæcularibus ostia aperiant, & eos in primum claustrum non introducant, qui si fratrem aliquem alloqui voluerint, id fiat de licentia guardiani. Si guardianus in hoc fuerit negligens, privetur officio.

Digitized by Google

19. Officio quoque privetur si duas manſiones paratas non habuerit pro advenis fratribus.

20. Priventur officiis miniſtri, qui fratres amicitiam excolentes cum monialibus non miſerint in loca, ubi non ſunt moniales.

21. Guardiani, ſub pœna privationis officii, provideant fratribus, qui de ſua neceſſitate habuerint teſtimonialem medicorum fidem, camiſias, & calceamenta, eaque de re certiorem reddant miniſtrum provinciæ.

22. Calepodia ſint ſimplicia, & non excedant duos digitos in altitudine.

23. Commiſſarii, qui præſident capitulis, præſentent diffinitorio cedulas, in quibus ii annotentur, qui paſſivam vocem retinent ad guardianatus officium, & alia.

24. Qualibet ſexta feria, feſto de præcepto, vel ſecundæ claſſis, non impedita, expleto officio, quod recitetur una hora ante ſolitum, fratres omnes, nemine excepto, conveniant ad capitulum culparum in loco determinato.

Sequuntur *Leges* congregationis generalis Romanæ anno 1603. ſub commiſſario generali Franciſco de Belgioſo. 1. Nemo ſuperiorum retineat fratrem itinerantem tamquam de familia in loco ſuo.

2. Non collocentur de familia in conventibus inſignioribus, illi, qui per triennium jam in eis commorati fuerint, niſi ob officium, aut infirmitatem, aut ſenectutem.

3. Patres graves carcere digni ob aliquod delictum, mittantur in exilium ad ſcandalum vitandum.

4. Alii fratres in exilium miſſi redeant in ſuas provincias, & ſubeant pœnam recluſionis in conventu, ſecundum tempus exilii remiſſi; nec exire inde poſſint, niſi de licentia ſuperioris ratione neceſſitatis.

5. Miniſtri nequeant mittere fratres extra provinciam, niſi pro ipſius provinciæ negotiis.

6. Commiſſarii viſitatores ſeligantur a provinciis vicinioribus, & infra tres menſes munus ſuum abſolvant.

7. Non determinent cauſas graves per ſententiam diffinitivam, niſi de conſenſu diffinitorum, quos inter ſi fuerit aliquis ſuſpectus, in ejus locum ſuppleatur alius pater provinciæ.

8. Poſt primam lectionem in refectorio, unuſquiſque tam confeſſarius, quam prædicator, & pater provinciæ loco ſecundæ lectionis ſolvendum proponat caſum aliquem conſcientiæ, & ubi quinque ex ipſis non fuerint, legatur liber aliquis tractans de caſibus conſcientiæ.

9. Commiſſarius generalis inſtituat in qualibet provincia duos examinatores prædicatorum juvenum, & confeſſariorum. Confeſſarii inſtituendi ſint ætatis ad minus XXX. annorum.

10. Puniantur tamquam conſpiratores, & mulctentur pœna privationis actuum legitimorum in perpetuum illi, qui non denuntiaverint viſitatori delicta, quæ ſunt denuntianda; niſi apud eumdem viſitatorem proteſtentur, ſe velle recurrere ad alium ſuperiorem.

11. Nulla fiant a fratribus capitulariter congregatis, vel alio modo ſe habentibus, inſtrumenta publica, in quibus transfertur dominium capellæ, ſeu ſepulturæ.

12. Nemo fratrum mittat, vel recipiat epiſtolam ſine licentia ſuperioris localis, qui poſſit legere tum eam, quæ

quæ mittitur; tum eam, quæ recipitur. Contrafacientes prima vice, comedant in pane, & aqua; secunda, faciant disciplinam; tertia, procedatur ulterius, puniendo juvenes, & laicos caputio probationis, cæteros reclusione in conventu juxta qualitatem personæ.

13. Nemo tamen facultatem habeat legendi epistolas fratrum ad superiores, & superiorum ad fratres.

14. Puniantur, veluti quietis perturbatores, ii, qui convicti fuerint, falsas literas, & falsa memoralia scripsisse.

15. Apostata, quamprimum appulerit ad conventum aliquem, absolvatur ab excommunicatione in forma canonica, facta in publico refectorio per manum superioris disciplina; & remittatur per duos socios fratres de conventu in conventum, donec assignetur superiori illius loci, a quo apostatavit.

16. Nemo, prætextu obtinendæ absolutionis a pœnitentiaria apostolica, Romam veniat; sed qui ea indiget, eam procuret secreto per suum confessarium.

17. Nullus inferior prælatis generalibus possit incorporare fratrem in aliena provincia, ne ad id quidem suffragante auctoritate, quamvis amplissima, quæ data sit visitatoribus.

18. Transacto semestri a causa terminata, & pœna inflicta, processus comburantur. Attamen una copia authentica sententiæ ponatur in regestro provinciæ servanda in archivo, altera sit apud ministrum provinciæ.

19. Officium custodis duret a capitulo, in quo fuerit electus, usque ad capitulum, in quo alter eligetur, primumque locum teneat inter diffinitores.

20. Minister nequeat concedere fratribus licentiam equitandi, nisi per testimonium guardiani, & majoris partis discretorum, ei constet de vera necessitate.

21. Absente ministro, guardianus, cum consensu omnium discretorum, nemine discrepante, eamdem licentiam tribuere queat.

22. Qui equitaverit sine licentia, faciat disciplinam in publico.

23. Nemo iter peragens bursarium secum deferat, sub pœna privationis actuum legitimorum. Si sine bursario absolute iter peragi non possit, observentur eædem conditiones, quæ sunt ad equitandum necessariæ.

LXIV. CAPITULUM GENERALE TOLETI Anno 1606. ARCHANGELUS A MESSANA. *Leges.* 1. Usus sindici, seu procuratoris, non habeatur tamquam dispensatio, sed ut modus a pontifice Romano exhibitus, purius, & perfectius regulam observandi.

2. Ministri, & superiores locales suspendantur, vel priventur officiis, si observare non fecerint statuta Vallisoletana, & Toletana circa divinum cultum.

3. Servetur synodus illius diœcesis, in qua conventus exsistit circa taxationem eleemosynæ missarum.

4. Magistri novitiorum ultramontani, expleto laudabiliter quinquennio, sint perpetui discreti locales, & numerentur inter exdiffinitores provinciales, cæterosque fratres præcedant.

5. Aromatarii, singulo quoque mense, reddant rationem accepti, et expensi guardiano coram discretis, & ministro saltem semel in anno in actu visitationis, sub pœna proprietarii.

6. Aromatarii non durent in officio ultra

ultra triennium, nisi secus visum fuerit capitulo provinciali.

7. Qui in studiis theologiæ permanserint ultra quadriennium, publicasque, & privatas functiones de more non fecerint, remittantur ad propria, & locentur extra studia, sub pœna privationis officiorum.

8. Mortuorum spolia ministri impendant in aliquem usum pium, ubi non fuerint seminaria, de consilio diffinitorii; curentque, vel peculiari personæ non approprientur, sub pœna proprietarii.

9. Incidat in pœnas statutas contra deponentes falsum in comitiis Vallisoletanis, is, qui convictus fuerit, se literas infamatorias, seu memoralia scripsisse, adsportasse, affixisse, projecisse, vel quomodolibet publicasse in detrimentum famæ alterius.

10. Priventur officio guardiani, qui permiserint, tertiarios receptos in conventibus ad famulatum gerere caputium plenum, aut semiplenum, vel indumentum aliud in forma caputii.

11. *Pro cismontanis*. Nullum capitulum provinciale habeatur, nisi præcedat visitatio.

12. Officia guardianorum, quæ vacaverint extra capitulum, distribuantur in diffinitorio, & non in suffragiis conventuum. Si diffinitorium congregari nequeat, minister interim præsidem designet.

13. Non admittatur ad professionem novitia, quæ postulaverit, & voluerit testimonium suæ libertatis alibi, quam ad retis monasterii.

14. Qui in alienis provinciis fuerint ministri, gaudeant privilegiis exministrorum, sed non sint diffinitores perpetui in suis provinciis.

15. Custos custodum habeat suffragium in diffinitorio.

16. *Pro Hispanis*. Probationes de qualitatibus eorum, qui sunt recipiendi, fiant per prælatos ordinis, qui etiam juramentum a sæcularibus possint exquirere.

17. Guardianus proximior patriæ novitii monitus a guardiano conventus, in quo novitius habitum recepit, præstet statim ea, de quibus fuerit requisitus, licet non sit ejusdem provinciæ.

18. Nemo alloquatur moniales, sine licentia superioris in scriptis, sub pœna privationis actuum legitimorum. Superior licentiam det tantum pro unica vice; quod si illam per plures dederit, suspendatur ab officio.

19. Necessitate urgente, de consilio medici, fratres possint uti lineis, & calceamentis, de quibus eos provideant guardiani.

20. Distributio rerum relictarum a defunctis fiat juxta consuetudinem provinciarum, exceptis libris, ex quibus fiant bibliothecæ.

21. Nulla dos, aut pars ipsius ad monasterium spectans convertatur in necessitatem conventus, sed in annuos redditus detur, interdicta ministris provincialibus dispensandi facultate.

22. Nullus guardianus permittat elemosynarios quæstus in villis pernoctando, & diurno tempore commorando. Prælati in eo negligentes priventur officiis.

23. In omnibus terris Castellæ promulgetur confraternitas tertii ordinis sæcularium, sicuti in regno Aragoniæ.

24. *Pro Gallis, & Belgis*. Favores concessi fratribus a prælatis generalibus, vel ministris curiæ, admittantur, & si

Digitized by Google

& , ſi nihil obſtiterit , exſequutioni mandentur .

25. Commiſſarii non excedant terminos ſuæ commiſſionis , ſed ſervent ſtatuta generalia .

26. Si contigerit , ut guardianus iterum eligatur in conventu ultra tempus præfixum , id fieri non poſſit , niſi de conſenſu omnium ſuffragiorum capituli , nemine diſcrepante , & voluntate miniſtri generalis .

27. Pariſienſis conventus guardianus habeat ſuffragium in capitulo generali .

28. Eligatur hujuſmodi guardianus a patribus diſcretorii , & baccalaureis , qui ad minus ſtudiorum annum expleverint , & habitatores fuerint ejuſdem conventus .

29. *Pro Indis.* Conſerventur in provinciis conventus recollectorum , & novi conſtruantur .

30. Nullum ſit diſcrimen inter fratres Hiſpanos , & fratres Indos , quos *Criollos* appellant , quad officia , & dignitates ordinis .

LXV. CAPITULUM GENERALE ROMÆ Anno 1612. JOANNES A JERRO. *Leges.* 1. Vitetur curioſus ornatus cellarum in ſcriptoriis, imaginibus pretioſis, & bibliothecis oſtentationi magis, quam utilitati inſervientibus.

2. Non permittantur cellæ amplæ cum pluribus cameris , & adytis intro contentis , niſi in aliqua privata cella , magna de cauſa , ubi tamen una camera ſit pro manſione , alia pro cubiculo .

3. Qui camiſias manicatas, aut truncatas , vel tunicellas detulerit , ſi fuerit religioſus gravis , ſit inhabilis ad officia ordinis ; ſecus, prima vice faciat diſciplinam , & jejunet in pane , & aqua ; ſecunda , carcere includatur , ac deinceps pœna augeatur .

4. Nemo uti poſſit pecunia , etiamſi neceſſitas urgeat , inſcio miniſtro provinciali, aut, eo abſente, guardiano loci .

5. Guardianus , qui conſenſerit , fieri quæſtus pecuniaros in eccleſia , vel extra , per ſæculares , aut tertiarios , privetur officio . Qui vero pecuniam procuraverint , carcere includantur per unum menſem , & deinde expellantur .

6. Eamdem ſubeat pœnam guardianus qui juſſerit , aut conſenſerit , pretium ſolvi in plateis pro herbis , & fructibus ex eleemoſynis emendicatis a prætereuntibus . Qui pretium ſolverint , in carcerem conjiciantur per menſem .

7. Nec miniſter , nec viſitator provinciæ poſſit diſpenſare ſuper ſententiis latis a diffinitorio , abſque conſenſu majoris partis diffinitorii , aut licentia in ſcriptis ſuperioris generalis , ſub pœna privationis officiorum .

8. Expleto triennio, guardianus non poſſit continuare officium neque in eodem conventu , neque in alio , etiam ſub titulo præſidentis . Miniſter , qui ſecus egerit , ſit privatus officio .

9. Si frater conventus vacantis fuerit præſidens, non poſſit eligi in guardianum ejuſdem conventus , pro illa vice dumtaxat , ſub pœna nullitatis electionis . Miniſter , qui contrafecerit , ſit privatus officio .

10. In erectione novæ provinciæ electio miniſtri, & diffinitorum ſpectet ad miniſtrum generalem .

11. Nullus guardianus poſſit inchoatam a prædeceſſore fabricam deſtruere , vel mutare , ſine licentia miniſtri provincialis ; ſub pœna privationis , & carceris per menſem .

12. Miniſtri provinciales reducant nume-

numerum lectorum ad duos tantum in studiis theologiæ, nisi prælatis generalibus aliter videatur.

13. In conclusionibus publice propugnandis vitentur icones exquisitæ, & sumptus superflui, etiamsi expensæ fiant ab amico spirituali.

14. Ter in hebdomada in singulis conventibus, vel plerisque saltem, habeatur lectio casuum conscientiæ.

15. Sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, nec guardiani, nec ministri provinciales, vendant libros fratrum defunctorum, aut eos distribuant aliter, quam sequenti modo. Primo applicentur bibliothecis communibus illius conventus, in quo decesserunt 2. Si libri similes in eo exsistant, applicentur, arbitrio ministri, & diffinitorum, bibliothecæ conventus indigentioris, hoc ordine, ut prius instruantur libris conventus, ubi vigent studia literarum, deinde lectorum, & prædicatorum cellæ, confecto librorum inventario.

16. Apostatæ expulsi, & damnati ad triremes non amplius ad ordinem admittantur.

17. Si quis laboraverit morbo gallico, curetur, sed mox, ut convaluerit, carceri mancipetur per mensem, & perpetuo sit inhabilis ad officia ordinis, nisi accedat dispensatio superioris generalis.

18. Absque dispensatione nullus tertiarius, aut conversus ab habitum admittatur.

19. Moniales professæ ante quatuor annos a professione careant voto in electione abbatissæ.

20. Omnes assistant in choro horis matutinis, præter lectores, & ii prædicatores, qui actualiter inserviunt. Cæteri dispensari nequeant, nisi a ministro provinciali, qui det licentiam in scriptis.

21. Nullum novum introducatur officium divinum; sed fiat uniformiter in omnibus provinciis, & conventibus juxta rubricas breviarii, & missalis.

22. Officium Conceptionis in Sabbato non fiat deinceps in adventu, & quadragesima.

23. *Pro familia Ultramontana*. Nemo gaudeat privilegio jubilationis, nisi tribus annis legerit logicam, & philosophiam; duodecim vero theologiam, septem mensibus per singulos annos, & in fine cujuslibet, sufficienti probatione exhibita præscripti temporis.

24. Si quis eosdem annos non continuaverit sine intervallo, amittat jus ad jubilationem.

25. Pro quolibet studio theologiæ sint in unaquaque provincia duo lectores jubilati numerarii, quibus ordinate subrogentur alii, secundum antiquitatem juris acquisiti, vel temporis in lectura completi.

26. Non computentur inter jubilatos numerarios illi, qui alio titulo suffragium perpetuum habent in comitiis provincialibus.

27. Custos custodum non possit eligi in diffinitorem in capitulo, ubi suo munere functus fuerit.

28. Habeat custos custodum privilegia omnia diffinitorum, quoad suffragium, præcedentiam, & subrogationem, vacante diffinitione.

29. In provinciis, in quibus recollecti habuerint saltem tres conventus, sit unus diffinitor ex ipsis.

30. Procuratore ordinis, vel commis-

Digitized by Google

missario curiæ utantur etiam provinciæ Indiarum orientis, & occidentis.

31. *Pro Belgis.* Eligantur discreti locales mittendi ad capitula provincialia; fratresque recollecti subsint ministris.

32. Monasteria monialium pertineant ad provincias, in quarum territorio sunt erecta.

33. *Pro Indis*. Supprimatur officium vicecommissarii Hispalensis, cujus officium exerceat aut commissarius Indiarum, aut, eo absente, guardianus S. Francisci Hispalensis.

34. Causæ in prima instantia cognoscantur a ministris, non a commissariis generalibus, nisi constiterit, ministros duci affectibus.

35. Soli guardiani cum sindicis recipiant, & expendant eleemosynas, quas singulis annis rex catholicus largitur pro reparatione, vel sustentatione conventuum.

36. Ministri, seorsum a commissariis generalibus, possint convocare diffinitores, quando id expedit, non tamen ad habenda capitula intermedia.

37. In provinciis admittantur patres, qui fruantur privilegiis, & exemptionibus, ut in Hispania, & aliis partibus.

38. In domibus doctrinalibus nemo habitet sine socio. Si eæ fuerint prope conventum, habitent fratres in conventu, nisi necessitas ægrotantium aliud postulaverit.

39. *Pro Cismontanis*. Nemo alterius religionis, quamvis arctioris, admittatur in nostram.

40. Tertiarii non recipiantur ante annum XX. ætatis. Eorum habitus a terra superemineat palmo, & dimidio, nulloque modo in habitu, aut mantello deferant caputium.

41. Puniatur tamquam inobediens qui pertinaciter recusaverit munus instruendi novitios exemplo, & doctrina.

42. In quolibet conventu deputetur aliquis a guardiano, qui laicos doceat christianam doctrinam, & præcepta ac consilia regulæ.

43. Novitius semel expulsus a religione non recipiatur in ulla provincia.

44. Nemo habeat mantellum duplex. At duplicem tunicam habere aliquis possit, ex licentia in scriptis ministri provincialis.

45. Caputia non sint ex simplici panno, sed ex duplicato instar diploidis, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ.

46. Habitus, & tunicæ superfluæ serventur in communitate, inscripto nomine eorum, qui iis utuntur.

47. Sit officio privatus guardianus, qui fratri pro tunica denarios dederit.

48. Guardianus omnium primus hebdomadam inchoet in choro, & post eum omnes, nemine exempto, nisi infirmus, aut valde senex.

49. Qui non jejunaverit a festo omnium sanctorum usque ad Nativitatem, sine evidenti necessitate probata a medico, & licentia in scriptis guardiani, aut manducaverit ova, seu lacticinia, is, si sit guardianus, privetur officio; alii habeantur inepti ad munia ordinis.

50. Soli lectores, & officiales curiæ Romanæ possint prævenire horam prandii, vel cœnæ, sine pœna privationis vocis activæ, & passivæ, in quam alii incurrant, ne exceptis quidem lectorum sociis.

51. Qui solus incesserit per civitatem, expellatur inde, & per hebdoma-

Digitized by Google

madam carcere includatur. Guardianus id permittens puniatur a ministro, etiam officii privatione.

52. Puniatur guardianus, qui miserit rem alicujus ponderis conventus sui ad conventum alium, vel dona ad singularem aliquem patrem. Si minister eum non puniverit, puniatur ipse a generali.

53. Nullæ fiant expensæ pecuniariæ per guardianum, vicarium, infirmarium, aut aromatarium, fratresque alios officiales; sed instituantur saltem duo discreti, de quorum scientia, & consensu guardianus exponat œconomo necessitates loci.

54. Infirmi non expellantur ab infirmaria nostri ordinis, nec mittantur ad Xenodochia, ac officio priventur guardiani, qui eorum curam abjecerint.

55. Guardiani, infirmarii, vel aromatarii, qui cum medicis consenserint, vel convenerint, ne applicentur infirmis pharmaca, nisi definiti valoris, plectantur exilio, cum inhabilitate perpetua ad officia ordinis.

56. Ministri deputent in infirmariis sacerdotem, qui præsto sit ad sacramenta ministranda.

57. Nullus infirmarius, vel frater alius præbeat se medicum sæcularibus, aut eis applicet remedia, sub pœna carceris. Puniatur minister in hoc negligens.

58. In omnibus conventibus, saltem in multis, quæ capitulum destinaverit, habeatur lectio regulæ ex Corduba.

59. Nec confessarii monialium, nec eorum socii continuent officium, post biennium.

60. Nullus clericus, etsi peritus, instituatur lector, aut concionator; & nemo instituatur prædicator, nisi per integrum saltem triennium studuerit theologiæ.

61. Prædicatores non admittant quæstus pecuniarios in ecclesiis sive nostris, sive alienis, sub pœna proprietarii.

62. Non accipiant eleemosynas a sponte dantibus, verum eas integras assignent procuratori conventus, sub eadem pœna, & præterea suspensionis ab officio.

63. Minister provincialis consulat necessitatibus prædicatorum examinandis a toto diffinitorio, nec quidquam de acceptis eleemosynis expendat, nisi per procuratorem, cum consilio, & consensu totius diffinitorii, sub pœna privationis officii.

64. De expensis minister rationem reddat eidem diffinitorio in congregatione, & commissario generali in capitulis.

65. Nemini permissum sit, res in concione comparatas, aut oblatas vendere, sub pœna proprietarii.

66. In singulis conventibus majoribus habeatur studium linguarum, ac præsertim Romæ.

67. Qui Neapoli, vel Romæ student vestiantur a suis provinciis, transmisso panno, non pecunia; eædemque provinciæ per apostolicum procuratorem eis ministrent oleum, & chartam.

Sequuntur *Leges* editæ in congregatione generali Romæ Anno 1615 sub Evangelista de Gabiano commissario generali. 1. Rebelles, inobedientesque guardiano, & proferentes in communitate, vel extra, verba injuriosa contra illum, statim carcere includantur, donec minister provideat.

2. Si vineis unitis conventibus an-

nc-

nexa fuerit obligatio miſſarum, ex relinquantur hæredi fundatoris; ſin aliter, vendantur per ſindicum apoſtolicum, pretiumque erogetur in commodum alicujus fabricæ, vel alterius neceſſitatis. Idem eſto de domibus.

3. Nullum ſit privilegium, per quod conceditur, celebratione unius miſſæ ſatisfieri eleemoſynæ oblatæ pro duabus.

4. Guardianus, & vicarius officiis priventur, ſi permittant, peti eleemoſynas pecuniarias, quovis titulo intra eccleſias noſtras.

5. Intra clauſtra conventus guardiani non recipiant neque per ſe, neque per tertiarium eleemoſynas miſſarum; ſed ex vel ab oblatoribus, vel a tertiario ſtatim deferantur ad ſindicum, ſub pœna privationis officii.

6. Nullus procurator, etiam nomine ſindici apoſtolici præditus, maneat intra conventum, aut inibi pecunias habeat depoſitas.

7. Computum, quod cum ſindico ſolitum eſt fieri, fiat in præſentia omnium patrum diſcretorum conventus; ſecus ſit ſuſpectum.

8. Si quis annualem eleemoſynam deputaverit conventui pro miſſis celebrandis, miſſæ poſſint celebrari; nulla tamen inducatur obligatio juridica ex parte fratrum, aut ex parte dantis, ejuſque hæredum.

9. Nemo ſeu hoſpes, ſeu de familia alterius cellam ingrediatur, aut ſæculares, vel tertiarium in illa admittat, ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ.

10. Soli patres ordinis, & provinciæ poſſint invicem cellas ſibi deputatas intrare, die tantum. Ab hora vero prima noctis nemini id liceat, niſi ſociis ipſorum patrum.

11. Nec clerici, nec laici, nec ſacerdotes juvenes literas ſcribant ſæcularibus, aut fratribus, exceptis ſuperioribus, abſque licentia guardiani, ſub pœna diſciplinæ, & jejunii unius diei in pane, & aqua.

12. Nemo cujuſcumque conditionis ſcribat literam, aliter quam cum ſimplici folio, & ſine cooperimento, niſi negotii gravitas aliud poſtulaverit.

13. Guardianus non poſſit prædicare in adventu, & quadrageſima extra proprium conventum, & civitatem, in qua conventus manet.

14. Patres ordinis, & provinciæ ex electione habeant præcedentiam ſuper illos, qui privilegio ipſorum gaudent. Cuſtodes præcedant ſimplicibus diffinitoribus, & qui fuerunt miniſtri in alienis provinciis, diffinitoribus, & cuſtodibus etiam actualibus.

15. In conventibus Aracœlitano, & Neapolis vigeat ſtudium linguæ Hebraicæ, quod in aliis ſtudiis generalibus habeatur.

16. Nemo inſtituatur lector, aut prædicator generalis, qui linguæ Hebraicæ non fuerit ſufficienter peritus.

17. Privetur officio guardianus, qui ſtudium quodcumque in ejus conventu impoſitum admittere, aut conſervare renuerit.

18. Quolibet biennio examinentur confeſſarii ſæcularium ab examinatoribus deputandis a commiſſario generali, & miniſtro provinciæ.

19. Provinciæ ultramarinæ nequeant deputare fratrem non incorporatum in ſua provincia, ut ſuffragium miniſtri, aut cuſtodis deferat ad congregationem, vel capitulum generale. Suffragium non deferat niſi pro-

batus in pleno diffinitorio, de consensu majoris partis, qui si in itinere decesserit, non alius deputetur.

20. Commissarius generalis Germaniæ non retineat in provinciis apostatas, vel alios fratres, quocumque prætextu. Idem interdicitur ministris.

21. Nemo mittatur in exilium in provinciam Corsicæ; sed in sua quisque provincia puniatur qui deliquerit.

22. Ministri recedentes a provinciis relinquant aliqem loco ipsorum, de communi patrum consilio, & consensu.

23. Nemo possit appellare ab iis, quæ ministri, aut visitatores disposuerint, causa visitationis, & correctionis morum.

24. Si guardianus suspensus fuerit ab officio; ejus causa judicetur in diffinitorio provinciæ, intra spatium trium mensium.

25. Incorrigibiles expulsi non possint iterum recipi ad religionem, nisi per biennium in sæculo laudabiliter vixerint, & pœnitentiæ signa dederint.

26. Si contigerit, ex oraculo summi pontificis, apostatam aliquem ad triremes damnatum admitti ad ordinem, is, etiamsi fuerit sacerdos, deputetur sine caputio ad hortum, coquinam, aliaque humilitatis officia.

27. Si per triennium exemplariter vixerit, judicio diffinitorum, poterit illi caputium reddi; at interea nullo modo ad exercitium sacrorum ordinum admittatur.

28. Nonnisi pro sacra communione, prædicatione, aut electione abbatissæ, & professione monialium, aperiantur craticulæ, aut fenestellæ, in quibus moniales sacram eucharistiam recipiunt. Contrafacientes abbatissæ, seu præfectæ, & confessarii incidant in excommunicationem majorem latæ sententiæ.

29. Ex duabus clavibus ejusmodi craticularum, unam retineat abbatissa, alteram confessarius; sintque ambæ differentes.

30. Guardianus tempore Nativitatis Dñi associatus duobus discretis senioribus visitet cellas singulorum fratrum.

31. Cellas patrum ordinis, & exministrorum provincialium visitet minister provinciæ, tempore suæ visitationis.

32. Guardiani non assumant capellanias extra conventum, & assumptas relinquant.

33. Guardianus, quum primum frater aliquis mortuus fuerit, certiorem reddat ministrum, qui jubeat celebrari missas per totam provinciam.

34. Aromatarii sub pœna carceris, non vendant pharmaca, nec retineant in officinis truncos, vel capsas ad pecunias recipiendas.

LXVI. CAPITULUM GENERALE SALMANTICÆ. Anno 1618. BENIGNUS A GENUA. *Leges*.

1. Provinciæ patres, qui legitime non impediti divinis officiis non interfuerint, careant per triennium jure suffragiorum, & gravius puniantur pro negligentiæ modo.

2. Mortuorum spolia fideliter per superiores locales, & discretos in inventaria referantur mittenda ad ministrum, rationem de eisdem redditurum ministro generali, vel ejus visitatori.

3. Lectores canonum, seu casuum conscientiæ actuales, si alias legerint theologiam, habeant præcedentiam supra lectores artium.

4. Si et ipsi artes publice docuerint,

rint, vel prædicaverint, inter ſeipſos præcedant pro antiquitate eorum in ordine.

5. Si lector canonum nec artes docuerit, nec prædicaverit, lectori artium locum cedat, niſi alium habeat titulum præcedentiæ.

6. Commiſſarius viſitator provinciæ non habeat votum in electione miniſtri, cuſtodis, & diffinitorum.

7. Priventur perpetuo voce activa, & paſſiva illi, qui in electionibus ſibi ipſis votum præbent.

8. Miniſter provincialis, etiam conſentientibus provinciæ patribus, non poſſit deſtinare aliquem ex aliena provincia, aut in ſua incorporatum, ante completum incorporationis decennium, pro commiſſario ad comitia generalia, ut miniſtri, vel cuſtodis deferat ſuffragia.

Sequuntur *Leges* pro recollectis, quæ licet olim publicatæ a Franciſco Quinonio miniſtro generali, ad hoc capitulum referendæ ſunt ex chronicis ordinis. 1. Longius a ſæculo ſemoti fratres recollecti rigidiori pœnitentiæ, majori carnis macerationi, orationi, & divinis officiis incumbant.

2. A duodecimo numero deficere, nec vigeſimum poſſint excedere fratres habitantes in ſingulis eorum conventibus, qui ad minus tres in qualibet provincia eis aſſignentur.

3. Nullus in illis per provincialem miniſtrum detineri poſſit invitus, nullus a guardiano, & diſcretis repulſus, nullus, qui publicam, gravemque pœnitentiam a ſuperioribus exceperit; nullus etiam ex obſervantibus, aut ſæcularis poſſit ibi detineri, vel immorari, etiam miniſtro jubente, in ejuſque ſocietate, titulo recreationis, vel alia de cauſa.

4. Guardianus non eligatur, niſi is, qui biennio ſaltem integros inter recollectos laudabiliter non vixerit.

5. Novitii poſſint inter eos a miniſtro ad habitum religionis, educationem, & profeſſionem admitti.

6. Miniſtrorum viſitationes, & in eis ſtabilita decreta ad vitæ reformatæ perfectionem, a guardiano, & diſcretis regiſtrentur, & ſubſcribantur in publico conventus libro, & bis ſaltem in ſingulis annis legantur.

7. Paupertatem præ ceteris ad ultimum perfectionis profiteantur recollecti, quam in ſuis tuguriis potius, quam conventibus, in habitibus, in ſacra, & profana ſupellectili ſervent, & pecuniæ quamcumque contractionem, vel receptionem execrentur.

8. Miſſæ dicantur in communi pro benefactoribus, nulla recepta eleemoſyna, maxime pecuniaria, capitulo generali omnia ſacrificia ad eam intentionem applicante.

9. Guardianus nequeat concedere cuiquam ex ſuis, nec etiam hoſpiti ad recollectos divertenti, ut applicet unam miſſam pro ſuis neceſſitatibus. Attamen pro inſignibus benefactoribus guardianus, ſi in ſpeciali rogetur, poſſit aliquas miſſas offerre, eo ſalvo, ut nullam cujuſvis generis mercedem, vel eleemoſynam acceptet.

10. Quilibet ſacerdos celebret quinque miſſas pro ſingulis fratribus recollectis, qui moriuntur.

11. Divinum officium perſolvatur alta voce cum gravitate, & majeſtate, gravi interpuncto, excluſis notis Gregorianis.

12. Oratio mentalis fiat in dies ſingulos, duabus horis cum dimidia, in communi. Reliquis horis ad opera ma-

Digitized by Google

manualia, vel alia pietatis exercitia, ad præscriptum superioris incumbant fratres.

13. Silentium in refectorio sit perpetuum, & quasi semper in cæteris conventus officinis, locisque publicis, nulla ad sæculares facta dispensatione.

14. Habitus conserventur in officina communi, pauperes, asperi, viles, & repetiati, uniformes, solo pallio, observantium more ad genua protenso, unico interim ad proprios usus singulis concesso.

15. Utantur fratres calepodiis, dum ad alia cœnobia divertunt, pedibus in reliquo ad terram nudis.

16. Rigidiores sint in angustia victus, & in omnibus vitæ macerationibus. Ad integram horam per diem ad laborem manualem in communi applicentur, & ter in qualibet hebdomada, ad publicam culparum confessionem in communi convocentur.

17. Quotidie, diebus festis exceptis, aut saltem ter in hebdomada in communi faciant disciplinam. Jejunia, præter ea, quæ sunt ab ecclesia, & regula præscripta, alia magno rigore observentur, cæteræque carnis mortificationes, vel Deo inspirante, vel privato superioris consensu, fiant.

18. Superioris sit, suorum fratrum necessitates cum prudentia benefactoribus exponere, in propria specie nominatas, & quæstuarios fratres ad eleemosynam, non tamen superfluam, emendicandam dimittere, excepta pecunia.

19. Granum, & vinum non congregetur, nisi ex probata necessitate, & de consensu ministri provincialis, guardiani, ac discretorum conventus.

Anno 1621. Congregatio generalis Segoviæ. In ea fuerunt recognita, examinata, & probata statuta Barchinonensia, quæ in legibus hactenus expositis continentur.

LXVII. CAPITULUM GENERALE Romæ Anno 1625. BERNARDINUS DE SENIS. *Leges*. 1. Ministri provinciales de consensu diffinitorii possint mittere fratres ad Romanam curiam pro publicis negotiis provinciarum.

2. Oblati, donati, tertiarii in conventibus incedant pedibus calceatis, habitumque genua non excedentem, galerum, seu biretum portent in capite.

3. Ministri provinciarum tertii ordinis in Hispania, & Gallia habeant respective votum activum in electione superiorum generalium.

4. *Pro cismontanis*. Reformati non possint prædicare, nec eleemosynas conquirere intra limites conventuum observantium, sine licentia in scriptis ministri provincialis.

5. Eidem interdicto subjaceant observantes, nisi accedat placitum custodis reformatorum.

6. Erigantur in provinciis studia philosophiæ, & theologiæ, in quibus ea desiderantur, & lectores non instituantur aliunde, quam a propria provincia.

7. Solæ provinciæ ultramarinæ sint exceptæ a lege, qua cavetur, ne studentes, & prædicatores mittantur in provincias alienas.

8. Qui sua sponte incorporantur in aliena provincia habeat præcedentiam a die incorporationis.

9. Minister provinciæ, & guardianus habeant duas claves communes, quibus cum duobus saltem discretis pos-

possint ad libitum ingredi, & visitare cellas fratrum.

10. *Pro Hispanis*. Si decedat diffinitor recollectus, obtineat ejus munus antiquior, vel secundum tabulæ ordinem dignior; sic ut sine diffinitore recollecto nunquam diffinitorium congregetur.

11. Ad electiones non vocetur diffinitor, qui exstiterit extra nationem.

12. Diffinitor exsistens intra nationem, sed extra provinciam, vocetur, dummodo non plus, quam per duas, vel tres dietas distare dignoscatur; alioquin omnes diffinitorii actiones nullius sint valoris.

13. Quilibet minister in propria provincia facultatem habeat procurandi eleemosynas missarum, (dummodo CC. ducatorum valorem non excedant quolibet anno), celebrandarum diebus dominicis, ut libri emantur; & distribuantur pro cujuslibet necessitate.

14. Provinciæ recollectorum Galliæ, suo ordine, & tempore successivo, habeant diffinitorem generalem.

15. *Pro Indis*. Ministri non veniant, nec mittant suos commissarios ad capitulum generale. Solis custodibus venire licitum sit.

16. Commissarii visitent omnes provincias; quod si impediantur, eligant visitatores ex provinciis vicinioribus.

17. Officio privetur commissarius, qui ante, vel post ministri provincialis electionem, voce activa, & passiva aliquem privaverit, vel pœna alia affecerit, nisi confecto processu, & audita defensione rei.

18. Visitatores careant omni auctoritate post viginti dies a capitulo celebrato.

19. Nequeat visitator, aut commissarius, petere subscriptionem ab electoribus, hunc, vel illum eligendi, sub pœna privationis actuum legitimorum, quam subscribentes quoque subeant ipso facto.

20. *Pro Belgis*. Commissarius nationalis nemo possit esse, nisi fuerit antea diffinitor, aut lector jubilatus, aut in majori officio, & qui per se valeat obire provinciarum visitationem. Nequeat dispensare in statutis provincialibus sine assensu diffinitorii.

21. Præsideat capitulis, & non habeat ullum jus in receptione novitiorum, & incorporatione fratrum.

22. Procuratores ordinis, & commissarii curiæ suo officio functi, etiamsi non fuerint antea ministri provinciales, habeant præcedentiam tam intra, quam extra provinciam suam, supra alios tam exministros, quam exdiffinitores generales.

Sequuntur *Leges* congregationis generalis Romæ Anno 1628. sub Antonio de Galbiato commissario generali. 1. Sacerdotes non mittantur extra conventum ad missas celebrandas. Guardiani, qui contrafecerint, suspendantur officio per mensem prima vice; secunda, gravius puniatur.

2. Dimittatur cura parochiarum in locis, in quibus propagata jam est Christiana religio.

LXVIII. CAPITULUM GENERALE TOLETI Anno 1633. JOANNES BAPTISTA A CAMPANEA. *Leges*. 1. Qui post ultimum signum campanæ ad chorum accesserit, si fuerit sacerdos, genuflectat solum superiori in choro exsistenti, in recognitionem defectus Si clericus, aut laicus, post genuflexionem non surgat, nisi dato signo a superiore, qui choro præsidet.

2. Post

Digitized by Google

2. Post susceptum presbyteratum nemo celebret missam, nisi per literas testimoniales duorum religiosorum, qui sacræ liturgiæ sunt periti, certiorem faciat ministrum provinciæ, qui missam celebrandi licentiam det.

3. Minister negligens in horum exsequutione suspendatur ab officio per semestre.

4. Exceptis lectoribus actualibus theologiæ, omnes, etiam patres, intersint missæ singulis sabbatis non impeditis decantandæ in honorem Conceptionis. Qui abfuerit, prima, & secunda vice, incurrat notam indevotionis; tertia, expellatur a conventu.

5. Hebdomadarius disciplinæ faciendæ ter in hebdomada sit minister generalis, si adsit, vel, eo absente, gravior prælatus conventus.

6. Si id minister generalis facere renuerit, indevotionis notam incurrat. Commissarius generalis secreto moneatur a ministro, ejusque arbitrio puniatur. Ministri provinciales, & superiores locales in hoc delinquentes priventur officiis.

7. Superior localis, qui ante orationem mentalem non fecerit legi librum spiritualem, eidem pœnæ subjaceat.

8. Ministri provinciales, sub pœna privationis officiorum, congregent singulis annis saltem semel, diffinitores, & patres provinciæ, ad consulendum regulari disciplinæ.

9. Ministri iidem, & guardiani, qui non curaverint, ut in refectorio post lectionem sacræ scripturæ, quater saltem in anno, legatur liber disciplinæ S. Bonaventuræ, vernacula lingua, suspendantur per semestre suis officiis.

10. Deputetur a ministro provinciali in infirmariis frater aliquis sedulus, & charitate fervidus, qui ejus nomine frequenter visitet infirmos, & superiorem loci, ac ipsum infirmarium hortetur, atque admoneat, ne infirmis quidquam desit; & ministrum certiorem faciat, si in hoc aliquis peccaverit.

11. Præfecti recipiendorum hospitum, & vicarii conventuum, curent, ut hospitibus laventur pedes, genibus flexis, & decantatis interim psalmis, & hymnis, sub pœna arbitrio guardiani, qui, si & ipse in culpa fuerit, puniatur arbitrio ministri; præsertim si hospites non bene recipiantur.

12. Superiores locorum notabiliter defectuosi in iis præstandis, quæ ad charitatem hospitibus exhibendam pertinent, officio, & suffragiorum jure priventur per triennium.

13. In quolibet conventu, semel saltem in hebdomada, habeatur lectio theologiæ mysticæ, ad quam accedant omnes, etiam laici, & novitii.

14. Mysticæ theologiæ lectores instituantur in capitulis, aut congregationibus intermediis. Sed ne lectores multiplicentur, id munus peragat lector theologiæ, vel philosophiæ, in conventibus, in quibus fuerint; in aliis destinetur is, qui jam existerit lector, etiam casuum conscientæ, vel regulæ.

15. Explicetur mystica theologia, sermone vernaculo; præsertim auctore Henrico Arphio. Idem fiat de lectione regulæ.

16. Ministri præcipiant subditis suis, maxime prædicatoribus, & confessoribus, ut sub pœna privationis officiorum, propagari faciant tertium ordinem sæcularium ubique locorum, etiam in villis, & oppidis, quæ adjacent conventibus.

17. Tertiarii habeant ecclesias, seu ora-

Digitized by Google

oratorum contigua conventibus, ubi eorum commissarius tertiam regulam doceat ipsos, & statutis diebus devotos habeant ad eos sermones. Eligatur commissarius in capitulis, & congregationibus, sitque vir pietate, & doctrina præstans.

18. Erigantur a ministro generali quatuor collegia, unum in Italia, secundum in Hispania, tertium in Gallia, quartum in Germania, aut apud Belgas, ad addiscendas linguas, & fidei controversias ab iis, qui mittendi sunt ad infideles.

19. Destinentur ad collegia ex qualibet nationis provincia unus, vel duo, qui peregerint studium theologiæ, maneantque ibi per triennium, post quod si habiles fuerint, mittantur judicio ministri generalis.

20. Idem minister provideat ex se collegia de guardianis, lectoribus, & aliis officialibus, habita tamen ratione provinciæ, in qua collegium exsistit; & nemo possit inde amoveri, aut in eo collocari, nisi de ipsius licentia in scriptis.

21. Collegiales, antequam admittantur in collegium, examinentur, & approbentur a toto diffinitorio provinciali.

22. Ministri provinciales nequeant visitare collegia, nisi facultate commissaria, & delegata.

23. Lectores sive controversiarum fidei, sive linguarum, gaudeant privilegiis, quibus gauderent, si in suis provinciis, vel nationibus legerent.

24. Legant eo numero annorum, qui præscripti sunt jubilationi assequendæ; & semper ipsi, cæteris paribus, præferantur officiis, quæ in capitulis, seu congregationibus distribuuntur.

25. Artium studia collocentur in conventibus, in quibus sunt studia theologiæ, nisi maxima ratio contrarium suaserit.

26. Lectores, & prædicatores, qui jussu superiorum generalium, munus exercuerint in alienis provinciis, fruantur eisdem privilegiis, ac si in sua provincia fuissent.

27. Bibliothecarii non permittant, ut in manibus fratrum relinquantur libri, nisi unius mensis spatio ad summum, sub pœna privationis officii.

28. Fratres, qui libros acceptos restituere noluerint, ulteriori librorum participatione sint privati.

29. Liceat fratribus ex particularibus cellarum bibliothecis, tot libros suis usibus concessos, de superiorum licentia, tempore transmigrationis secum ferre, quot ad summum unius equi sarcina asportari possunt.

30. Procurator ordinis, & commissarius curiæ, non sint subjecti commissario generali alterius familiæ, sed tantum ministro generali.

31. Fratres ex utraque familia venientes Romam, causa negotiorum, non sint subjecti ministro, vel guardiano Aracæli, sed tantum prælatis curiæ.

32. *Pro familia ultramontana.* Dum sabbato cantari debet missa de Conceptione, præcedenti die, post salutationem angelicam cantetur primum nocturnum officii Conceptionis; sitque hebdomadarius minister, vel commissarius generalis, quibus absentibus, sit gravior prælatus conventus.

33. Loco tertii responsorii cantetur antiphona: *Tota pulchra*, post quam can-

Digitized by Google

cantetur versus ; deinde orationes de Conceptione, de Spiritu Sancto, de S. Francisco.

34. Officio huic omnes intersint, etiam lectores actuales theologiæ. Qui defuerit, prima vice habeatur pro indevoto; secunda, dicat culpam in refectorio, tertia, expellatur a conventibus. Si defuerit semel superior localis, privetur officiis.

35. Etiam reformati officium hoc dicant, quamvis non utantur cantu.

36. Conventus S. Mariæ Angelorum prope Assisium sit sub immediata potestate, & gubernio ministri generalis.

37. Magistri novitiorum post sexennium sint inter exdiffinitores provinciæ; post duodecim annos sint inter patres provinciæ.

38. Juvenes admittendi ad religionem non recipiantur, nisi perfecte calluerint linguam latinam, & aliter eos assumentes priventur officiis.

39. Instituantur tria collegia humaniorum literarum, in regno Neapolitano, in Romandiola, & in Lombardia, in quibus magistri deputentur a prælatis generalibus, de consilio aliquorum patrum.

40. Nemo instituatur lector philosophiæ, nisi præmisso examine, & concursu coram toto diffinitorio, & omnibus theologiæ lectoribus tam actualibus, quam habitualibus.

41. In singulis provinciis sint duo philosophiæ studia, secus ministri priventur officiis.

42. Nemo admissus pro lectore philosophiæ dimoveatur ab officio, nisi ob gravem, ac notabilem vitæ, aut doctrinæ defectum.

43. Commissarii tertii ordinis post sexennium continuum laudabiliter expletum, gaudeant inter exdiffinitores provinciæ; aut si fuerint exdiffinitores, numerentur inter provinciæ patres exministros. Idem sit de commissario Terræ Sanctæ, quantum ad præcedentiam, & paternitatem.

44. Diffinitores, & custodes provinciarum actuales habeant votum in capitulis, ut cæteri vocales, in electione ministri, & diffinitorum. Idem esto de custodialibus discretis in suis custodiis.

45. Iidem diffinitores, & discreti reformatorum etiam habituales, sicut & lectores artium, habeant præcedentiam super vicarios conventuum.

46. Custodes provinciarum assumpti ex reformatis habeant præcedentiam supra discretos custodiales.

47. Qui generali prælato inferior miserit fratres Hierosolymam, privetur utroque voto.

48. Guardianus Terræ Sanctæ in rebus gravibus petat consilium discretorum, & totius communitatis.

49. *Pro cismontanis*. Magistri novitiorum post octo annos gaudeant privilegiis lectorum jubilatorum, quantum ad præcedentiam tantum.

50. Si diffinitor generalis non intersit capitulo generali, vel quia vita, vel quia officio est defunctus, subrogetur in ejus locum alius ex eadem natione, ex iis, qui fuerunt vel procuratores, vel commissarii curiæ, vel diffinitores generales.

51. Si nemo talis fuerit, subrogetur minister, vicarius, seu commissarius provinciæ, ex qua erat diffinitor defunctus, vel absens.

52. Deficiente per mortem, vel aliam causam guardiano, præsidentis mu-

munus non duret ultra duos menses, post quos si minister non elegerit guardianum, puniatur arbitrio superiorum.

53. *Pro Indis*. Dispositio de præside relinquatur capitulis provincialibus, quæ provideant.

54. Ministri possint mittere commissarios ad capitulum generale eligendos tum ex propriis, tum ex provinciis Hispaniæ.

55. Si capitulum generale prorogetur, & interim in capitulis provinciarum alii ministri, & custodes fuerint electi, non hi, sed qui jam missi sunt ad capitulum, habeant vocem.

56. Si ministri monuerint commissarios generales, & hi nec per se, nec per alium accesserint ad capitulum, elapsis duobus mensibus, ministri possint capitula celebrare.

57. Custodes habeant præcedentiam supra diffinitores ubique, præterquam in conventu Matritensi.

58. Exministri in alienis provinciis dent locum exministris, qui officium obierunt in propria provincia.

59. *Pro Gallis*. Provinciæ habeant Romæ aliquem patrem ex ipsa natione, qui negotia sollicitet, & subsit procuratori, vel commissario curiæ.

60. In omnibus utriusque familiæ conventibus lectores alta voce post lectionem regulæ legant S. Francisci benedictionis, & maledictionis verba.

. LXIX. CAPITULUM GENERALE ROMÆ Anno 1639. JOANNES MERINERO. *Leges*. 1. Potestas ministri generalis ad dispensandum in statutis generalibus, non sit absoluta, sed ei proveniat a capitulo generali.

2. Non liceat ministro generali suspendere electiones inchoatas, aut impedire, ne fiant, electoribus jam congregatis.

3. Non liceat prælatis generalibus mittere præsidem ad intermedias congregationes provinciarum, nisi ex causa urgenti, & valde notoria, vel id postulet major pars diffinitorii provinciæ.

4. Discedente ministro generali a familia, ex qua fuit assumptus, nulloque in locum sui relicto, ministri possint cum diffinitorio celebrare intermedias congregationes, non capitula.

5. Nemo prælatorum possit alteri vices suas committere, ut intersit capitulo generali.

6. Commissarius generalis nationis Belgicæ fiat a ministro generali; duret triennio, alterum vice sui possit subdelegare, qui tamen non habeat votum in electionibus.

7. Non possit vi muneris sui celebrare congregationes intermedias, vel nationales.

8. Vacante officio ministri generalis, electio vicarii generalis fiat in ea familia, ex qua generalis erat assumptus, & quælibet familia morem suum observet.

9. In electione vicarii votum activum habeant patres omnes præsentes in ea natione, ubi fit electio. Si sint absentes, nec vocandi erunt, nec expectandi.

10. Patres hujusmodi sint discreti perpetui ordinis, nempe procurator, & commissarius curiæ, procurator generalis reformatorum, & diffinitores generales actuales.

11. Patres ordinis, & familiæ obtineant semper secundum locum a superiore, eisque præcedant minister, vel commissarius generalis præsentes; qui si absint, præcedat provincialis,

Digitized by Google

& hoc absente, guardianus.

12. Procurator ordinis, commissarius curiæ, & procurator reformatorum intersint capitulis, & congregationibus generalibus, ut in veteri, & novo diffinitorio intersint rebus determinandis. In eisdem suffragium ferant diffinitores generales, non secus ac in suis provinciis suffragantur.

13. Deficiente diffinitore generali vel per absentiam, vel per aliam causam, subrogetur alius, qui deinceps inter provinciæ patres teneat ultimum locum post exministros, & exvicarios provinciales.

14. Qui non fuerit professus in provincia, vel incorporatus, saltem a decennio, nequeant eligi in ministrum provincialem.

15. Ministri titulares electi tantum ad suffragandum, ad instar commissariorum provincialium se habeant, qui pro ministris legitime impeditis suffragantur in capitulo generali, nec gaudeant patrum privilegiis.

16. Si decedat minister provinciæ, scripturæ, & sigilla deferantur statim ad primum provinciæ patrem, qui absque mora convocato diffinitorio, eligat vicarium provincialem, & in electione habeat votum activum, & passsivum.

17. Si prælati generales infra tres dietas consistant, consulendi sunt, & eorum responsio expectanda.

18. Vicarii post biennium officii sint patres provinciæ, ultimo loco inter exprovinciales.

19. Non possint eligi in ministros, nisi post triennii vacationem ab officii sui absolutione. Si in officio per biennium non steterint, possint eligi in ministros.

20. Sint in officio usque ad celebrationem capituli provincialis.

21. Ministris discedentibus a provincia, commissarii provinciales relicti, in officio, & appellatione vicariorum provincialium succedent, usque ad tempus capituli.

22. Si absentibus ministris, commissarii moriantur, provinciam regat primus ipsius pater usque ad reditum ministri.

23. Custodes electi a solo diffinitorio extra capitulum, non gaudeant privilegiis custodum, nisi biennio manserint in officio, vel suffragati fuerint in comitiis generalibus.

24. Sive custodes eligantur in capitulis, sive in diffinitoriis, eorum officium cesset in capitulo provinciali, ubi novi eligantur. Qui biennium non complevit, poterit rursus eligi.

25. Secretarii procuratoris, & commissarii curiæ, post triennium numerentur inter exdiffinitores ultimo loco.

26. Auferantur privilegia personalia, quæ ex gratia obtinentur, exceptis regum confessoribus, & prædicatoribus, iisque, qui juxta constitutiones ordinis ob labores suos, & virtutem prænio donantur.

27. *Pro familia ultramontana*. In qualibet provincia duo sint provinciæ patres, unus perpetuus, idest dignior omnibus, & primus inter patres. Qui si sit de corpore diffinitorii, pro eo tempore alius dignitate propinquior assumatur. Si decedat alius subrogetur. Secundus pater sit per triennium minister immediate officio functus, cui, si decedat, anterior subrogetur. Nisi id fiat, nullæ sint electiones.

28. Commissarius generalis Terræ Sanctæ in curia regis catholici subsit in omni-

Digitized by Google

omnibus superioribus generalibus, & non sit prælatus. Singulis sex mensibus reddat rationes sub pœna privationis. Ejus socii quoad regularem disciplinam subsint ministro provinciæ, & guardiano conventus.

29. Magistri novitiorum post octo annos non computentur inter lectores jubilatos, sed circa id servetur statutum Segobiense.

30. Lectores non habeant ullum jus quæsitum, aut actionem ad continuandum legendi officium, quousque compleverint tempus præscriptum jubilationis; sed possint amoveri, & ad alia officia destinari de consensu diffinitorii.

31. Ordo præcedentiæ in provinciis ultramontanis sit ut sequitur. Primum locum teneat minister generalis. Post quem

II. Commissarius generalis familiæ.

III. Commissarius visitator provinciæ.

IV. Minister provinciæ.

V. Guardianus loci.

VI. Exministri generales per biennium.

VII. Exvicarii generales per biennium.

VIII. Excommissarii generales.

IX. Exvicecommissarii generales per biennium.

X. Commissarius generalis Indiarum in curia regis catholici.

XI. Procurator ordinis.

XII. Commissarius curiæ.

XIII. Procurator generalis cismontanus reformatorum.

XIV. Diffinitores generales.

XV. Exprocurator ordinis.

XVI. Excommissarius curiæ.

XVII. Exdiffinitores generales, qui antea fuerunt ministri.

XVIII. Exministri provinciales.

XIX. Exdiffinitores generales, qui antea non fuerunt ministri, ita tamen, ut præcedentiam habeant supra illos, qui ad ministeriatum sunt promoti, postquam ipsi diffinitoriatus officium expleverunt.

XX. Exsecretarii ordinis, videlicet ministri, aut vicarii, aut commissarii, aut vicecommissarii generalis.

XXI. Excommissarii generales per triennium in Indiis utrisque.

XXII. Exvicarii provinciales per biennium.

XXIII. Exministri in alienis provinciis intra Hispaniam.

XXIV. Prædicatores regis catholici.

XXV. Substituti pro diffinitoribus generalibus in capitulo generali.

XXVI. Excommissarii Terræ Sanctæ duodennales in curia regis catholici.

XXVII. Exvicecommissarii generales Indiarum Hispalenses post duodecim annos.

XXVIII. Diffinitores, & custodes provinciarum.

XXIX. Exdiffinitores iidem, & excustodes. Hi postremi gaudent præcedentia, si electi fuerint in capitulo, vel biennium compleverint, & si electi fuerint per diffinitorium, vel ante completum biennium suffragium tulerint in capitulo generali.

XXX. Exsecretarii procuratoris, & commissarii curiæ.

XXXI. Exsecretarii commissarii generalis Indiarum in curia regis catholici post sexennium.

XXXII. Excommissari generales Terræ Sanctæ in eadem curia post octennium.

XXXIII.

XXXIII. Exvicecommissarii generales Hispalenses per octennium.

XXXIV. Lectores jubilati.

XXXV. Procurator, seu commissarius curiæ regis catholici.

XXXVI. Commissarius generalis Terræ Sanctæ actualis in eadem curia.

XXXVII. Vicecommissarius generalis actualis Hispalensis.

XXXVIII. Primus lector theologiæ.

32. *Pro Indis*. Ministri provinciales in Indiis possint mittere commissarios ad capitulum generale, qui sint filii earumdem provinciarum respective, vel in eis incorporati ante sexennium completum.

33. Nec socii generalis commissarii Indiarum, nec alii assumantur ad officia, etiam guardiani, ante sexennium ab incorporatione.

34. Commissarii Novæ Hispaniæ, & Peruviæ votum habeant in electionibus suarum provinciarum, & subdelegare possint alteri auctoritatem suam. Sed subdelegatus non habeat votum.

35. Vicecommissarius Indiarum actualis sedeat post lectores jubilatos immediate. Si duodecim annis officium exercuerit, sit inter patres provinciæ, quoad præcedentiam, & paternitatem tantum ultimo loco. Si annos octo, computetur inter exdiffinitores.

36. Secretarius commissarii generalis Indiarum computetur inter exdiffinitores ultimo loco.

37. Nemo transeat ad studium theologiæ, nisi per triennium completum philosophiæ studuerit, & a diffinitorio provinciæ sit probatus, eidem exhibita lectorum fide authentica per provincialem, & diffinitorium probanda.

38. *Pro cismontanis*. Ut aliquis instituatur lector, vel prædicator, debeat exhibere fidem eodem modo authenticam, & examinari, atque probari a provinciali, & diffinitorio.

39. Lectores artium, & casuum conscientiæ habeant præcedentiam supra sacerdotes, qui XXX. annum religionis non expleverunt. Inter se incedant juxta antiquitatem habitus, nisi aliquis theologiam antea legerit.

40. Ministri, & diffinitores actuales in alienis provinciis præcedant habituales.

41. Laici transeuntes ad clericatum sint inhabiles ad officia, & dignitates.

42. Duo fratres germani non possint in provincialatu immediate sibi succedere; neque ex eadem agnatione eligi simul duo diffinitores.

43. Minister in capitulo, in quo suum explet officium, non possit eligi in diffinitorem; alias electio sit nulla.

44. Si diffinitor moriatur extra provinciam, vel absit, ita ut infra tres dies ejus præsentia haberi non possit, subrogetur pater dignior; secus electio sit nulla.

45. Ministri conservent officinas pro fabricatione pannorum, aut illas erigant. Nec fratres possint uti alio panno, sub pœna inhabilitatis ad officia, & dignitates provinciæ.

46. Defunctorum spolia applicentur conventibus, in quibus fratres moriuntur, sublata ministris facultate in hac parte dispensandi, sub pœna privationis officii.

47. In provinciis Germaniæ confessarii, & commissarii monialium durent per triennium. Guardiani pariter tum inibi, tum in Bulgaria.

48. Ministri Poloniæ careant facultate incorporandi fratres.

Se-

Digitized by Google

Sequuntur *Leges* congregationis generalis Romæ anno 1642. sub commissario generali Benigno de Genua.

1. Nec ministri, nec superiores locales possint ultra triduum retinere apud se fratres exteros, sub pœna privationis officiorum, nisi ad id facultatem specialem ostenderint.

2. Nemo mittatur ad studium extra provinciam, nisi ad requisitionem diffinitorii provinciæ suæ, quæ iis, qui mittuntur, necessaria provideat.

3. Commissarii visitatores, eorumque socii in regno Poloniæ non promoveantur ad aliquam dignitatem in provinciis, quas visitant.

4. Instituantur studia generalia, in quibus qui jubilare voluerint, legant saltem per triennium continuum, nec in eis aliquis ponatur, nisi antea sexennio alibi legerint theologiam in studiis generalibus, & provincialibus.

5 Collocentur in eisdem tres lectores, quorum tertius habeat semel in hebdomada lectionem casuum conscientiæ, ad quam conveniant fratres singuli.

6. Lectores, qui theologiam legerint sine interpolatione per sex annos, vel octo cum interpolatione, præter id, quod per generalia statuta ipsis conceditur, computentur inter exdiffinitores.

7. Secretarii procuratoris, & commisarii curiæ præcedant etiam in conventu Aracæli secretarios provinciales.

LXX. CAPITULUM GENERALE TOLETI anno 1645. JOANNES A NEAPOLI. *Leges*. 1. Diffinitores generales habeant votum consultivum, decisivum, & electivum in capitulo generali, & in capitulis suarum provinciarum, ut diffinitores provinciales.

2. In quolibet capitulo provinciali eligatur custos, etsi non occurrat tempus celebrationis comitiorum generalium.

3. Facultas pro imprimendis libris pertineat ad superiorem generalem. Pro imprimendis memorialibus, vel conclusionibus spectet ad ministrum provinciæ.

4. Fratres cujuscumque familiæ, qui Romam eunt causa negotiorum, sint subditi guardiano, post tres dies ingressus conventus; nec possint exire extra conventum, nisi requisita licentia guardiani, qui eam non deneget, nec illos expellat a conventu, nec molestet domesticorum officiorum onere.

5. *Pro Custodia Terræ Sanctæ*. Nemo infirmarius intra, vel extra conventum S. Salvatoris possit scindere venas mulierum infirmarum.

6. Mulieres non intrent infirmariam, nec transeant per cameram vulgo dictam *taglia panno*.

7. Pueri inservientes conventibus non retineantur post novem ætatis annos, & post horam vespertinam remittantur domum.

8. In conventu S. Salvatoris sint quinque discreti, nempe guardianus, vicarius, procurator, & alii duo ab eis eligendi.

9 Procurator singulis mensibus reddat rationem coram discretis de acceptis, & expensis.

10. Guardianus Hierusalem nequeat arbitrio suo mutare guardianum, vel præsidentem ab uno conventu in alium, nec facere novas constitutiones, nec mittere commissarios Constantinopolim, aut alio, nec expellere fratres, qui per decennium laudabiliter vi-

vixerunt in locis sanctis, aut eos, qui nondum expleverunt triennium, nisi gravi ex causa, de consensu discretorum.

11. Habitus militaris S. Sepulchri detur solum personis nobilibus, judicio guardiani, & discretorii. Qui habitum sumpserit, solvat centum *Reale de ocho*, seu *Zecchinos* Venetos.

12. *Pro familia cismontana*. Secretarii procuratoris, commissarii curiæ, & commissarii generalis Indiarum in curia regis, non computentur inter exdiffinitores, nisi fuerint guardiani per triennium, aut lectores theologiæ per idem tempus, aut per sexennium prædicatores exstiterint in conventibus principalioribus.

13. Qui per duos saltem annos non exercuerit laudabiliter officium guardiani, non possit eligi in ministrum provinciæ.

14. Lector jubilatus diffinitor provinciæ præcedat in omnibus diffinitorem non jubilatum in religione antiquiorem.

15. Lector artium institutus sine oppositione non habeat jus ad jubilationem.

16. In singulis provinciis instituantur examinatores confessorum, & prædicatorum duo patres graves, qui possint approbare, & reprobare, cum consensu ministri.

17. Nulli tertiario detur habitus religionis, nisi explorata per septennium ejus conversione, & de licentia superioris generalis.

18. *Pro Indis occidentalibus*. Commissarius generalis Indiarum in curia regis sit in omnibus, & per omnia subjectus ministro generali, ad quem spectet nominatio, missio, & revocatio commissariorum generalium in Indiis, nisi, eo absente, aliquod instet negotium, aut causa gravis expedienda.

19. Commissarii Indiarum non sinant se vocari a fratribus titulo *reverendissimi*. Fratres contrafacientes incidant ipso facto in pœnam excommunicationis.

20. Si commissarii non possint debito tempore esse in Indiis, neque recursus haberi ad commissarium generalem in curia regis, guardiani, etiam expleto triennio, continuent in munere, usque ad futuram electionem ministri provinciæ, & in capitulo votum habeant.

21. Iidem commissarii, absoluto officio, sint patres in provincia, in qua timore navigationis, vel ob infirmitatem remanere voluerint, & præcedant patres alios.

22. Exsecretarii commissari generalis in curia regis, qui habuerint qualitates supra memoratas numero XII., sint patres provinciæ suæ, non vero in cæteris.

23. Commissarii ex Indiis ad capitulum generale euntes, si prius triennio fuerint guardiani in suis provinciis, sint exdiffinitores.

24. Si moriatur commissarius generalis in curia regis, sigillum sumat minister provinciæ; qui si etiam moriatur, detur ministro provinciæ, in qua obiit, isque possit provincias visitare, & in capitulis præsidere, nulla tamen ipsi remanente ob id præeminentia.

25. *Pro Germanis, & Belgis*. Ministri titulares non assumantur, nisi ex patribus professis, vel incorporatis in provinciis titularibus; & tituli confe-

ferantur patribus benemeritis.

26. In natione Belgica diffinitor generalis non veniens ad generale capitulum suppleatur a ministro, vel commissario ejus provinciæ.

27. In subrogatione diffinitorum provinciæ, præferantur cæteris patres provinciæ, qui diffinitorio non intersunt.

28. Non sit lector jubilatus qui duodecim annos sine intervallo non docuerit theologiam scholasticam, & qui a capitulo idoneus non fuerint habitus, testimonio guardianorum.

Sequuntur *Leges* congregationis generalis Victoriæ anno 1648. sub Joanne de Palma commissario generali.

1. Si capitulo, vel congregatione generali convocata, vacet quacumque de causa officium ministri generalis, præsideat vicarius ordinis, qui statim eligatur. Si eligi nequeat vicarius, præsideat eidem commissarius generalis familiæ.

2. Hujus defectu, eligatur vicecommissarius generalis, quod si fieri non possit, præsideat dignior pater ordinis, in cujus locum, si nemo talis præso sit, subrogentur primo procurator, aut commissarius curiæ; secundo antiquior diffinitor generalis nationis, in qua celebrandum est capitulum, vel congregatio; tertio exprocurator, seu excommissarius curiæ; quarto exdiffinitor habitualis antiquior; quinto minister provincialis.

3. In diffinitoriis generalibus, in quibus fit sindicatio ministri, seu commissarii generalis, & in diffinitoriis aliis, ubi non adsunt superiores generales, præsideat antiquior pater ordinis.

4. Substituti in capitulo, seu congregatione generali, loco diffinitorum generalium absentium, non gaudeant privilegiis patrum, nisi fuerint ad minus diffinitores, aut exdiffinitores. vel lectores jubilati, vel lectores theologiæ per sexennium, vel prædicatores in majoribus conventibus. Exministri provinciales sint habiles ad substitutionem.

5. Substituti pro ministris, & custodibus habeant titulum paternitatis, absque voto, & præcedentia, si fuerint lectores jubilati, vel diffinitores actuales.

6. Nemo, sub pœna excommunicationis, & privationis officiorum, imprimat memoralia, informationes, aut libellos, quolibet prætextu, sine licentia expressa, & speciali superiorum generalium.

7. Sint per sex menses absoluti ab officiis suis ministri, et custodes, qui, absque legitimo impedimento, non venerint ad capitulum generale.

8. *Pro Hispanis*. Minister in aliena provincia reversus in propriam sit pater ejusdem, cum socio, et præcedentia, ultimo loco inter exministros.

9. Lectores theologi se mutuo præcedant, juxta tempus institutionis in lectura.

10. Lectores theologiæ per sexennium, vel per triennium artium, post triennium theologiæ, computentur inter prædicatores conventuales per sexennium.

11. Qui per annos XXIV. legerit theologiam scholasticam, sit pater provinciæ, quoad titulum, & præcedentiam tantum.

12. Prædicatores regis catholici, qui non fuerunt diffinitores, aut lectores jubilati, aut guardiani in conven-

Digitized by Google

tu insignori,non gaudeant paternitate.

13. *Pro Belgis*, *&* *Germanis*. Nemo instituatur minister titularis, & custos, nisi fuerit diffinitor, vel lector theologiæ, vel per triennium inservierit in provinciis infidelium.

14. Agentes Romæ dependeant in omnibus a procuratore, vel commissario curiæ familiæ cismontanæ.

LXXI. CAPITULUM GENERALE ROMÆ anno 1651. PETRUS MANERO. *Leges*. 1. Nemo eligatur in ministrum provinciæ, vel guardianum, qui non sequitur vitam communem.

2. Si quis detraxerit, voce, vel scriptis sacro ordini prædicatorum, puniatur, ut perturbator pacis.

3. Instituantur duo archiva generalia ordinis unum Romæ in conventu de Aracæli, alterum Matriti in conventu S. Francisci, in quibus collocentur scripturæ latina lingua exaratæ, quæ pertinent ad historiam ordinis, adducendæ ad capitulum generale a ministris provinciarum, sub pœna privationis officiorum.

4. Archivarius sit pater gravis, doctus, expertus, & fidus, qui nemini permittat videre, vel extrahere scripturas, nisi de licentia in scriptis superioris generalis; secus subjaceat pœnæ privationis actuum legitimorum per triennium.

5. Archivarius habeat in socium scribam, & singulis trienniis reddat rationem superiori generali de statu archivi.

6. In quocumque congressu capitulari unus prælatus tantum, quicumque ille sit, præcedat cæteros patres ordinis.

7. Præsente ministro generali, commissarius generalis actualis præcedat excommissarios generales quoscumque.

8. Procurator ordinis præcedat commissarium curiæ, & exprocurator præcedat excommissarium.

9. Superiores generales non possint instituere patres provinciæ, nisi juxta statuta generalia.

10. Sint patres provinciæ, cum honoribus, & privilegiis, ac jure subrogandi exministri provinciales, & vicarii provinciales per biennium, exprocuratores, excommissarii curiæ, exdiffinitores generales, exsecretarii generales ordinis per triennium, excommissarii generales Indiarum.

11. Sint patres provinciæ sine jure subrogandi, cum titulo, & præcedentia, confessores, & prædicatores regum, lectores theologiæ per XXIV. annos, & illi, qui substituti sunt pro diffinitoribus generalibus. Familia cismontana servet suas constitutiones.

12. Si primus pater provinciæ, moriatur, vel ejus officium vacet quacumque de causa, vel alio titulo permanenti, scilicet actualis diffinitoris generalis, aut simili, intret diffinitorium, loco ipsius subrogetur antiquior. Idem sit de patre altero, in cujus locum subrogetur exminister qui remanet immediatus.

13. Ambo convocari debeant ad omnes electiones, quæ secus nullæ sint; attamen non sint expectandi, nec alii subrogandi, si non venerint.

14. Si reperiantur in distantia XXX. leucarum, seu trium dietarum ab ultimo conventu territorii provinciæ, convocari debeant; non autem, si sint in distantia majori.

15. Si ipsorum quispiam præsideat ca-

Digitized by Google

capitulo, non subrogetur alius.

16. Præter hos duos, non possint intrare diffinitorium alii patres provinciæ, exceptis provinciis, quæ habent leges municipales.

17. In vacantia diffinitoris generalis subrogetur alius ex eadem natione, qui fuerit vel procurator ordinis, vel commissarius curiæ, vel diffinitor generalis, servata ad invicem antiquitate.

18. In capitulis generalibus, si vacet munus diffinitoris, subrogatio fiat ex vocalibus præsentibus, hoc ordine. Primo substituatur exprocurator, vel excommissarius curiæ, vel exdiffinitor generalis, si contingat, eum actu ibi adesse. Si isti absint, substituatur minister, aut vicarius, aut commissarius provinciæ, ex qua est diffinitor absens; si etiam isti absint, substituatur custos ejusdem provinciæ.

19. Subrogati gaudeant privilegiis patrum, quoad paternitatem, & præcedentiam tantum.

20. Diffinitores provinciæ non possint assumi ad idem officium, nisi post sexennium. Item custodes, qui tamen possint eligi in diffinitores, post triennium, & diffinitores in custodes. At in munere subrogandi non attendatur ad sexennium vacantiæ.

21. Custos electus extra capitulum gaudeat post biennium privilegio custodis, dummodo postea non renuntiet, nisi in capitulo.

22. Custos electus in capitulo, vel congregatione, gaudeat eodem jure, etsi non compleat biennium, sub eadem conditione. Idemque sit de illo, qui ante biennium expletum suffragatus fuerit in capitulo, vel congregatione generali.

23. Patres provinciæ electi in custodes gaudeant privilegiis patrum, et custodum, si non renuntient, nisi in capitulo.

24. Si legitime impediatur custos, quominus vadat ad capitulum generale, alius eligi nequeat, nisi de licentia superioris generalis.

25. Diffinitores, et custodes provinciarum tam actuales, quam habituales, non assumant socios, aut tertiarios inservientes, neque exeant domum, cum socio ad libitum, sine licentia præsentialiter petenda, & obtinenda singulis vicibus a guardiano, neque absint a choro, refectorio, maxime in cœna, sub pœna privationis juris substituendi subrogandi, & præcedendi, & omnium privilegiorum, quæ titulo diffinitorum habere possunt, per quinquennium.

26. Guardianus, qui horum quidquam permiserit, vel eos nominaverit, aut nominari passus fuerit titulo paternitatis, sit privatus per triennium officio, & per biennium actibus legitimis.

27. Minister, qui delinquentes non punivérit cum consilio diffinitorii, sit privatus per biennium officio, & honore provincialatus.

28. Commissarius visitator, assumptis in conjudices omnibus provinciæ patribus, puniat ipsos, si puniti antea non fuerint.

29. Lectores artium in familia ultramontana non instituantur, sine prævia oppositione, & per secreta suffragia diffinitorum; & nemo instituatur lector theologiæ, nisi prius legerit artes liberales cum approbatione provinciæ.

30. Lectores instituere, & amovere, pertineat ad integrum diffinitorium

per ſuffragia deciſiva in capitulo, ſeu congregatione.

31. Nullæ ſubſtitutiones lectoratus, lecturæ myſticæ, aut theologiæ moralis, nullaque exercitia magiſtrorum ſcholaſticorum, computentur inter annos requiſitos ad jubilationem.

32. Miniſter generalis careat facultate ſupplendi annorum numerum requiſitum ad jubilationem; nec diſpenſet ſuper interpolatione, niſi pro re gravi, & ordini honorifica.

33. Inter lectores non computetur præcedentia a pura inſtitutione officii, ſed ab inſtitutione ſimul cum exercitio docendi.

34. Inter lectores jubilatos præcedant, cæteris paribus, qui nullam habuerunt dipenſationem in lectoratus interpollatione. Inter diſpenſatos præcedant, qui prius finierint tempus præfixum ad jubilationem.

35. Si per mortem, aut renuntiationem, aut promotionem ad dignitatem extra ordinem, vacaverit officium miniſtri generalis, electio vicarii generalis illico fiat in illa familia, & per ſuffragia ejuſdem, ex qua erat miniſter generalis; præterea in natione, ad quam miniſter pertinebat, ſi fuerit ultramontanus.

36. Electores vicarii generalis in familia ultramontana ſint exminiſtri, & excommiſſarii generales familiæ, vicecommiſſarii generales ejuſdem familiæ, actualis commiſſarius Indiarum, diffinitores generales actuales nationis, & diffinitores generales familiæ ciſmontanæ, ſi adſint. Similiter miniſtri, & cuſtodes ſex provinciarum viciniorum provinciæ illius patris, cui competit habere ſigilla.

37. Loco provinciæ, quæ ob bellum, peſtem &c. vocari non poteſt, convocetur ei vicinior, quæ ſi eadem difficultate laboret, electio celebretur, cum vocalibus aliarum provinciarum.

38. Idem fiat, ſi quis diffinitorum generalium, aut alius vocalis convocari nequeat; nempe ſubrogetur alius, qui, ſi adeſſe nequeat, non vocetur quiſquam.

39. In familia ciſmontana electores vicarii ſint exminiſtri, & excommiſſarii generales familiæ, vicarii, & vicecommiſſarii generales poſt biennium, procurator, ex commiſſarius curiæ, procurator generalis reformatorum, diffinitores actuales familiæ, & diffinitores generales ultramontani, ſi adſint.

40. Vacante officio vicarii generalis, alius eligatur eodem modo.

41. Sigilla, & regiſtra generalis miniſtri defuncti mittantur ad patrem digniorem ejus familiæ, cui jus competit convocandi electores etiamſi miniſter decedat in aliena familia.

42. Si miniſter generalis deponat officium per renuntiationem, ipſe convocet electores, & præſideat cum ſuffragio. Quod ſi convocandi, & præſidendi etiam muneri renuntiaverit, illa exerceat dignior pater congreſſus.

43. Commiſſarius generalis delegatus, qui in abſentia miniſtri generalis regit unam, vel plures nationes familiarum per patentes literas, expleta commiſſione, remaneat in gradu, in quo erat ante illam.

44. In caſu vacantiæ per mortem miniſtri generalis abſentis, præfectus delegatus munus ſibi commiſſum proſequatur uſque ad electionem vicarii generalis.

45. Attamen ad ipſum non pertineat habere ſigilla, convocare, & præſidere eidem electioni, quamvis ſit de

cor-

Digitized by Google

corpore diffinitorii generalis. Præsideat tamen in aliis actibus communitatis, chori, refectorii &c.

46. Si vacet officium commissarii generalis familiæ, fiat electio vicecommissarii generalis, sicut electio vicarii generalis.

47. Si vacet officium ministri provincialis, sigilla habeat dignior pater provinciæ, qui convocet integrum diffinitorium, & præsideat electioni vicarii, cum voce activa, & passiva, nisi alias jure sit inhabilis.

48. Loco ipsius non subrogetur alius pater, nec celebretur electio, antequam certior fiat superior generalis, si sit infra tres dietas.

49. Si dignior pater retardaverit electionem, privetur per sexennium jure patris provinciæ.

50. Qui minus biennio fuerit vicarius provincialis, non gaudeat privilegio patrum; sed eligi possit immediate post in ministrum.

51. Minister proxime præteritus, & vicarius per biennium, non possint, nisi post triennium, eligi in vicarios.

52. Officium vicarii provincialis non possit extendi ultra tempus, in quo minister debebat finire officium.

53. Discedente a provincia ministro, instituatur commissarius provincialis suffragiis diffinitorii, qui si interim officium ministri vacet quacumque ex causa, absque alia electione regat provinciam, tamquam vicarius, usque ad celebrationem capituli,

54. Si in absentia ministri moriatur commissarius, provinciam regat pater dignior cum auctoritate, & titulo commissarii. Si minister interim moriatur, sit vicarius provinciæ usque ad capitulum.

55. Vicarius generalis, qui minus biennio functus fuerit officio, nullo gaudeat privilegio, vel prærogativa; sed eligi queat in ministrum, & commissarium generalem.

56. Vicecommissarius generalis post biennium sit pater ordinis, & discretus familiæ. Si biennium non absolverit, eligi possit minister, aut vicarius ordinis.

57. Minister generalis non possit iterum eligi ad idem, aut commissariatus generalis officium, ante annos sexdecim.

58. Per idem tempus vacet commissarius generalis, ut eligi possit in generalem ministrum.

59. Per idem tempus vacent procurator, & commissarius curiæ, ut possint continuare in officio, aut eligi in ministros, aut commissarios generales.

60. Ut possint eligi ad idem officium, ministri provinciales, diffinitores, & custodes vacent per sexennium, guardiani per unum annum, confessores, & vicarii monialium per triennium.

61. Diffinitor subrogatus biennio durans etiam ipse sexennio vacet.

62. Non possit guardianus remanere præses conventus, in quo fuit guardianus.

63. Commissarii generales superioris, & inferioris Germaniæ non continuent officium ultra triennium, nec recipiant novitios, nec mittant fratres extra territorium commissionis, nec advocent ad se causas in prima instantia, nec usurpent titulum *reverendissimi*.

64. *Pro Indis occidentalibus*. Commissarii generales non possint limitare facultates diffinitoriis provinciarum eli-

eligendi guardianos, qui vacant per tempus triennii provincialium, nec possint ipsi, aut commissarii visitatores, servare processus ultra sex menses, post expletam visitationem.

65. Doctrinantes, qui fiunt voto diffinitorii, non possint amoveri a commissario generali, neque a ministro, nisi a diffinitorio, præcedente causa, & sententia.

66. Commissarius generalis, qui impediverit provinciis jus eligendi vicarios provinciales, privetur officio, & in residentia maneat privatus per decennium actibus legitimis.

67. Si moriatur commissarius aliquis generalis, sigilla ejus habeat minister, seu vicarius provinciæ, in qua obit, qui convocet electores, præsideat, & suffragetur in electione vicecommissarii. Nullam tamen in cæteris jurisdictionem exerceat.

68. Electores sint exministri, exvicarii provinciales per biennium, custos, & diffinitores actuales, duo lectores jubilati antiquiores in jubilatione, & guardianus conventus, in quo celebranda est electio, excluso visitatore, si adsit, qui etiam eligi nequeat.

69. Si electores semel vocati, tali die non adsint, expectandi non erunt, sed procedatur ad electionem cum præsentibus.

70. Convocatis electoribus, ante electionem certiores fiant minister generalis, & commissarius generalis Indiarum.

71. Vicecommissarius electus non possit amovere visitatores, qui jam adsunt in provinciis, nec judicare primas instantias, nec causas decidere, nisi assumendo integrum diffinitorium provinciæ, nec celebrare capitula provincialia, nisi sic instet tempus alicujus capituli, ut si non celebraretur, deberet prolongari ultra triennium, & sex menses.

72. Si idem sequatur inconveniens ob expectationem electionis vicecommissarii generalis, tunc commissarius visitator celebret capitulum, si adsit; si vero non adsit, eligatur, dummodo eligendus sit vel exminister provincialis, vel lector jubilatus, vel exdiffinitor, vel exguardianus.

73. In ea electione minister habeat tantum vocem activam; secus electio sit nulla.

74. *Pro cismontanis*. Omnes provinciæ possint instituere in suis locis respective lectores artium, & theologiæ; sintque in ipsis duo collegia, seu seminaria pro lectura artium, & duo ad minus pro lectura theologiæ, quibus si non sufficiant eleemosynæ, ministri provideant ex aliis conventibus.

75. Judices ad eligendum lectores artium sint minister provinciæ, cum toto diffinitorio, exministri, & duo lectores jubilati antiquiores in jubilatione.

76. Oppositio publica, quæ precedere debet institutionem lectorum artium, fiat a peritioribus, doctioribus, & probatioribus scholasticis, quos nominabit diffinitorium in capitulo, vel congregatione. Judices, qui non servaverint æquitatem in eligendis lectoribus, puniantur, arbitrio prælati generalis.

77. Lectores theologiæ instituantur in capitulo, seu congregatione provinciali, legant sine intervallo, habeant singulis diebus conferentias, singulis mensibus conclusiones publicas, & sin-

singulis annis impressas.

78. Lectores tam artium, quam theologiæ possint docere vel per scripturam dictandam, vel per librum impressum ex probatioribus doctoribus.

79. In qualibet provincia non sint, nisi quatuor patres aggregatos, qui numerentur inter duodecim diffinitores in provinciis parvis, inter sexdecim in magnis.

80. In iis, quæ pertinent ad officium ministri provincialis, solus ipse convocet omnes patres de corpore diffinitorii.

81. Loco eorum, qui vocari non venerint, subrogentur alii, & possint subrogari etiam lectores jubilati.

82. Diffinitores generales actuales præcedant inter se, cæteris paribus, ab antiquitate habitus. Pariter diffinitores provinciales,

83. Diffinitores habituales, qui primo electi fuerint, habeant, cæteris paribus, præcedentiam, & qui cæteros præcedunt sede, & ordine, eosdem quoque præcedere debeant jure subrogandi.

84. Custodes actuales, cæteris paribus, habeant præcedentiam supra actuales diffinitores. Habituales supra habituales diffintores, qui in eodem capitulo sunt electi.

85. Actualis custos præcedat diffinitorem habitualem; & actualis diffinitor habitualem diffinitorem. Præcedentia vero inter custodes habituales desumenda sit a prioritate electionis. Idem prorsus sit de diffinitoribus habitualibus.

86. In morte ministri generalis, omnes sacerdotes dicant duas missas, & omnes conventus unam solemnem cum officio magno defunctorum. Moniales, clerici, & laici tres coronas Virginis, & duas stationes.

87. In morte vicarii ordinis, omnes sacerdotes dicant unam missam, omnes conventus unam solemnem, cum vigilia defunctorum. Clerici, & laici duas coronas.

88. In morte commissarii, aut vicecommissarii generalis, idem fiat quoad missas. Moniales, clerici, & laici dicant duas coronas Virginis, & duas stationes. Recitetur quoque officium magnum defunctorum.

89. In morte patris ordinis, idem fiat quoad missas. Recitetur vigilia defunctorum. Clerici, & laici dicant unam coronam, & unam stationem. In morte patris familiæ eadem sint suffragia, excepto officio, seu vigilia defunctorum.

Leges congregationis Romanæ anno 1654. sub Sebastiano de Cajeta commissario generali. 1. Custodes noviter electi in capitulis provincialibus, & confirmati, nullum habeant suffragium, respectu diffinitorum eligendorum in eodem capitulo; sicut diffinitores, si aliquem, aut aliquos in uno scrutinio eligantur, cæteri in alio.

2. Clerici ordinati in presbyteros per biennium exerceant officia clericorum, in quacumque fuerint ætate, sub pœna suspensionis guardianis, vel provincialibus aliter disponentibus.

3. Nemo librum typis committat, nisi revisum ab examinatoribus superioris generalis, sublata facultate ministris provincialibus.

LXXII. CAPITULUM GENERALE TOLETI anno 1658. MICHAEL ANGELUS A SAMBUCA. *Leges*. 1. Theses propugnandæ etiam in comitiis generalibus non excudantur cum ico-

iconibus ære incisis, aut laminis quomodolibet sumptuosis, sed mandentur typis communibus. Qui contrarium fecerit, si sit lector, privetur lectura, sin minus, sit ad illam inhabilis; si minister, aut prælatus, ab officio suspendatur.

2. Ob negotia urgentia tantummodo ministri, cum suis diffinitoriis, possint aliquem mittere ad Romanam, Matritensem, aut aliorum principum curiam.

3. Fratres forenses in Romana curia, sive observantes, sive reformati, nequeant a domo exire, sine licentia guardiani, & procuratoris, aut commissarii curiæ, qui eos non impediant, nisi ex causa legitima.

4. Si procurator ordinis Roma discedat iturus ad capitulum generale, censeatur officio functus, & in capitulo, tamquam immediatus exprocuratur, habeat præcedentiam, & votum, etiam in diffinitorio generali.

5. Institutus Romæ loco sui non sit viceprocurator, sed vere, & proprie procurator ordinis, donec superiores provideant.

6. Opportuno tempore provinciæ subministrent subsidia pro expensis literarum, & expeditione negotiorum procuratori, & commissario curiæ.

7. Devolvatur ad superiorem generalem electio prominiſtri, & custodis mittendi ad comitia generalia, si electores intra unum diem non conveniant in electione, & sint discordes.

8. Custodes electi extra capitulum, non gaudeant privilegiis custodum, si biennio officium non exercuerint, aut suffragium non tulerint in capitulo, aut congregatione generali; quamvis ipsum tulerint in electione vicarii, aut vicecommissarii generalis.

9. Procurator, & commissarius curiæ nullis gaudeant privilegiis, si per biennium in officio non manserint. At possint iterum eligi sine vacantia.

10. Si in provincia, de qua est procurator, aut commissarius curiæ, aut diffinitor generalis actualis, subrogari contingat diffinitor provincialis, subrogatio fiat in personam patris dignioris post prædictos, per tempus, quo ii durabunt in officio.

11. Provinciæ dent subsidia necessaria ministris, custodibus, & diffinitoribus generalibus pro peregrinatione ad comitia generalia.

12. Subrogationes tam inter observentes, quam reformatos, fiant a toto diffinitorio, non a solo ministro provinciali.

13. Si expleto triennio, & semestri ministeriatus, nullus commissarius sit missus in provinciam, minister eam regat ut commissarius provincialis cum diffinitorio. Sed non habeat votum in capitulo sequenti, nisi ipsi concessum fuerit e superiore generali, cum consensu procuratoris ordinis, & diffinitorum generalium, si præsentes fuerint.

14. Guardiani quoque, qui compleverunt triennium, & semestre, sint præsidentes, absque voto in sequenti capitulo.

15. Minister in aliena provincia, reversus ad suam in omnibus, & per omnia sit pater, sicut alii exministri; sed teneat ultimum locum tam inter observantes, quam reformatos.

16. In casu decisionis alicujus, minor pars diffinitorii subscribat sententiam maioris partis etiam inter reformatos.

17.

Digitized by Google

17. Procuratores provinciarum in curiis non instituantur a superiore generali, nisi maxima de causa, & per triennium.

18. Commissarii nationales reddant quotannis rationem ministro generali de capitulis celebratis, eorumque actis præcipuis, sub pœna suspensionis ab officio.

19. In familia ultramontana observanti ac reformata, nemo promoveatur ad studia, nisi primo anno ab emissa professione, studeat regulæ sub lectore, qui publice eam doceat.

20. Clerici, & juvenes faciant quotannis exercitia spiritualia per octo, vel decem dies.

21. Ministri, qui quacumque ex causa non accesserint ad comitia generalia, teneant ultimum locum, expleto ministerio, post exministros præteritos, & futuros. Si quis absque legitima causa id fecerit, puniatur ulterius juxta statuta.

22. In provinciis reformatis, in vacantia diffinitoratus provincialis subrogentur excustodes, & exdiffinitores, & in defectu istorum, guardiani principaliorum conventuum. Aliæ subrogationes fiant juxta statuta.

23. In eisdem provinciis diffinitor in eodem capitulo, in quo explet officium, eligi queat in custodem. Nullæ in ipsis fiant electiones guardianorum, qui succedant in casu vacantiæ.

24. Discreti conventus reformatorum, digniores officio respective censeantur, ipsisque deficientibus, discreti sint antiquiores in religione.

25. Primus pater provinciæ, etiam inter reformatos, si sit diffinitor, & ei quacumque ex causa provinciæ sigilla proveniant, non possit renuntiare diffinitoratum, ad effectum convocandi electores. Sed possit renuntiare post electionem vicarii provincialis.

26. In absentia guardiani, & vicarii in conventibus, etiam reformatorum, si non adsint in refectorio patres ordinis, vel provinciæ, vel alius a guardiano, vel vicario delegatus ad mensam regendam, ipsam regat is, qui alios præcedit.

27. Præcedentia antianitatis inter reformatos attendatur a susceptione habitus, non ab emissa professione, dummodo habitus susceptus fuerit in ætate debita.

28. Guardiani, etiam reformatorum, nequeant, extra capitulum, aut congregationem, mutari de uno conventu in alium, absque renuntiatione, & nova electione, nisi de consensu amborum guardianorum, & diffinitorii.

29. Acceptare renuntiationem guardianorum, non spectet ad solum ministrum, sed ad integrum diffinitorium provinciæ.

30. Commissarii Terræ Sanctæ non possint instituere commissarium aliquem in suis restrictibus, neque procuratorem, sub pœna privationis officii.

31. Non possint mittere fratres ad quæstuationem, nisi cum beneplacito ministri provinciæ, in quam mittuntur.

32. Ipsi, eorumque socii sint subjecti superiori locali, a quo, dum egredi volunt, petant benedictionem, quæ eis non denegetur.

33. Si in familia cismontana capitulo provinciali præsit superior generalis, ipse possit admittere renuntiationes guardianorum; secus, non possint renuntiationes admitti, nisi a majori parte diffinitorii.

34. Soli exministri, qui ab Indiis oc-

occidentalibus, jussu superiorum, aut regis catholici, redeunt in provincias suas, gaudeant honore exministri, & jure subrogandi.

35. Custodes omnes, qui ab eisdem locis accesserint ad capitulum generale, gaudeant in provinciis suis privilegio patrum provinciæ cum jure subrogandi pro diffinitoribus, ante exdiffinitores, etiam habitu, vel electione antiquiores.

36. Si commissarius visitator non mittatur opportuno tempore in provincias Indiarum orientalium, quælibet provincia ex se, cum consensu patrum, sibi illum eligat, qui celebrato capitulo, nullam omnino amplius habeat auctoritatem.

37. Nemo in iis provinciis possit incorporari, nisi accedente consensu utriusque provincialis.

38. Ministri, & custodes Saxoniæ, Daciæ, & Scotiæ istituti a ministro generali, sint titulares, latoque ab eis suffragio in comitiis generalibus, cesset eorum titulus; nec in comitiis eligi queant in diffinitores generales, adstantibus vocalibus Germano-Belgicis, nisi in provinciis Germano-Belgicis fuerint ministri, aut custodes.

39. Fratres Hiberni, si moriantur in extranea provincia, in qua de licentia superioris generalis manent, participent suffragia consueta, veluti si forent filii provinciæ.

Sequuntur *Leges* congregationis generalis Vallisoleti anno 1661. sub Joanne Muniessa commissario generali. 1. Missæ, earumque eleemosynæ, quæ diebus dominicis pro benefactoribus celebrantur, nemini concedantur a superioribus generalibus, nisi pro gravissima causa probata a diffinitorio provinciæ.

2. In provinciis non multiplicentur diffinitores ultra numerum præfixum, etiam quoad titulum.

3. Secretarius ordinis cismontanus ferat suffragium in comitiis generalibus, tamquam minister provinciæ Daciæ; & secretarius familiæ ultramontanæ, tamquam custos Terræ Sanctæ.

4. Visitatores provinciarum non excidant jurisdictione, etiamsi superior generalis, a quo sunt missi, interim moriatur.

5. Minister provincialis, qui apostatas non puniverit juxta statuta, ab officiis suspendatur per tres menses, arbitrio generalium.

6. Excommissarius curiæ Matritensis teneat ultimum locum inter exdiffinitores, dummodo bis guardianatum exercuerit cum laude.

7. In provinciis Galliæ, oppositiones, quæ fiunt contra electiones capitulares, nullæ sint, nisi fiant in eodem capitulo, vel ad summum infra quindecim dies post capitulum. Eleemosynæ vero prædicatorum non expendantur a ministris, sine consensu diffinitorii.

8. Commissarii, & vicecommissarii Terræ Sanctæ subsint immediate jurisdictioni superioris generalis.

LXXIII. CAPITULUM GENERALE ROMÆ anno 1664. IDELPHONSUS SALIZANES. *Leges.* 1. Si minister provincialis moriatur primo anno, liberum sit superiori generali capitulum convocare ad eligendum novum ministrum, vel eligere cum diffinitorio, loco defuncti, vicarium provincialem.

2. Si moriatur post biennium, possit superior generalis anticipare capitu-

Digitized by Google

pitulum, vel prorogare, dummodo tempus lege præscriptum non excedatur. Generatim vero possit justa de causa anticipare capitulum per sex menses, etiam vivente ministro.

3. Si minister, vel custos moriatur paullo ante capitulum, eligatur vicarius provincialis, vel custos.

4. Si post celebrationem capituli constiterit, aliquem fuisse nulliter electum in diffinitorem, deponatur ab officio, & fiat nova electio a' diffinitorio, nulla facta subrogatione.

5. Neque vicarii provinciales, neque ministri, completo biennio, possint eligi in diffinitores. Ii autem, qui biennium non compleverint, nullo gaudeant privilegio.

6. Privetur officio diffinitor, qui vocatus, & legitime non impeditus, renuit ingredi diffinitorium.

7. Subrogatio debeatur semper digniori, nisi sit perpetuo impeditus.

8. In paritate votorum, dum guardiani eliguntur, possit decidere capituli præses.

9. Guardianus exclusus pro uno conventu, non censeatur exclusus pro alio.

10. Præses, qui ultra duos menses conventum rexerit, nequeat immediate in guardianum eligi.

11. Incorporati in aliena provincia, si in propriam revertantur, gaudeant præcedentia a die novæ receptionis, & incorporationis.

12. *Pro ultramontanis*. Lectores theologiæ actuales non possint esse guardiani, vel secretarii; secus tempus, quo fuerint in iis officiis, non computetur eis ad annos jubilationis.

13. Secretarii provinciarum dent præcedentiam lectoribus primariis theologiæ, quorum, in æqualitate lectoratus, præferatur antiquior habitu in habendo voto.

14. Loco diffinitoris defuncti subrogetur antiquior in officio exdiffinitor, vel excustos; quibus deficientibus, subrogetur guardianus loci capituli, si fuerit ab aliquo dotatus pro capituli expensis; secus guardianus conventus insignioris.

15. In missa solemni Conceptionis versiculus: *Veni Regina nostra*, dicatur in choro flexis genibus, ut dicitur: *Ave maris Stella* in vesperis.

16. Ministri provinciarum Galliæ, non mittant fratres extra regnum, nisi pro gravi causa provinciæ approbata a diffinitorio.

17. Commissarius nationis Germano-Belgicæ non possit committere' votum suum visitatoribus a se missis.

18. Si congregato capitulo, moriatur commissarius nationalis, præsideat visitator, aut in ejus defectu, dignior pater de corpore capituli. Si capitulum fuerit tantum indictum, consulatur minister generalis.

19. Apud eosdem subrogatio diffinitoris generalis fiat ex ea parte, ex qua fuerat electus.

20. Commissarii generales Novæ Hispaniæ in provincia, ubi manent, præcedant cæteros patres, & possint ingredi diffinitorium.

21. *Pro cismontanis*. Commissarius generalis familiæ una vice eligatur ex reformatis, altera ex observantibus.

22. In qualibet provincia statuantur termini quæstuationis a ministro una cum diffinitorio, si nulli sint præfixi.

23. Commissarius generalis familiæ habeat secretarium quoque reformatum, qui expleto triennio, gaudeat

privilegiis iis, quibus potiuntur secretarii generales.

24. Magister chori in conventu Aracæli, post sexennium, absque intervallo adventus, aut quadragesimæ, teneat ultimum locum inter exdiffinitores.

25. In conventu Anconæ sit commissarius Terræ Sanctæ cum facultate quæstuandi ob necessitatem fratrum euntium, & redeuntium a Palæstina, & pro aliis negotiis sibi committendis a superiore generali.

26. Exeunte ministro reformato a limitibus suæ provinciæ, eligatur commissarius provincialis, suffragiis diffinitorum.

Anno 1667. Congregatio generalis Romana sub Bonaventura Caballo commissario generali. *Leges* nullæ, saltem generales.

LXXIV. CAPITULUM GENERALE VALLISOLETI anno 1670. FRANCISCUS MARIA RHINI A POLITIO. *Leges*. 1. Diffinitoribus generalibus familiæ cismontanæ addantur quatuor; unus pro excalceatis Hispaniæ, alius pro Gallia, tertius pro Lusitania, quartus pro fratribus tertii ordinis Hispanis, Lusitanis, & Gallis, servata inter ipsos alternativa. *Nota*. Excalceati declaraverunt, se malle vocem passivam ad tres diffinitoratus generales nationis Hispanæ, quam unum peculiarem.

2. Diffinitoribus familiæ alterius addantur tres; unus pro reformatis, & duo pro observantibus, quorum unus semper sit ex regno Neapolitano, & Siculo, alter ex reliqua Italiæ parte.

3. Minister generalis habeat tertium secretarium generalem peritum plurium idiomatum, qui gaudeat eisdem privilegiis, ac alii duo secretarii, & quoad præcedentiam, servet ordinem antiquitatis.

4. In familia ultramontana connumerati inter exministros, & exdiffinitores provinciarum, cum communicatione omnium privilegiorum, quæ concedunt generales ordinis constitutiones, habeant jus subrogandi; exceptis prominist ris, aliisque, qui quoad præcedentiam tantum dictis patribus aggregentur.

5. Si capitulum generale celebretur in Hispania, prominist ri mittendi, & commissarii relinquendi in provinciis, eligantur ante Nativitatem Domini, nisi immineat tempus capituli provincialis.

6. Si in capitulo, vel intra dies capitulares, vacet officium diffinitoris, aut custodis noviter electi, eligatur alius. Si vacet, soluto capitulo, etsi prorogato diffinitorio, tunc fiat subrogatio.

7. Commissarius relictus in provincia, absque nova electione, sit vicarius, si minister profectus ad capitulum moriatur, vel renuntiet.

8. Liberum sit ministris cum diffinitorio, loco defuncti guardiani, alium eligere, etiamsi post festum S. Francisci mors contingat.

9. Guardianus montis Sion habeat titulum *reverendissimi*, & secretarius ejus sit exemptus ab officiis communitatis.

10. Exvicarius custodialis Terræ Sanctæ post triennium gaudeat inter exdiffinitores suæ provinciæ.

11. Ministri provinciales de consilio suorum diffinitorum faciant reductionem onerum missarum, factasque

quæ antea confirment, juxta taxam episcoporum, vel synodorum, quoad anniversariorum, aliorumque onerum reducendorum stipendia.

12. Sexennium exercitium scribendi, & typis mandandi theologiam scholasticam, expositivam, dogmaticam, & moralem, sufficiat lectoribus jubilatis ad obtinendum titulum, & prærogativas bis jubilanti, judicio diffinitorii provinciæ, pariterque superioris generalis.

13. Ministris provincialibus Germano Belgicis non liceat guardianos instituere, etiam per compromissum suorum diffinitorum.

14. Si apud Germanos Belgico guardiani non instituantur per calculos, sed more antiquo; digniori patri non competat propositio eligendorum.

15. Commissarius generalis Indiarum in curia regis catholici habeat auctoritatem, etiam commissivam, admittendi ad habitum in provinciis suæ jurisdictionis.

16. Commissarii novæ Hispaniæ, & Peruviæ in iis, quæ conceduntur per statuta generalia, habeant in suis provinciis auctoritatem ordinariam; in aliis delegatam.

17. Conditiones, ut prominiſtri Indiarum, post capitulum generale, gaudeant privilegiis, extendandur ad custodes.

Sequuntur *Leges* congregationis generalis Toleti anno 1673. sub Didaco Fernandez commissario generali.

1. Omnes electiones, quæ fieri debent in diffinitoriis provinciarum, fiant per calculos albos, & nigros.

2. Si electio prominiſtri mittendi ad capitulum generale, ex voluntaria prolixitate præsidentis, absolvi nequeat intra XXIV. horas, devolvatur ad ministrum generalem.

3. Electiones prominiſtri, & custodis, & acta cætera, absque assistentia præsidentis, sint nulla.

4. Diffinitores generales subrogentur, servato semper jure nationum, & institutorum.

5. Si provinciæ pater dignior vocetur ad votum patris immediati, idem votum dumtaxat habeat; at in consessu gaudeat privilegiis patris dignioris.

6. Sit suspensus ab officio minister provinciæ, qui secundum leges non puniverit apostatas.

7. Pro victu apostatarum celebrentur pro conventibus Aracæli, & Matritensi a respectivis provinciis tot missæ ex dominicalibus, quot dies ipsi fuerunt in carcere.

8. Præfectus archivi generalis sit lector jubilatus, & duret per sexennium, quo absoluto laudabiliter, sit bis jubilatus.

9. Pro victu ejus, & scribæ superiores applicent singulis diebus duas missas ex dominicalibus, celebrandas a provinciis, a quibus ipse, & scriba respective fuerint assumpti.

10. Commissarius generalis cismontanus habeat duos secretarios generales, qui quoad precedentiam servent ordinis antiquitatem, & gaudeant privilegiis secretariorum generalium ordinis in familia.

11. Ordo præcedentiæ in posterum sit ut sequitur. Diffinitores generales, qui ministri in suis provinciis fuerunt, subsequantur immediate excommissarios curiæ. Post hos exdiffinitores generales, qui fuerunt per biennium secretarii ordinis. Deinde exdiffini-

fini-

finitores generales, qui neque provinciales fuerunt, nec secretarii ordinis. Post illos secretarii generales ordinis. Deinde ex ministri provinciales; postea exsecretarii, qui biennium expleverunt. Deinde excommissarii Novæ Hispaniæ, & Peruviæ. Ultimo exvicarii provinciales per biennium.

12. Secretarii generales actuales in propriis, alienisque provinciis, præcedant exministros, qui non fuerunt diffinitores generales, salva præcedentia patris antiquioris.

13. In generali comitio sedeant post diffinitores generales, & ministrum provinciæ, in qua habetur capitulum.

14. Ministri provinciales actuales extra provinciam habeant præcedentiam super exministros.

15. Literæ patentes jubilationis conditionalis non alium effectum producant in jubilato, nisi quod gaudeat titulo, & non possit per inferiorem amoveri a continuatione lecturæ.

16. Lector, qui plures lectoratus annos ad jubilationem computabiles habuerit, præcedat alios.

17. Fratres non sacerdotes communicent in quadragesima, & adventu feria quinta, festo infra hebdomadam non occurrente; aliis temporibus, singulis dominicis, & festis, etiam nostri ordinis primæ, et secundæ classis.

18. Capituli, vel congregationis generalis tempore, nihil in provinciis innovetur, & aliter factum sit nullum, dummodo tamen mora vocalium voluntaria, culpabilis, vel inutilis non interveniat.

19. *Pro Hispanis*. In qualibet provincia instituatur unum, vel duo studia theologiæ moralis, sub lectoribus, qui prius compleverint cursum artium, & per triennium docuerint theologiam scolasticam.

20. Jubilatis, qui in eisdem studiis legerint per sexennium, computetur idem tempus ad secundam jubilationem, & habeant votum in capitulo.

21. Qui per triennium legerit theologiam moralem in conventu Matritensi, si per novennium docuerit theologiam scholasticam, & per triennium artes, vel per duodennium theologiam scholasticam, sit jubilatus de justitia, & gaudeat præcedentia debita lectoribus primariis.

22. Prædicatores conventuales non gaudeant privilegiis, nisi habuerint XXIV. annos habitus, & XII. prædicationis actualis.

23 Secretarii provinciales sedeant post lectores primarios; deinde commissarii curiarum, excepto Matritensi. Exguardiani conventuum insigniorum habeant locum post secretarium superioris provinciæ.

24. Nemo possit alicui assignare præcedentiam supra lectores, & prædicatores conventuales; sed si concedenda sit, assignetur inter præfatos.

25. Vicecommissarius Hispalensis, si fuerit exdiffinitor, vel excustos suæ provinciæ, habeat votum in capitulo provinciæ. Si ita graduatus manserit per octennium in officio, sit pater suæ provinciæ post exvicarios provinciales biennales, cum jure subrogandi pro diffinitoribus.

26. Durante octennio, ab officio amoveri nequeat, absque causa allegata, & probata.

27. Nemo nostri ordinis curam gerat fundorum, & redituum monasteriorum tertii ordinis.

28. Si in monasterio sint tres sorores

res germanæ, duæ activam, & passivam vocem habeant, una suffragari possit, tertia exclusa.

LXXV. CAPITULUM GENERALE ROMÆ anno 1676 JOSEPH XIMENES SAMANIEGO. *Leges.* 1. Minister generalis, seu vicarius ordinis in fine triennii covocet patres diffinitorii generalis familiæ, ex qua commissarius generalis est eligendus, ipsoque ministro, vel ejus commissario præside, fiat per schedulas secretas, in vigilia Pentecostes, electio novi commissarii generalis.

2. Diffinitores generales capituli præcedentis ejusdem familiæ durent per sexennium, sicut alii diffinitores.

3. In congregatione hujusmodi lites per sententias dirimi possint, fieri declarationes dubiarum constitutionum, & decreta per triennium subsequens duratura; sed novæ leges in perpetuum condi non possint, neque veteres abrogari.

4. In capitulis generalibus vota provinciarum titularium, quæ actu non subsistunt, minime suppleantur per ministrum generalem.

5. Secretarii duo generales ordinis, qui ministro, aut vicario generali, pro una, & altera familia assistunt, habeant suffragium in capitulo generali tantum, sublato tertio secretario linguarum.

6. Minister, & custos cujuslibet provinciæ non adducant ad capitulum generale, nisi unum socium, & unum tertiarium.

7. Præsidentia thesium, & conciones in capitulo eodem distribuantur vocalibus, quantum cum honore religionis id stare possit.

8. Minister generalis electus emittat in manibus præsidis, coram capitulo, votum de non procuranda, nec acceptanda dignitate extra ordinem, quandiu manserit in officio.

9. Si promoveatur ad dignitatem, eamque ipse acceptaverit, fratres sint exempti statim ab ejus obedientia, & eligatur vicarius generalis. Idem statutum afficiat vicarium generalem.

10. Guardianus Terræ Sanctæ non amplius appelletur *reverendissimus*.

11. Instantiæ, quæ fieri solent in capella pontificia, pro actu beatificationis, vel canonizationis servorum Dei ordinis nostri, spectent ad solum procuratorem generalem, tam apud observantes, quam reformatos.

12. In studiis generalibus, quæ habent tres lectores, antiquior lectura legat theologiam dogmaticam, gaudeatque omnibus privilegiis in ordine ad jubilationem, alias, prorsus nullo gaudeat privilegio. Idem observetur apud reformatos.

13. Abrogentur apud ultramontanos vota pro capitulis provincialibus agentium ministri generalis, commissariorum curiarum particularium, commissariorum Terræ Sanctæ, visitatorum tertii ordinis sæcularium, magistrorum novitiorum, confessorum, seu vicariorum monialium.

14. Excipiantur ad hac lege confessores monialium, qui sex ad minus fratribus apud eas præsunt, ut superiores, & commissarii curiarum, ubi reges, vel principes absoluti aulam tenent, in quarum singulis unus tantum votum habeat eligendus a superiore generali.

15. In processionibus generalibus observantes, & discalceati sub una, eademque cruce incedant, ita ut guardianus observantium, seu præses di-

gnio.

Digitized by Google

gniorem teneat locum, & immediate sequatur guardianus, seu præses discalceatorum. Cæteri incedant ordine suo, præcedente semper in eodem gradu observante.

16. Commissarii generales Indiarum nequeant incorporare suos secretarios, socios, aut comites in aliqua provincia suæ commissionis.

17. Dotes monialium, & alimenta sæcularium, quæ educantur in monasteriis, non minuantur, nec ulla pro moniali indotata recipiatur. Ministri contrafacientes sint ab officiis suspensi; abbatissæ vero, ac discretæ monasterii sint eisdem privatæ.

18. In qualibet provincia cismontana observantium instituantur conventus recollectionis, qui sint primi, & secundi novitiatus. Iidem conventus non sint plures, quam quatuor, nec pauciores, quam tres, & in nullo eorum studium collocetur facultatis literariæ.

19. Nemo de familia in his locis ponatur, qui non possit observare præcepta regulæ, & vitam communem.

20. Nemo institui possit ibidem guardianus, qui in aliquo ipsorum immediate per biennium non sit commoratus.

21. Fratres criminosi, aut pro luenda pœna collocari ibidem, nequeant, nisi de consensu guardiani, & majoris partis discretorum. Possint tamen ad eosdem conventus divertere ii, qui per aliquot dies voluerint facere exercitia spiritualia.

22. Minister, visitationis, aut alia causa, accedens ad eosdem conventus, non possit secum ducere sæculares, vel alios fratres præter secretarium, & socium, sub pœna suspensionis ab officio per bimestre.

23. In conventibus novitiatus, & professorii reformatorum nemo collocari possit, qui communem vitam non sequitur.

24. Ex-ministri generales sint patres, diffinitores, ac discreti perpetui ordinis in utraque familia, licet ne biennium quidem expleverint.

25. Commissarius generalis possit mittere religiosos ad negotia absolvenda in aliam familiam.

26. Diffinitorium cujuslibet provinciæ instituat chronologum religiosum, prudentem, solertem, & eruditum, qui auctoritate capituli generalis circumeat provinciam suam, colligat monumenta, & formet relationem lingua latina, asservandam in archivo provinciæ. Ejus fidelia transcripta mittantur ad archivi præfectos Romæ, & Matriti.

27. Superior localis, sub pœna suspensionis ab officio per bimestre, non mittat fratres ad quæstuandum extra limites suos. Si quis eos transgressus fuerit, puniatur ut apostata.

28. Guardiani apud ultramontanos electi post capitulum provinciale possint manere in officio usque ad capitulum immediate sequens, etiamsi ob dilationem capituli intra semestre, triennium physice compleverint.

29. Guardiani conventuum recollectionis in Hispania mittant ad singula capitula, etiam intermedia, statum conventuum.

30. Liberum sit ministro generali, removere ab officio vicecommissarium generalem Hispalensem, prout expedire cognoverit, ad arbitrium.

31. Ut commissarii generales in Indiis gaudeant privilegiis, sufficiant duo an-

anni expleti, & tertius incœptus.

32. *Pro familia cismontana*. In capitulis provincialibus, etiam intermediis, fiant electiones singulorum guardianorum, tam inter observantes, quam reformatos.

33. Capitulum culparum habeatur tum singulis sextis feriis, tum in choro semel saltem in mense.

34. Qui prædicaverit in ecclesiis metropolitanis, vel insignioribus, aut principalioribus collegiatis, gaudeat titulo prædicatoris clarissimi, quem titulum nemo alius assumat, sub pœna privationis muneris, & tituli concionatoris.

35. Lectores jubilati de non numero teneant locum immediate post exdiffinitores.

36. Lectores generales habeant socium de corpore studii; non tamen ipsum habeant exlectores sexennales.

37. Commissarii visitatores nequeant visitare monasteria monialium, nisi eis expresse concessum sit in literis patentibus delegationis.

38. Socii confessariorum monialium, expleto triennio, nequeant confirmari in officio.

39. *Pro reformatis*. Prominístri, qui suffragati sunt in capitulo generali, habeant præcedentiam supra vicarium conventus, & sedeant immediate post diffinitores actuales.

40. Nisi guardianus absit a conventu, spatio unius dietæ, vicarius nec præcedentiam, nec primum locum teneat.

41. Procurator generalis in conventu S. Francisci Transtyberim gaudeat eisdem prærogativis honoris, & respectus, tam in refectorio, quam in sacristia, ac minister, & guardianus.

42. Nemo, quamvis habuerit licentiam a prælato generali, discedat a provincia, sub pœna apostasiæ, nisi de consensu, & licentia ministri sui.

43. Clerici, antequam ad studia admittantur, examinentur de sufficientia, studiisque vacet quisque in propria provincia.

44. Sacerdotes, qui studii causa commorati sunt extra provinciam, non gaudeant titulo, nec officio concionatoris, nisi ad propriam reversi, & examinati a ministro, & diffinitorio, habiles fuerint reperti.

45. Lectores, expleto duodecimo anno lecturæ, locum cedant aliis.

46. Lectores extra conventuum, in quo legunt, non præcedant proprium, nec alios guardianos provinciæ.

47. In duobus, vel tribus conventibus cujuslibet provinciæ habeatur publica lectio, bis qualibet hebdomada, theologiæ moralis, & semel saltem in hebdomada, theologiæ mysticæ, ac regulæ; cui etiam laici intersint.

Sequuntur *leges* congregationis generalis Romæ anno 1679. sub Antonio de S. Joanne commissario generali. 1. Nemo possit eligi in diffinitorem generalem, nisi habeat suffragium in capitulo generali, vel sit actu secretarius generalis familiæ; præterea nisi sit apprime versatus in theologia, substantialibus juris, & constitutionibus ordinis.

2. Duo ex eadem cognatione, quoad primum, & secundum gradum inclusive, nequeant simul interesse diffinitorio.

3. Minister, aut vicarius provincialis actualis, non possit assumi in visitatorem alterius provinciæ.

4. Defuncto aliquo fratre, statim

Digitized by Google

guardianus, & discreti faciant inventarium rerum ab illo relictarum, ac de iis disponat minister provinciæ, qui, si frater obierit in infirmaria, applicet ad ipsam omnes pannos lineos; sin extra, illos applicet ad communitatem conventus, cui etiam dabit vestimenta lanea. Libri ponantur in bibliotheca conventus. Pecuniæ, si quæ inveniantur, tradantur sindico provinciæ. Res minoris pretii dividantur inter fratres conventus de consilio guardiani.

5. Contrafacientes tam ministri, quam guardiani, suspendantur ab officio ad semestre.

6. Ministri, sub pœna privationis actuum legitimorum, reddant rationem, finito triennio, coram præside capituli, & novo diffinitorio, omnium eleemosynarum communium provinciæ, & cæterarum rerum suæ administrationis. Eidem pœnæ subjaceant, si reperiantur infideles.

7. Præfecti lanificiorum in singulis capitulis, & congregationibus intermediis reddant rationem de administratione facta, sub pœna privationis officii.

8. Idem agant, sub eadem pœna, aromatarii in visitationibus singulis coram ministro, aut visitatore, guardiano, & discretis conventus.

9. Lectores reformatorum instituti sine oppositione priventur lectura, vel a diffinitorio provinciæ, vel a superiore generali. Apud observantes talis institutio nemini computetur ad jubilationem.

10. Qui prædicationis officium saltem per triennium non exercuerit, non possit appellari prædicator.

11. Nemo instituatur lector artium, aut prædicator, nisi fuerit sacerdos.

12. In quolibet studio philosophiæ sit unus lector. In studiis theologiæ generalibus primæ, & secundæ classis, possint esse tres lectores. In provincialibus duo tantum.

13. In studiis reformatorum, ubi sunt XII. studentes, possint collocari tres lectores. In cæteris lectores sint duo tantum.

14. Lectores theologiæ in conventibus, ubi legunt, absente guardiano, vicario, aut præside ab eis delegato, si non adsit alius, qui jure ipsos præcedat, præsint communitati.

15. Lectores casuum, conscientiæ, duobus diebus, quibus legunt in hebdomada, exempti sint a choro.

16. Nemo mittatur ad studendum in alienam provinciam, nisi examinatus a ministro, cum toto, vel parte diffinitorii, vel, eo absente, cum aliquibus lectoribus, sub pœna ministro suspensionis officii.

17. Si quis reperiatur non idoneus, certior fiat superior generalis, nec sine novo ejusdem ordine licentiam eundi det minister provinciæ.

18. Superiores provinciarum non possint sub eadem pœna studentes recipere, sine literis testimonialibus de examine, & speciali prælati generalis licentia.

19. Lectoribus in aliena provincia, illa eadem provincia det vestimentum. Studentibus vero propria.

20. Nullus prædicator possit extra suam provinciam concionari, nisi de licentia superioris generalis, cum assignatione loci determinati.

21. Ministri provinciales teneantur, sub pœna suspensionis ab officiis per sex menses, mittere historicas noti-

Digitized by Google

notitias suarum provinciarum.

22. Cronologus generalis ordinis, post eruditum opus aliquod in lucem editum, ministri generalis judicio condignum, gaudeat inter exministros provinciales immediate.

23. Novitius, cui non habuerit ultra medietatem suffragiorum communitatis, statim expellatur.

24. Excustos modernior exdiffinitore, hunc præcedat, & ei anteferatur in subrogatione diffinitoris actualis.

25. Lectores theologiæ actuales præcedant secretarios curiæ Romanæ, secretarios provinciales, et exdiffinitores.

26. Commissarii Terræ Sanctæ non accedant ad capitulum generale; sed rationem reddant de eleemosynis coram ministro, & diffinitorio provinciæ, in qua sunt; eamque custos deferat ad capitulum generale.

27. Fratres forenses, & apostatæ sint immediate subjecti solis officialibus curiæ Romanæ in omnibus, ita tamen, ut singulis diebus forenses sacerdotes celebrent pro intentione guardiani Aracœli in ecclesia conventus, vel in alia, prout sibi a guardiano injunctum fuerit, & teneantur accedere ad funera, & processiones.

28. Non possint fratres forenses egredi a conventu sine licentia procuratoris, vel commissarii curiæ respective. Si egressuri sint cum socio de familia conventus, requiratur quoque licentia guardiani.

LXXVI. CAPITULUM GENERALE TOLETI anno 1682. MARINUS SORMANUS. *Leges*. 1. Magistri novitiorum, & guardiani conventus novitiatus, & professorii, sint constituti in anno XXXV. ætatis.

2. Si magister non ex voluntate sua, sed ex beneficio provinciæ, fuerit in officio per intervallum, possit aggregari nihilominus inter ex diffinitores, si per octo annos solares in eo officio laudabiliter se gesserit.

3. Si in conventibus novitiatus, aut professorii legerit per sex annos integros, & continuos capitulares theologiam mysticam, aut fuerit magister novitiorum, aliquis ex custodibus, vel diffinitoribus, actualibus, aut habitualibus, sive patribus quibuscumque aggregatis, gaudentibus privilegiis patrum, præcedat in posterum, unusquisque in ordine suo respective, alios patres antiquiores, qui ejusmodi munera non exercuerint. Inter se autem ipsi pręcedant juxta antiquitatem electionis.

4. Nemo pro tertiario, etiam inter reformatos, admittatur, nisi constiterit, eum alibi non fuisse receptum, & expulsum.

5. Tertiarius destinatus ad servitium unius conventus, vel provinciæ, non transeat ad servitium alterius, absque obedientia ministri, vel saltem sine literis testimonialibus superioris localis, sub pœna privationis officii contrafacientibus, & expulsionis ipsius, qui transierit.

6. Superiores, sub eadem pœna, assignent tertiario patrem spiritualem, qui ipsum doceat doctrinam Christianam, & cæremonias ordinis.

7. Nemo exsequi possit literas obedientiales superiorum majorum, sine licentia prælati provincialis, sub pœna apostasiæ, excepta urgenti necessitate, de qua judicent superior localis, & discreti, qui prælatum admoneant.

8. Ministri, ob publicam, gravemque necessitatem, possint mittere fratres ad loca provinciarum viciniorum; non tamen ad quæstuandum, nisi de con-

Digitized by Google

consensu interesse habentium.

9. Si contingat, fratres missos debere morari in provincia ultra mensem, certiorem faciant ministrum ipsius, qui nequeat ipsis licentiam dare egrediendi provinciæ limites.

10. Visitatores nequeant dare hujusmodi licentias, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, per triennium, & gravis apostasiæ subditis. Sed si occurrat necessitas, licentiam det minister provinciæ, de consensu visitatoris.

11. Euntes, & redeuntes a Terra Sancta, si Romam appulerint, subsint procuratori, vel commissario curiæ, sicuti cæteri forenses.

12. Loco diffinitorum, qui non sunt periti, adhibeantur alii pro judicibus in examine lectorum.

13. In quolibet conventu deputentur præfecti communitatis pannorum, qui si minus sedulo, & charitative officium egerint, & sint sacerdotes, priventur officiis per sexennium; si laici, per idem tempus nequeant applicari ulli ministerio, & teneant ultimum locum in suo ordine.

14. Superiores provinciales, & locales in eo negligentes, censeantur privati officiis suis.

15. Subrogati, vel substituti in diffinitorio generali, habeant præcedentiam post exministros, & guardianos Hierusalem, exsecretarios generales, & lectores jubilatos, apud observantes. Apud reformatos vero post exsecretarios generales, absque jure subrogandi.

16. Cæteris paribus, præcedentia competat custodibus supra prominiſtros, qui in capitulo Hispaniarum sunt suffragati.

17. Excustodes habeant præcedentiam supra exdiffinitores, etiam antiquiores in electione; quod intelligatur quoque inter reformatos, quoad jus subrogandi.

18. Lectores jubilati, qui ob defectum vacantiæ, non gaudent prerogativa jubilationis, præcedant patres aggregatos, & exdiffinitores.

19. Pater dignior subrogatus, si in subrogatione duraverit duobus annis physicis, non possit subrogari rursus, nisi post biennium.

20. Si in provincia fuerit quintus diffinitor, ipso vacante, nemo subrogetur; at vero in vacantia cujusquam ex quatuor, etiam præsente, & non vacante quinto, alius subrogetur.

21. Si aliquis debeat subrogari, & reperiatur guardianus, subrogetur, & guardiani munus exerceat, usque ad capitulum, vel congregationem.

22. Secretarius electus in guardianum, sit absolutus officio secretarii, & viceversa guardianus in secretarium electus, in eo munere non sit amplius guardianus.

23. Guardiani electi extra capitulum possint continuare in officio per triennium, & semestre, si dispenset prælatus generalis.

24. Si vicarius provincialis electus, ante captam possessionem, renuntiet, vel moriatur, dignior pater, qui præfuit electioni, possit iterum convocare patres ad electionem alterius vicarii provinciæ, absque alia facultate prælati generalis.

25. Mortuo visitatore, minister provinciæ eam regat, usque ad novi visitatoris deputationem, in iis tantum, quæ dilationem non patiuntur. Scripturæ defuncti serventur ab ejus secretario

Digitized by Google

tario munitæ minori sigillo provinciæ coram superiore,& discretis conventus.

26. Præses habeat votum decisivum in electionibus, quæ per ballottationes tantum, ipso proponente, fiunt; non iis, quæ, nomine proponente, fiunt per schedulas. Nec voto uti possit, nisi vota post tres vices inveniantur æqualia.

27. In locis, ubi sunt simul conventus observantium, et reformatorum, quæstuationes sint indistinctæ intra limites.

28. *Pro reformatis*. Qui integrum cursum philosophiæ, & theologiæ docuerit laudabiliter per duodecim annos, habeat ultimum locum inter exministtos, exvicarios provinciales biennales, exguardianos Hierusalem, & exsecretarios generales. Vocentur lectores *emeriti*, non autem jubilati.

29. Prædicatores,qui totidem annos præclare se gesserint in suggestis conspicuis,vel generalibus,habeant locum immediate post diffinitores actuales.

30. Exmagistri novitiorum per octennium sedeant post excustodes, & prominiſtros, qui suffragati sunt legitime in capitulo generali Hispaniarum; unusque ex lectoribus, unus ex prædicatoribus, & unus ex magistris, antiquior in suo quilibet munere, gaudere possit jure subrogandi.

31. Guardiani, sub pœna privationis officii, habeant librum magnum, in quo notent eleemosynas, & expensas quotidianas. Insuper librum, in quo notent onera missarum, & satisfactiones.

32. Singulis mensibus reddant rationem coram tribus saltem discretis conventus, etiamsi sindicus adesse non possit, sub eadem pœna, quam ministri provinciales infligant, alioquin puniantur ut complices.

33. In quolibet conventu sit archivum, in quo serventur scripturæ cum inventario ipsarum.

34. *Pro cismontanis*. Ex provincia, quæ habuerit diffinitorem generalem in capitulo præcedenti, non possit eligi aliquis in diffinitorem in capitulo immediate sequenti.

35. Lectura theologiæ scholasticæ in aliquo collegio sæcularium, aut conventu alterius ordinis, computetur ad jubilationem ei, qui institutus fuerit lector a provincia,dummodo singulis annis expleat septem continuos menses in lectura, & faciat exercitia literaria præscripta in statutis.

36. Fratres omnes regularis observantiæ sint capaces recipiendi gradus scholasticos usque ad lauream doctoralem in universitate, & obtinendi cathedras in ea, dummodo admittantur sine expensis, & cathedras regant absque stipendiis.

37. Clerici professi in provinciis recollectorum Galliæ præcedant laicos ubique.

38. In istituendis agentibus in curia Romana pro natione Gallica, & Germano-Belgica, servetur distributio inter provincias.

Anno 1685. Congregatio generalis Matriti sub præside Didaco Rhoas de Mediolano, & Juliano Chumillas commissario generali. *Lex* 1. Diffinitor generalis subrogatus teneat ultimum locum inter diffinitores generales actuales.

LXXVII. CAPITULUM GENERALE ROMÆ anno 1688. MARCUS ZARZOSA. *Leges*. 1. Nullus concionator regius admittatur ad usum privilegiorum sibi concessorum, nisi ap-

approbetur a diffinitorio generali, vel a generali ministro, de consilio, & assensu quatuor patrum diffinitorii familiæ, examinatis testimoniis fide dignis, quod concionator habeat requisita in statutis præscripta.

2. Inter concionatores regios præcedant ii, qui primo titulum, seu patentes literas receperint a majestatibus regum.

3. Præses capituli, vel congregationis, qui religiosum idoneum in guardianum eligendum proposuerit, & per vota excludi viderit, possit in alia sessione ipsum rursus proponere pro eodem guardianatu.

4. In electionibus guardianorum, aliisque, fiant tres tantum sessiones, una mane, secunda vespere, altera mane sequentis diei. In qualibet fiant tres propositiones diversorum fratrum a præside, &, si electio non sequatur, devolvatur ad prælatum generalem.

5. Etiam patres provinciæ, ipsique prælati teneantur celebrare missas in conventibus pro communitate, a qua aluntur. Superiores tamen conventuum permittant ipsis, si requirantur, ut aliquando celebrent missas aliquas pro suis parentibus, vel benefactoribus, dummodo ab eis non recipiatur stipendium.

6. Soli superiores locales possint petere ab episcopis conciones quadragesimales, maxime in oppidis vicinis, idoneosque prædicatores pro iis seligere. Si prædicatores ipsi petierint conciones, priventur prædicationis officio, & expellantur a conventibus.

7. Nullæ expensæ pecuniariæ fiant a procuratoribus particularibus causarum sanctorum, nisi consulto procuratore, vel commissario curiæ respective.

8. Commissarii Terræ Sanctæ extra curiam Romanam, etiam instituti a superiore generali, subsint jurisdictioni ministrorum provincialium, & guardiani conventus, in quo degunt.

9. Si moriatur commissarius nationalis apud Germano-Belgicos, possint vocales nationis proponere quatuor patres aptiores ministro generali, qui tamen, justa de causa, aliud possit determinare.

10. Nemo, sive vir, sive mulier in habitu tertii ordinis franciscani incedere permittatur, nisi de licentia superiorum nostri ordinis.

11. *Pro cismontanis*. Si quis cum obedientia superioris generalis discesserit a provincia, sine consensu in scriptis sui provincialis in illa provincia, in qua habuerint domicilium, puniatur ut apostata, & reversus in provinciam, tanto tempore teneat ultimum locum, quanto abfuit. Excipiatur casus urgentis necessitatis, judicandæ a superiori locali, & discretis.

12. Fratribus relegatis in alienam provinciam, vel in pœnitentiam detentis, propria nativa provincia det vestimentum in propria specie; secus, superiores provinciales sint suspensi ab officio per trimestre, aliasque pœnas incurrant.

13. Exministri sint præsentes cum ministro, & diffinitorio provinciæ, dum redditur computus lanificii.

14. Superior localis non permittat, ut qui solus accessit ad conventum, etiam cum legitimis facultatibus, discedat sine socio.

15. Si in capitulo non sequatur electio ministri provincialis, etiam inter reformatos, pater antiquior habeat sigilla provinciæ, salva auctoritate com-

Digitized by Google

commissarii visitatoris, cui una cum vocalibus procedere possit ad electionem custodis, & diffinitorum.

16. Loco diffinitoris generalis, qui non potest accedere ad congregationem generalem, subrogetur pater dignior illius nationis. Loco hujus, pater ordinis dignior, qui haberi potest commodius. Loco hujus, secretarius generalis ministri. Loco hujus, secretarius generalis commissarii. Loco hujus, pater dignior provinciæ, in qua habetur congregatio generalis.

17. Pro subrogatione reformatorum nullus vocetur de observantia, aut e converso.

18. Nulli instituantur lectores generales theologiæ in quarto loco. Tertii lectores in studiis provincialibus omnino deponantur, sicuti et secundi lectores philosophiæ.

19. Possint ministri provinciales, de consensu diffinitorii, ad sublevamen lectorum theologiæ, instituere lectorem mysticæ, regulæ, et casuum conscientiæ, qui sit prius legitime institutus lector theologus, & præcedentiam habeat lectorum philosophiæ.

20. Lector sic institutus, si per decem annos singulis hebdomadis, ter, scilicet semel mysticam, semel regulam, et semel casus conscientiæ legerit, sine intervallo, vel per duodecim annos cum intervallo, gaudeat præminentia patrum aggregatorum, cum præcedentia a die institutionis.

21. Eodem privilegio gaudeant iidem lectores, si legerint in conventibus recollectionis, salvis constitutionibus recollectionis.

22. Lectores theologiæ, etiam generales, et philosophiæ, singulis mensibus transmittant ad ministros attestationes, se præsedisse conclusionibus mensilibus, et hebdomadalibus, et satisfecisse proprio muneri, et ministri corrigant negligentes, eosque denuntient superiori generali, si non sit emendatio.

23. Vicarius chori conventus omnium Ss. Florentiæ, si per decem annos officium laudabiliter exercuerit, et fratres intruxerit in cantu Gregoriano, habeat locum ultimum inter patres aggregatos.

Sequuntur *Leges* congregationis generalis Romæ anno 1691. sub Antonio ab Introducò commissario generali, præsidente Josepho Falses 1. Non promoveantur ad studia primæ classis lectores, qui in inferioribus studiis per sex annos prius non legerint theologiam scholasticam.

2. Supprimantur studia generalia, in quibus præter lectores, non possint sustentari ex consuetis eleemosynis decem saltem studentes, cæterique officiales, confessarii, et loci servitio addicti, et in quibus non adsunt conventus regularium habentes studia, aut universitates.

3. Fiat in provinciis examen studentium, ex quibus ii solum studia prosequi permittantur, qui spem dederint proficiendi.

4. Si lector jubilatus maneat de familia in conventu extra provinciam, teneat locum ultimum inter jubilatos.

5. In provinciis sit semper numerus quatuor patrum aggregatorum, etiamsi patres multiplicentur.

6. Pater provinciæ, aut ordinis ex privilegio factus, det præcedentiam iis, qui ante ipsum fuerunt, et, si officium exercuerit, præcedat eos, qui eligentur.

7. Commissarius Terræ Sanctæ, præter expensas ordinarias, nullam aliam

Digitized by Google

aliam alicujus momenti, et præcipue in comparandis sacris paramentis, vasis aureis, et argenteis, facere possit expensam, nisi de consensu in scriptis superioris generalis familiæ, sub pœna privationis officii, aliisque. Idem sit de expensis extraordinariis procuratorum in causis Sanctorum.

LXXVIII. CAPITULUM GENERALE VICTORIÆ anno 1694. BONAVENTURA POERIUS, qui successit Joanni Alvin. *Leges*. 1. Superiores locales antequam, pro novitii professione, ultima communitatis vota exquirantur, sub pœna privationis officii memoriter a novitio recitari faciant regulam, et saltem per puncta substantialia declarationes Nicolai III., et Clementis V., lingua latina, aut vernacula.

2. Sub eadem pœna, ejusque loco, si cito essent officium expleturi, pœna privationis vocis activæ, et passivæ per triennium, superiores locales singulorum conventuum legi faciant in communi mensa easdem declarationes, mense Januario, et Julio, lingua latina, aut vernacula.

3. In capitulis provincialibus guardiani non admittantur ad suffragandum, nisi constiterit, eos cuilibet indigenti necessaria ministrasse. Guardiani, qui de hoc atiestationes ad capitula non detulerint, careant voce passiva in capitulo, et post ipsum etiam activa per duo triennia solaria.

4. Nemo deferat pileum, seu galerum nigrum, sub pœna, si superior fuerit, suspensionis ab officio per semestre, si subditus, privationis juris suffragiorum, et cui hæc pœna non competit, portet per annum signum probationis: si tertiarius fuerit, privetur habitu.

5. Procuratoribus causarum servorum Dei in conventu Aracæli non liceat habere sindicum particularem, in cujus manu servent eleemosynas; sed eæ tradantur sindico generali instituto a generali ministro.

6. Neque eis liceat sindico mandare, ut faciant apocas, nisi sint subscriptæ a ministro generali, vel, eo absente, ab officiali curiæ ejus familiæ, cui causa subest; exceptis apochis, quæ non excedunt summam quinque scutorum monetæ Romanæ.

7. Singulis mensibus, coram superiore generali, officiali curiæ suæ familiæ, aliisque patribus, arbitrio generalis, in ratiocinatores adhibendis, reddant rationem expensarum. Reperti infideles, amoveantur ab officio, et puniantur tamquam dilapidatores.

8. Non habeant, nisi unum sacerdotem, vel laicum in socium, et ad summum unum tertiarium, pro cujus victu provinciæ, ad quas causæ spectant, celebrari faciant missas in dies singulos pro conventu Aracæli.

9. Intersint choro, ecclesiæ, refectorio, nisi officio actu fuerint occupati, et negligentes corrigantur.

10. Si informationes, libelli, memorialia respiciant rem totius ordinis, non possint imprimi, sine licentia ministri generalis. Si rem familiæ, licentia petatur a familiæ prælato. Nec, nisi dum res aliqua provinciæ dilationem non patitur, consulto prius diffinitorio, possit superior provinciæ permittere, ut imprimatur, exceptis thesibus scholasticis.

11. Idem, quod superior provinciæ, possit quilibet officialis curiæ observantium, et reformatorum, circa scripturas in causis gratiosis, vel conten-

ten-

Digitized by Google

tentiosis, quæ ad officium suum pertinent, cum obligatione reddendi rationem superiori generali, si quid imprudenter scriptum sit impressum.

12. Nulla provincia erigi possit, nisi habeat saltem viginti conventus, inter quos sint aliqui ad primum, & secundum novitiatum, ad recollectionem, & saltem tres ad studia artium, & theologiæ.

13. Si aliqua provincia aliter erecta sit, careat voce activa, & passiva in capitulis generalibus, donec ad numerum, & qualitatem prædictam conventuum pervenerit.

14. Prælati duos tantum titulos in literis patentibus apponi faciant, ex ordine prodeuntes, præter eos, qui ex occupationibus honorificis extra ordinem sibi proveniunt.

15. Ministri provinciales, & visitatores possint duobus titulis adjungere titulum paternitatis ordinis actualis, vel habitualis, qua gaudent.

16. Si ante discessum a provincia proministri electi ad suffragium ferendum in capitulo generali, cesset incommodum, seu impedimentum ministri, vel vicarii provincialis, vel alias velit minister etiam cum suo incommodo ad capitulum generale se conferre, nullum amplius jus eundi habeat prominister, sub pœna apostasię, & privationis actuum legitimorum.

17. Post initam a visitatore officii sui possessionem, ad ipsum spectet deputare præsidentes in conventibus, in quibus est vacantia guardiani.

18. Procurator generalis, & commissarius curiæ eligantur in capitulo generali per vota secreta, & ballottationem vocalium provincialium familiæ respective, proponente ministro generali; & semel electus duret usque ad sequens capitulum generale.

19. *Pro ultramontanis*. In Romana curia resideant semper saltem duo diffinitores generales actuales, seligendi per turnum a ministro, vel commissario generalibus, & sint apud superiorem generalem per integrum biennium, adducendi Romam, alendi, & reducendi in provincias, expensis suarum provinciarum.

20. Si ipsi diffinitores habuerint laicum pro socio, provinciæ celebrari faciant missam quotidianam in beneficium conventus, qui eos aluerit.

21. Diffinitores vocati, ad curiam culpabiliter recusantes accedere, officio priventur, & licet per biennium in officio fuerint, nulla gaudeant praeminentia.

22. Prælati generalis consultatio secreta componatur ex præfatis duobus diffinitoribus, discretis perpetuis ordinis, aut familiæ, & officiali curiæ, exclusis diffinitoribus, qui vere subrogati non sunt, sed tantummodo substituti.

23. In negotiis totius observantiæ utriusque familiæ, ad consultationem vocentur pariter officialis curiæ alterius familiæ, ejusdemque discreti perpetui, & diffinitores generales, non tamen substituti, necnon agentes generales nationum, quarum diffinitores generales non sunt in curia, si de earum nationum rebus agatur.

24. Si totius ordinis res agatur, vocentur procurator generalis reformatorum, eorumque diffinitores generales actuales, vel subrogati, præsentes in curia.

25. Nemini, sub pœnis gravissimis, liceat revelare ea, quæ discussa

Digitized by Google

sunt in consultatione, cuipiam extra ipsam.

26. In eadem negotiorum cathegoria iidem sint assessores, quos adhibebit procurator generalis, aut commissarius curiæ, assistente secretario curiæ, non secretario generali, licet adsit superior generalis.

27. Singulis annis, quatuor provinciæ per turnum designandæ a superiore generali, eidem, secretario ejus, scriptoribus, & reliquæ familiæ, dent necessaria pro decenti, ac debito religioso vestimento.

28. Secretariæ observantium conventus Aracælitanus provideat lucernas, oleum, papyrum, atramentaria, atramentum, pulverem, calamos, hostiam, ceram sigillarem, & alia, eo pacto, ut provinciæ non taxatæ pro vestimento, celebrent duas missas quotidianas, jussu superioris generalis.

29. Secretariæ reformatorum provideant provinciæ strictioris observantiæ. Secretariæ vero alterius familiæ, & linguarum, si aderit, provideant superiores generales.

30. Custos post reditum in provinciam, a capitulo generali, præcedat prominiſtrum, si hic non fuerit subrogatus, vel susbstitutus in diffinitorio generali.

31. Jubilatus de non numero, si fuerit custos, vel diffinitor, præcedat jubilatos de non numero, licet antiquiores, servata antelatione modernioris excustodis supra antiquiorem exdiffinitorem, & inter pares, prioritate electionis.

32. Extra provinciam tam jubilati numerarii, quam extranumerarii dent præcedentiam iis, qui pari jure gaudent.

33. Nemo sit lector generalis theologiæ in studio primæ classis, nisi per tres, vel quatuor annos theologiam legerit in studiis inferioribus generalibus, vel provincialibus.

34. Non admittatur ad concursum pro theologia is, qui triennio non absolverit integrum cursum philosophiæ.

35. Instituantur a prælato generali in familia ultramontana duo chronologi, unus ex observantibus, alter ex reformatis, qui colligant acta congregationum generalium.

36. Curabit superior generalis, ut opera chronologi observantis subjaceant censuræ revisorum reformatorum, & e converso.

37. Commissarii Terræ Sanctæ continuent officium ad arbitrium ministri generalis, & habeant unum socium, & ad summum unum tertiarum.

38. Retieant etiam unam clavem eleemosynarum, altera remanente apud sindicum. Ita Innocentius X. *cum sicut*. Anno 1.

39. Commissariorum personæ sint subjectæ immediate generalibus prælatis; eorum vero socii provinciali ministro, & superiori locali pareant, quoad regularem disciplinam.

40. Vicecommissariorum Terræ Sanctæ institutio privative spectet ad ministrum generalem.

41. Quæstuatores pro Terra Sancta missi a commissario, vel vicecommissario Terræ Sanctæ, guardianis locorum se præsentent, eis exhibeant suas facultates, nec, seclusa necessitate, pernoctent in domibus sæcularium; secus detineantur in custodia, & puniantur, destinatis aliis ad quæstuationem, & admonitis commissario Terræ Sanctæ, ac prælato generali.

42.

42. Nemo eorum colligat triticum, oleum, vinum, caseum, aliaque similia, sub pœna privationis officii commissariis ipsis, nisi in portibus maritimis, & moderate, sine præjudicio conventuum.

43. Singulis sex mensibus commissarius reddat rationem prælato generali, si præsens fuerit, coram aliquibus gravioribus patribus; secus ministro, & diffinitorio provinciæ; aut, si ii defuerint, guardiano, & discretis conventus, in quo ipse immoratur, excepto commissario Matritensi, qui non teneatur rationem reddere prælatis inferioribus.

44. Sindici Terræ Sanctæ instituti nequeant, nisi a ministro generali, & in casu repentino etiam a ministro provinciæ, cum clausula: *donec minister generalis provideat*.

45. Vicarius chori conventus S. Francisci Matriti post decem annos laudabiliter expletos, sine intervallo, sedeat post lectores jubilatos, nondum habentes votum, prædicatores generales, commissarium curiæ, & lectores theologos actuales, gaudeatque privilegiis exdiffinitorum, absque jure subrogandi.

46. Doctores, regentes, sive conventuales nationis apud Gallos gaudeant in universitate honore, & privilegio doctorum; sed in ordine non censeantur jubilati, nisi habuerint requisita ad jubilationem.

LXXIX CAPITULUM GENERALE ROMÆ anno 1700. LUDOVICUS DE LA TORRE, qui successit Bonaventuræ Poerio, & Matthæo a S. Stephano. *Leges*. 1. Ab oratione mentali lectores non sint exempti.

2. Votum emittendum a ministro, & vicario generalibus de non procuranda dignitate extra ordinem &c. emittatur etiam a commissario, & vicecommissario generalibus.

3. Si quis eorum petat absolutionem a voto, censeatur absolutus ab officio. Si sedes apostolica cum eis motu proprio dispenset, dispensationem notificent sub pœna perjurii, & si non renuntiaverint immediate, absolvantur pariter ab officio.

4. Qui acceptaverit dignitatem, post renuntiationem officii non præsit novæ electioni, sed ei præsit pater dignior, cui in casu mortis id competit.

5. Secretarii etiam visitatorum, antequam officium exerceant, edant juramentum in forma coram superiore, cujus sunt secretarii.

6. Commissarius visitator nequeat eligi in ministrum provinciæ, sive suæ, sive alienæ, quam visitat, sive capitulo præsideat, sive non, sub pœna nullitatis electionis, & privationis in perpetuum vocis activæ, & passivæ electoribus.

7. Prælati generales non possint dispensare in statuto de non habendo quartum lectorem.

8. Si quis habitum cum caputio, vel sine ipso, propria auctoritate vendiderit, vel commutaverit privata auctoritate, puniatur ut proprietarius.

9. Superiores nemini extra ordinem concedant deferre caputium.

10. Nemo appellare queat de correctionibus in foro paterno, absque sententia judiciali inflictis, aut de mutatione de uno in alium conventum.

11. Secretarius generalis ultramontanus in sua familia præcedat cismontanum, & cismontanus in cismontana ultramontanum, nisi aliquis eorum

Digitized by Google

sit diffinitor, vel exdiffinitor generalis.

12. Custodes, post suffragium ab eis latum in familia ultramontana, præcedant cæteros exdiffinitores, non tamen in jure subrogandi.

13. Diffinitores generales non possint eligi in guardianos, sub nullitate electionis.

14 Superior, ad quem electio devolvitur, nequeat eligere exclusum a primis electoribus per vota secreta, nisi in casu, quo exclusus, in discussione meritorum, fuerit approbatus a majori parte diffinitorii.

15. Minister, aut vicarius, qui remanserit in provincia, post discessum custodis ad capitulum generale, non possit celebrare congregationem intermediam, sed expectet omnio illius reditum, nisi ex malitia ille reditum distulerit, aut gravi causa.

16. Si vacet officium custodis, profecto jam ministro, aut vicario ad capitulum generale, alius custos eligi nequeat.

17. Post discessum custodis, si moriatur minister, vel vicarius, eligatur novus vicarius, qui si suppetat tempus congruum, accedat ad capitulum generale.

18. Si minister, vel vicarius remaneat in provincia, durante absentia prominiſtri, & custodis, possit visitari provincia. Eam tamen non visitet commissarius provincialis, si jam a ministro, vel vicario fuerit visitata, nisi habuerit specialem visitandi commissionem. Nullo autem modo visitare possit ipse monasteria monialium.

19. Si necessario facienda sit electio abbatissæ in aliquo monasterio, illam per se, vel alium faciat commissarius provincialis cum voto, in absentia vocalium, qui profecti fuerint ad capitulum generale.

20. Si minister, vel vicarius non exierint a provincia, expectetur reditus vocalium, ad hoc, ut eligi possit aliquis guardianus in casu mortis.

21. Nullæ petantur gratiæ etiam spirituales, absque licentia in scriptis superiorum, vel custodialium cum jurisdictione, vel provincialium, vel generalium respective, sub pœna privationis actuum legitimorum subeunda per sexennium.

22. *Pro ultramontanis*. Discretorium capituli generalis componatur ex duodecim assumendis ex omnibus totius familiæ vocalibus.

23. Nemo minister provincialis, visitator, commissarius nationalis, privet aliquem religiosum voce activa, & passiva, aliisque pœnis gravioribus afficiat, nisi confecto processu, & audito reo.

24. Tertius lector in locis, in quibus permittitur, non possit institui, nisi a superiore generali.

25. Prædicatores duodennales conventus, qui actuali prædicationi vacaverint, & per triennium prædicaverint in quadragesima in uno ex duobus, vel tribus conventibus principalioribus provinciæ, sint prædicatores generales, & gaudeant præcedentia in sua provincia, tamquam si essent prædicatores actuales, obtentis declaratoriis literis a superiore generali familiæ.

26. Scriptoribus generalium superiorum post sexennium superiores ipsi assignent præmium conveniens.

27. Superiores provinciarum assignent præmia secretariis suis post triennium, dummodo non concedatur eis

Digitized by Google

eis præcedentia supra lectores theologiæ, & ante assumptionem fuerint guardiani per biennium laudabiliter.

28. Nemo mittatur in exilium, vel dimittatur ad benevolum receptorem, nisi de licentia prælati generalis, vel habito consensu provinciæ, ad quam, sub pœna suspensionis ab officio.

29. Exdiffinitores generales, qui antea non fuerunt ministri provinciales, habeant præcedentiam non solum supra exministros, qui post diffinitoratus munus expletum ad ministeriatum sunt promoti, seu ministros futuros, sed etiam illos, qui ante promotionem diffinitorum generalium, ad ministeriatum assumpti fuere.

30. Exministri, exvicarii generales, excommissarii, & exvicecommissarii familiæ completo tempore per statuta præscripto, gaudeant suffragio in diffinitoriis, & capitulis suæ provinciæ, absque præjudicio voti patris dignioris.

31. Magistri novitiorum, vicarii chori in duobus principalioribus provinciæ conventibus, post quindecim exercitii annos, & visitator tertii ordinis post annos duodecim, apud Hispanos, gaudeant præcedentia prædicatorum generalium.

32. *Pro cismontanis*. Secretarii provinciales post triennium teneant ultimum locum post diffinitores, quorum secretariatus functi sunt, absque jure suffragandi. Scriptores vero generales sedant, sexennio expleto, post patres aggregatos in suis provinciis.

33. Nulli lectorum sive observanti, sive reformato, sub pœna privationis lecturæ, liceat de conventu exire, die, qua alius ejusdem conventus lector conclusiones habuerit publicas, aut privatas.

34. Sub eadem pœna, nemo defendat conclusiones in alio conventu, quam in eo, in quo est lector, alias ipsi non dentur literæ jubilationis.

35. Nonnisi ex necessitate valde urgenti permittatur lectoribus, etiam reformatis, exire ad concionandum tempore quadragesimæ; &, si exierint, suppleant deinde tempore consuetæ vacantiæ. *Hæ leges fuerunt acceptatæ a sola familia ultramontana*.

LXXX. CAPITULUM GENERALE ROMÆ anno 1723. LAURENTIUS DE S. LAURENTIO, qui successit Idelphonso de Biezma, & Josepho Garcia. *Leges*. 1. Locum lectoris jubilati de numero, qui potiorem titulum adeptus fuerit permanentem, ac perpetuum, aut se abdicaverit privilegiis suæ jubilationis, occupet in provincia lector jubilatus de non numero antiquior.

2. Serventur, aut, si inversi fuerint, vel nondum firmati, constituantur limites conventuum pro eleemosynis colligendis, a superioribus provinciarum respective.

3. Si minister provincialis legitime institutus, quacumque ex causa, nunquam exercuerit officium, teneat ultimum locum inter exministros.

4. Deponatur ab officio guardianus, qui mediate, vel immediate pecunias, vel schedulam pro pecuniis dederit subditis, pro vestimento, aut re alia comparanda. Ministrum negligentem hanc ipsi pœnam infligere suspendat ab officio superior generalis.

5. Munera ministri provincialis, & officialis curiæ sint incompossibilia in eadem persona.

6. Minister provincialis, qui una fuerit diffinitor generalis, & accedere de-

debeat ad capitulum generale, non possit ad idem mittere prominiſtrum, sed solus ipse unicum in illo suffragium ferat.

7. Ubicumque impertienda sit benedictio, & aqua lustralis fratribus aspergenda, in absentia guardiani, id fiat a vicario ejus, etiam præsente patre digniori.

8. Absente superiore generali a residentia sua, minister provincialis præcedat omnes patres reverendissimos, quamvis majores se. Similiter absente etiam ministro provinciali a residentia, sua, guardianus in eisdem circumstantiis præcedat patres eosdem reverendissimos.

9. Exdiffinitores generales, qui non fuerunt antea ministri provinciales, præcedentiam habeant, etiam supra exministros provinciales anteriores; idque valeat in utraque familia, etiam quantum ad reformatos, recollectos, & excalceatos. *Nota*. Lex pro ultramontana familia fuit statuta in capitulo generali LXXIX.

10. Concionatores regis catholici, concurrentibus conditionibus, quæ exiguntur per constitutiones generales, non gaudeant privilegio patrum provinciæ, nisi sexennio integro prædicatoris officium opere exercuerint.

11. Extendatur ad familiam ultramontanam statutum cismontanæ, quo cautum fuit, ut, elapso triennio, & semestri a capitulo ultimo provinciali, atque adeo tunc diffinitorio, & guardianis, activa voce pro insequente capitulo destitutis, superior generalis possit eis restituere vocem, de consilio, & consensu graviorum provinciæ patrum, in qua erit idem superior.

12. Statuta familiæ ultramontanæ pro custodum privilegiis suffragantium in capitulo generali ultramontano, valeant etiam pro custodibus provinciæ Franciæ Parisiensis.

13. Custodes, & prominiſtri nationis Germano-Belgicæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, & Indiarum occidentalium, & orientalium accedentes ad capitula generalia, gaudeant privilegiis, & præcedentia post habentes votum in capitulis provincialibus, & post lectores jubilatos, dummodo requisita habeant, quæ postulantur per statuta generalia ultramontana.

14. Instituatur in singulis provinciis Novæ Hispaniæ, & Peruviæ, unus, vel alter lector linguarum pro utilitate missionariorum, qui post exactos duodecim annos gaudeant privilegiis prædicatorum sexennalium.

15. Qui in eisdem provinciis fuerint parochi in parrochiis actualium conversionum, duodecim annis, gaudeant prærogativis prædicatorum generalium.

16. Lecturæ philosophiæ, & theologiæ in provinciis conferantur per oppositiones, seu concursus.

17. Judices oppositionum in familia cismontana sint minister provinciæ, actuales patres diffinitorii, qui aut jubilati, aut sexennales, aut actuales lectores theologiæ sint, patres ordinis, exprovinciales jubilati similiter, vel sexennales, & duo patres antiquiores jubilati.

18. In deficientia alicujus e diffinitorio, qui careat his conditionibus, advocentur lectores actuales theologiæ, qui si præsto non sint, advocentur alii, qui theologiam docuerint.

19. Superior generalis possit, etiam sine concursu, instituere lectorem ge-

ne-

Digitized by Google

neralem eum, qui lecturam artium expleverit in conventu de Aracæli, isque, si reperiatur lecturæ locus in propria ipsius provincia, ad illam destinetur.

20. Studiosi omnes clerici, & sacerdotes studeant in suis respective provinciis, exceptis provinciis ultramarinis, exceptisque quatuordecim sacerdotibus, & sex clericis evocandis ad studium Aracælitanum.

21. Studium philosophiæ Aracælitanum constet duodecim clericis, quorum sex sint provinciæ Romanæ, cæteri exteri.

22. Theologiæ studentes ibidem sint viginti quinque sacerdotes, quorum septem sint provinciæ Romanæ, quatuor ex provinciis S. Ladislai, Poloniæ minoris, Poloniæ majoris, & Prussiæ, quatuordecim ex aliis provinciis cismontanis.

23. Studia theologiæ secundæ classis reducantur ad duos lectores, & in provinciis non habentibus studium primæ classis sufficiat ad jubilationem legisse, tempore debito, in studio secundæ classis.

24. Nullus admittatur ad oppositionem pro cathedra theologiæ, nisi adimpleverit triennium philosophiæ, & nisi, quantumlibet ingenio præstans, moribus sit probatus.

25. Lectores actuales philosophiæ, & theologiæ a provinciis instituti possint amoveri a lecturis suis ab integro diffinitorio in capitulis, & congregationibus tantum, & a superiore generali extra idem tempus, ob causam cognitam tum ipsi, tum provinciæ diffinitorio, lectori amovendo haud necessario manifestandam.

26. Lectores amoveantur a lectura per superiorem generalem, nisi miserint ad eum testimonium diffinitorii, se conclusiones mensiles habuisse.

27. Si lectores actuales distracti fuerint a lectura, de quorumcumque superiorum permissu, vel jussu, etiam ad negotia ordinis, vel provinciæ, tempus computetur eis ad jubilationem, tamquam non interruptum.

28. In unoquoque studio generali collocentur de familia duo saltem lectores jubilati, sive de numero, sive non, quorum alter, arbitrio superioris generalis, sit præfectus, aut vicemgerens præfecti.

29. Guardianus pro tempore S. Francisci Lucæ gaudeat prærogativis concessis guardianis conventuum præcipuorum, & insigniorum.

30. Minister generalis eligat opportunum ministrum pro provincia Albaniæ, ad eamque transmittat toties, quoties opus sit.

31. Eleemosynæ, quæ concionatorum laboribus acquiruntur, insumantur tantummodo in servitium publicum provinciarum, ad placitum unicum totius diffinitorii.

32. Puniantur, arbitrio diffinitorii, guardiani, qui non impetrato prius ejusdem consensu, fecerint expensam excedentem decem aureos.

33. Provincia S. Petri de Alcantara discalceatorum Neapoli gaudeat voce activa, & passiva in capitulo generali, sicut aliæ provinciæ.

34. Minister functus officio in aliena provincia, redux ad propriam non præcedat illum, qui in propria provincia fuit vicarius provincialis per biennium.

35. Vicecommissarii generales observantium, & reformatorum, gaudeant privilegiis suorum respective officio-

ficiorum, quamvis non absolverint integrum tempus requisitum per constitutiones ordinis.

36 Collegiatæ, in quibus opus est, ut prædicent ii, qui præeminentiis, & titulo prædicatoris clarissimi decorari volunt, sitæ sint in locis, ubi ad minus in duabus ecclesiis per quadragesimam quotidie prædicatur.

37. Minister provinciæ Bulgariæ possit mittere alumnos suos ad provincias etiam non finitimas, ad præsentiam ministrorum provincialium, qui assignent ipsis collocationem in studiis, eosque provideant de indumentis, & aliis necessariis.

38. Si alumnus unius provinciæ in carceribus alterius provinciæ detineatur, provincia, cujus est alumnus, teneatur, tot sacra legere in levamen conventus, in cujus carceribus custoditur, quot erunt dies detentionis illius, & sustentationis.

39. Provinciæ observantium cismontanæ solvant quotannis pro rata centum aureos, pro indumentis fratrum provinciæ Albaniæ, colligendos, & expendendos, prout disposuerit superior generalis.

40. Quantum ad præcedentiam inter excustodes, exdiffinitores, lectores generales, & jubilatos, serventur respective consuetudines provinciarum.

41. Amanuenses actuales, & habituales superiorum generalium possint eligi in custodes, ac diffinitores.

42. In provinciis ultramarinis possint ad custodis, & diffinitoris officium assumi etiam illi, qui non sunt lectores jubilati, aut exguardiani per sexennium, aut exguardiani per quadriennium completum ad minus in conventibus principalioribus studiorum generalium, vel novitiatus, aut lectores sexennales triennio functi guardianatu, aut sexennio magistri novitiorum, & triennio guardiani, aut concionatores clarissimi cum triennio guardianatus, aut triennio guardiani, & triennio secretarii provinciæ, aut lectores generales actuales habentes sexennium lecturæ generalis.

43. Exsecretariis generalibus ut fruantur privilegiis sibi concessis, sufficiat tantum inchoatum triennium secretariatus.

44. Gaudeant præcedentia etiam extra propriam provinciam, ultimo loco suæ cathegoriæ, & præcedant lectores jubilatos de numero in propriis, alienisque provinciis.

45. Lectores, qui interpolaverint lecturas, excepto casu infirmitatis, tot diebus arithmetice officium suppleant, quot ipsum non exercuerunt; alias non promoveantur ad jubilationem, vel aggregationem.

46. Priventur munere prædicandi ii prædicatores, qui erexerint Viam Crucis in locis non subjectis jurisdictioni ministri generalis.

47. In provinciis reformatorum, in quibus non exsistunt conventus recollectionis, continuo erigantur; secus ipsarum nulla, in qua hujusmodi conventus instituti non fuerint, induat, vel recipiat novitios.

48. Commissarius visitator filius custodiæ Transylvaniæ possit in eodem capitulo, cui præsidet, eligi in custodem provincialem; secus vero si is fuerit alumnus alterius custodiæ, aut provinciæ.

49. Lectores actuales theologiæ inter reformatos in illis tantum conventibus gaudeant præcedentia, in quibus le-

Digitized by Google

legunt, necnon in capitulis, & congregationibus, tam provincialibus, quam generalibus, ad quæ, ut exercitationes scholasticas habeant, evocantur.

50. Item inter ipsos, non exsistentibus guardianis intra limites suis conventibus assignatos, vicarii præcedant diffinitores actuales, & provinciæ patres.

51. Guardianis intra præfatos limites exsistentibus, præcedentia vicariis non competat, licet ad eos spectet, benedictionem ferre, & aquis sacris communitatem aspergere, si guardiani non adsint, dum talia de more sunt præstanda.

52. Comitatus guardiani Hierosolymitani in Terram Sanctam proficiscentis non excedat quatuor religiosos probos, & idoneos, ad ejus placitum eligendos.

53. Pro servitio conventuum omnium, & hospitiorum Terræ Sanctæ assignetur numerus sexaginta laicorum, & centum sacerdotum, qui tamen non sit arithmeticus, neque impræteribilis, ut, admonente discretorio Terræ Sanctæ, a superiore generali augeri non possit.

54. Si superior generalis velit iterum mittere in Terram Sanctam religiosum aliquem redeundi cupidum, exquirat prius discretorium ejusdem Terræ Sanctæ de moribus, & idoneitate ipsius.

55. Si quis, expleto triennio, in locis sanctis permanere cupiat, & proficuus inveniatur, retineatur, arbitrio discretorii Terræ Sanctæ.

56. Privilegium commissariorum Terræ Sanctæ exsistentium in curiis principum extendatur ad procuratorem generalem Hierosolymitanum, post duodecim annos suæ procurationis expletos.

57. Ex unaquaque commissione Terræ Sanctæ non destinetur, nisi unus frater, quantum fieri poterit, ad eleemosynas Hierosolymam transvehendas.

58. Commissarius tertii ordinis in Urbe, vel ejus gerens vices, non concedat consuetas patentes literas, nisi illis, qui vel de sua in tertium ordinem receptione testimonia authentica ipsi exhibuerint, vel protulerint validas literas obedientiales a ministris provincialibus sibi formaliter expeditus.

Nota. Præfatæ leges capituli generali LXXX., jussu Benedicti XIII., revisæ fuerunt, & approbatæ anno 1728. die 18. Decembris, a Cardinali Laurentio Corsino protectore ordinis, & a Cardinali Laurentio Cozza, qui authenticis literis testati sunt, eas nedum Seraphici Patriarchæ regulis uniformes esse, & consentaneas, verum etiam maximam universo, publicoque ordinis bono, recto provinciarum regimini, ac exoptato fratrum omnium profectui utilitatem allaturas. Eas præterea idem pontifex Benedictus XIII. confirmavit speciali diplomate: *Ad pastoralis*. Anno V.

LXXXI. CAPITULUM GENERALE MEDIOLANI anno 1729. JOANNES DE SOTO, qui successit Matthæo de Pareta.

Leges. 1. Sancti, qui ex vita migraverunt ante divisionem ordinis, denominentur *ordinis minorum*, absque alio addito.

2. Qui postea decesserunt inter observantes, excalceatos, reformatos, recollectos, capuccinos, & conventuales, denominentur nomine proprio cuique membro.

3. Fratres omnes observantes, reformati, excalceati, recollecti, & tertii ordinis, subiecti ministro generali, utantur in officio, & missa conventua-

Digitized by Google

li, saltem diebus festis, præsertim solemnibus, cantu Gregoriano, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ superioribus localibus.

4. Statuantur pro utraque familia agentes generales, pro causis beatificationis, & canonizationis SS, nominandi a superioribus generalibus respective.

5. Agentibus reddatur ratio semel in anno a postulatoribus particularibus, de expensis factis, & perceptis eleemosynis, quæ communicentur etiam superioribus generalibus, & officialibus curiæ.

6. In omnibus conventibus promoveatur confraternitas Immaculatæ Conceptionis ordinis nostri patronæ, & fiat methodus pro illius directione.

7. Sint quoque statuta, pro tertio ordine sæculari dirigendo, in omnibus provinciis communia.

8. Celebretur S. Dominicus majori nobis permisso cultu, & generali magistro ejus successori præstetur eadem obedientia, reverentia, & obsequium quæ exhibentur ministro ordinis nostri.

9. Si is accesserit ad civitates, & oppida, in quibus sunt conventus ordinis nostri, & non adsunt conventus ordinis prædicatorum, teneantur prælati nostri ab eo enixe petere, ut in nostris, sicut in propriis, hospitari velit, cui adhuc majora reverentiæ, & servitutis obsequia præstabunt, quam ministro nostro accedenti exhiberent.

10. Si conventum sui ordinis habeat, & ad illum accedat, tota communitas conventus nostri in illum opportuno tempore pergat, ad eum excipiendum, ipsique obedientiam præstandum, ab eoque benedictionem S.P. Dominici recipiendum.

11. Fratres hospites ejusdem ordinis benigne recipiantur, & perhumaniter tractentur, & a prælatis localibus non solum invitentur, sed suppliciter cogantur accedere.

12. Teneantur fratres minores, religionis prædicatorum progressus, incrementa, & honorem verbo, & opere solicitare, quasi utrique religioni, jure fraternitatis, communia.

13. Sub pœna privationis officiorum, aliisque, superiorum arbitrio, infligendis, nemo deinceps in controversiis scholasticis, verbo, vel scripto, minus reverenter taxet notis, censuris, aut exagerationibus, opiniones a Thomistica schola communiter sequutas, aut alicui illarum notam impingat.

14. Subjaceat pœnis statutis contra pertubatores pacis, & infamatores ordinis nostri, is, qui tentaret scribere, aut loqui contra sacrum ordinem prædicatorum, vel inter eum, & nostrum zizaniam, aut discordiam seminaret.

15. In qualibet provincia deputetur religiosus idoneus, qui componat chronicam propriæ provinciæ.

16. Fratres minorum de observantia appellentur vel absolute fratres minores, juxta bullam unionis, vel fratres regularis observantiæ S. Francisci.

17. Officiales curiæ Romanæ, pro itinere ad capitulum generale, subsidium recipiant a suis respective provinciis, sicuti pro diffinitoribus cautum est.

18. In omnibus negotiis arduis, & gravioribus, superiores generales consilium adhibeant patrum ordinis, si commode haberi possint.

19. Dum ad subrogationes per statuta vocatur pater dignior in provinciis cum clausula: *Dommodo non sit perpetuo impeditus*; impedimentum illud, quod

Digitized by Google

quod faceret, ut is non possit eligi, efficiat, nt non possit subrogari.

20. Scriptores inservientes curiæ superiorum generalium per octo annos, computentur inter patres aggregatos. Qui inservient inter reformatos, habilitentur ad gradus, usque ad custodiatum.

21. Tertiarii inservientes conventibus, post quatuor annos a susceptione habitus, inchoent novitiatum, & emittant professionem tertii ordinis. At id non impediat, quominus, justa causa urgente, a ministris provincialibus post professionem expellantur, & sub vestitu sæculari dimittantur.

22. Ubique locorum observetur bulla præcedentiæ observantium supra reformatos, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ infligenda superioribus contrafacientibus, & carcerationis per tres menses infligenda subditis renuentibus.

23. Lectores, qui in secundo novitiatu humaniores literas juvenes docuerint, gaudeant præcedentia lectorum artium, & post decennium, cum duabus lectionibus quotidianis, sine ulla interpolatione, assequantur privilegia patrum aggregatorum. Inter reformatos quoque ad provincialatum sint habiles.

24. Etiam in conventibus inferioribus a ministro provinciali deputetur moderator chori, devotus ad dirigendam psalmodiam, & peritus ad cantum moderandum.

25. Quod alias statutum fuit in præmium chori Aracælitani moderatorum, extendatur omnibus aliis, qui inserviunt choro in uno, & principaliori conventu cujuslibet provinciæ, dummodo inserviant per decem annos.

26. In singulis conventibus, intra, vel extra ecclesiam, pro locorum capacitate, habeatur, singulis dominicis, exercitium Viæ Crucis, aliis necessariis functionibus non impeditis, a religioso ad id deputato in capitulis, vel congregationibus; etiam omissis functionibus, quæ ad devotionem populi excitandam introductæ sunt in ecclesiis nostris.

27. Deputetur unus tantum postulator, pro causis SS. osservantium ex observantia, & pro causis SS. reformationis unus tantum postulator ex reformatione.

28. Vicecommissarius generalis unius membri familiæ, post biennium, habeat titulum *reverendissimi*, quo utatur etiam in munere, & teneat locum immediatum post excommissarios, atque exvicecommissarios totius familiæ, si qui fuerint.

29. Superiores provinciales per pœnas, arbitrio suo, cogant subditos ad acceptanda officia, per diffinitorium eis collata in provinciis.

30. Qui officia sibi collata resignaverit, remoto omni prætextu, & excusatione, infallibiliter a loco removeatur, in quo permanet.

31. Quoties quis ab uno conventu in alium transit, de familia, aut longo tempore inibi habitaturus, cellam, a qua recedit, communitati resignet, sub pœna proprietarii infligenda arbitrio superioris.

32. Præses, post trinam ballottationem parem, utatur tunc voto decisivo, quum trina ballottatio supra idem negotium cadit.

33. In provinciis habentibus ex auctoritate legitima alternativas, deficiente in diffinitorio aliquo patre, subrogetur non pater dignior provinciæ, sed

Digitized by Google

dignior illius partis, in qua defectio accidit.

34. Qui per sexennium continuum laudabiliter fuerint secundi magistri novitiorum, eligi possint in primos magistros, etiamsi triennio non fuerint guardiani, dummodo eis aliæ conditiones non desint, quæ requiruntur.

35. Officium magistri novitiorum inter reformatos habilitet ad omnes gradus in provincia, & illi, qui per duodennium tale officium exercuerint, præcedant immediate post diffinitores actuales.

36. In qualibet provincia servetur, quantum ad acceptationem novitiorum, æqua illa distributio, ut pro unoquoque districtu provinciam componente juvenes ad numerum congruum acceptentur; alias superior generalis acceptationibus per diffinitorium non ita factis deneget consensum suum.

37. In paritate votorum, dum tertia vice feruntur pro novitiis ad professionem admittendis, absque ulla ulteriori computatione, novitius expellatur, nisi aliter in Domino censuerit minister provincialis, qui in hoc votum decisivum habere, & aliam computationem imponere valeat.

38. Magister clericorum in professoriis semper sit distinctus a vicario conventus.

39. Concionatores clarissimi, & prædicatores insignes, semel in quadriennio teneantur concionari in suggestis ordinis, juxta dispositionem faciendam a superiore generali.

40. Nec guardiani, nec confessores monialium ordini subjectarum, deserant munus suum ob conciones in adventu, aut quadragesima habendas, nisi ad eas in principalioribus urbium suggestis fuerint destinati.

41. Tempus deferendi, & deponendi mantellum, seu pallium, relinquatur arbitrio superiorum localium; sed omnes in quolibet conventu simul pallium sumant, simulque deponant, ne in functionibus communitatis sit deformitas.

42. Nemini ex clericis liceat petere breve apostolicum pro suscipiendo sacerdotio; sed id pertineat ad provinciam, seu conventum, in quo sunt de familia, & transgressores puniantur.

43. Nullo tempore, nulloque prætextu, impensæ conventuum pro religiosis alendis, & sustentandis, fiant titulo, vel sumptu aliquo particulari vel guardiani, vel præsidentis, vel vicarii; sed semper titulo communitatis per sindicos apostolicos omnia recipiantur, & expendantur, sub pœna proprietarii.

44. Fratribus, qui incorporantur in provinciis, non concedatur incorporatio a die habitus, nisi aliter videatur superiori generali, inspectis incorporandorum gradibus, & qualitatibus, quæ omnino debeant esse singulares, vel id cedat in provinciarum commodum, & utilitatem.

45. Superiores locales legant, & observent literas obedientiales, etiam quomodocumque graduatorum, qui accedent ad eorum conventus.

46. Si animadvertant, quod accedentes notabiliter declinaverint a via itineris, vel præteriverint tempus præscriptum in literis, eos denuntient ut apostatas.

47. Iidem superiores non prorogent subditis suis tempus, quod eis in literis obedientialibus assignatur, dum a conventibus sunt discessuri, sub pœ-

na

Digitized by Google

na suspensionis ab officio, ipso facto, aliisque, arbitrio superioris provinciæ, omni excusatione postposita.

48. Peregrinationes fratrum, prætextu visitandi sanctuaria, a ministris provincialibus prohibeantur, nisi sciant, fratres peregrinaturos esse sine scandalo, & ad præscriptum regulæ. Superior generalis raro has literas concedat.

49. Vacationes concessæ per statuta generalia intelligantur de vacationibus tantummodo a studiis.

50. Vetitæ sint omnes aliæ vacationes, seu potius perniciosissimæ evagationes, coarctata quoad hoc visitatorum & superiorum provincialium auctoritate, eademque, quoad clericos in professoriis, seu seminariis degentes, penitus sublata.

51. Superiores provinciales, & locales invigilent, ut serventur statuta de galeris, birectis, chordis, & usu calceamentorum.

52. Invigilent pariter, ne in baculis, & capsulis pro *tabacco* ulla curiositas appareat, & eliminetur omnis corruptela in chirotecaveis, manicaveis, & in strophiis sericis.

53. Interdictus sit omnis usus a jure prohibitus, sub pœnis latis per statuta.

54. Provincia Ragusii teneatur de jure ad expensas itineris pro diffinitore generali, & aliis vocalibus ejusdem provinciæ accedentibus ad capitulum generale, ad mensuram distantiæ capituli.

55. In familia ultramontana statuto præcipienti per S. Obedientiam, ne unus ingrediatur cellam alterius, auferatur pœna spiritualis, & commutetur in temporalem.

56. Si vacet officium ministri provincialis in casu mortis, vel renuntiationis, in eadem familia, sigilla dentur exministro provinciali digniori, vel alteri illo magis digno; non autem ministro immediato, nisi ob aliam graduationem sit dignior.

57. Minister generalis in deputatione commissarii generalis nationis Germano-Belgicæ consulat diffinitores generales ejusdem nationis, super subjecto deputando.

58. Si in eadem natione, convocatis, & convenientibus vocalibus ad capitulum celebrandum, mori contingat commissarium nationalem, nullusque alius designatus sit capituli præses, spectet ad ministrum provinciæ, in qua capitulum jam celebrandum instat, eidem capitulo præsidere.

59. In provincia Algarbiorum prædicatores non habeant præcedentiam super confessarios graduatos, & serventur statuta de præcedentia.

60. Lectores theologiæ Majoricarum provinciæ, completo duodennio, & adepta prima jubilatione, si protrahant suam lecturam, non gaudeant secunda.

61. Commissarii Terræ Sanctæ Matriti, Parisiis, Viennæ in Austria, & Romæ, collectioni eleemosynarum adlaborantes, expleto duodennio, gaudeant privilegiis patrum provinciæ, quoad præcedentiam, & paternitatem tantum.

62. Alii commissarii, si octennales fuerint, habeant ultimum locum inter exdiffinitores; si duodennales, primum obtineant locum inter eosdem, nec assumant titulum commissarii generalis Terræ Sanctæ.

63. Commissarii per Italiam constituti non mittant Hierosolymam, nisi de

de triennio in triennium, vel ad summum de biennio in biennium, eleemosynas, quas in suis commissionibus collegerunt.

64. Excipiantur illi, qui hactenus consueverunt mittere, quolibet anno, res in propria specie, pro usu, & servitio religiosorum ibidem degentium necessarias.

65. Vitent expensas inutiles, & eleemosynas transvehendas tradant religiosis magis idoneis, seligendis a diffinitoriis provinciarum, in quibus commissarii respective resident.

66. Commissarii per Italiam non resideant in conventibus novitiatus, vel recollectionis.

67. Si alicubi libri chori habeantur, qui non secundum emendationem Romanæ ecclesiæ fuerint emendati, quamprimum ad emendationem debitam reducantur in familia cismontana.

68. Observentur cæremoniale ecclesiasticum, pro toto ordine olim promulgatum, & quantum ad cæremonias, in conventibus, choris, & refectoriis observandas, habeatur congrua methodus, & uniformitas universalis.

69. Sabbatis, non impeditis, cantetur missa solemnis de Immaculata Conceptione, sub pœnis jam latis contra inobservantes hunc ritum.

70. In provincia S. Salvatoris Hungariæ servetur alternativa in electionibus, substitutionibus, & subrogationibus.

71. Superior generalis facilem se præbeat ad concedendas facultates, ut studiosi provinciæ observantium Dalmatiæ transmittantur ad studendum in alias provincias.

LXXXII. CAPITULUM GENERALE VALLISOLETI anno 1740. CAJETANUS A LAURINO, qui successit Joanni Bermejo. *Leges*. 1. Gratiæ personales obtentæ a sede apostolica valent solum quoad titulum, & præcedentiam.

2. *Pro ultramontanis*. Nemo amplius habeat titulum *prædicatoris clarissimi*, sed tantum *prædicatoris generalis*.

3. Vacante cathedra generali in aliqua provincia, fiant oppositiones in illa per judices assignandos a superiore generali, vel, si causa adsit, fiant in aliqua provincia viciniore.

4. Lectores actuales tam generales, quam provinciales habeant in tota provincia præcedentiam supra excustodes, & exdiffinitores.

5. Apud Hispanos præcedentia inter lectores actuales desumantur a die possessionis, & exercitii literarii.

LXXXIII. CAPITULUM GENERALE ROMÆ anno 1750. JOANNETIUS A MOLINA, qui successit Raphaeli de Lugagnano. *Leges*. 1. Superiores erigant in singulis conventibus stationes *Viæ Crucis*, ejusque exercitium faciant publice, semel saltem in mense.

2. In provinciis amplioribus sint duo, vel plures conventus *recessus*; in minus amplis sit saltem unus; nec in eis quisquam invitus collocetur de familia, aut moretur, si rigorem ferre non possit.

Capitula generalia Romæ anno præfato, Murciæ anno 1756., Mantuæ anno 1762., Valentiæ anno 1768., & Romæ anno 1792., in

quo

quo PIUS VI. PONTIFEX MAXIMUS princeps Seraphici Ordinis amantissimus, & beneficentissimus, nobis supremo moderatore destitutis, quum comitia ob temporum injuriam cogi non possent, ministrum generalem dedit Joachimum Company insignem virum provinciæ Valentiæ alumnum, & commissarium generalem Bonaventuram a Placentia, quem ob egregia merita ad sedem Episcopalem Cerviensem in fine triennii evexit; capitula, inquam, præfata nihil propemodum exhibent, quod in hunc librum referatur, ut ex ipsorum actis compertum est, quæ peculiares fratrum aliquid petentium res plerumque respiciunt. His itaque contenti simus.

1. Exdiffinitores generales, sive ministri fuerint, sive non, in provinciis, habeant ubique locorum præcedentiam supra quoscumque exministros provinciales.

2. Postulatores canonizationum, qui, completo laudabiliter sexennio, causas terminaverint, gaudeant inter exministros provinciales, quoad titulum, & præcedentiam tantum; dummodo prius fuerint diffinitores, vel lectores theologiæ.

3. Chronologi provinciarum, postquam typis vulgaverint cum laude duos tomos in folio, habeant præcedentiam, & privilegia juxta laborem.

4. In studiis reformatorum numerus studentium sit ut sequitur; secus lectores non gaudeant privilegio *emerentiæ*. Ubi fuerit unus lector theologiæ, sint saltem quatuor studentes; ubi duo lectores, saltem sex; ubi tres lectores, decem, vel saltem octo.

5. Minister provincialis, nisi perfunctus officio vacet per sexennium capitulare, non possit eligi in diffinitorem.

6. Pœnitentiarii in ecclesia S. Mariæ Angelorum Assisii, post decennium, gaudeant immediate post exdiffinitores provinciales. *Nota*. Datur eisdem ultimus locus inter exministros provinciales ex nova lege edita sub Bonaventura de Placentia commissario generali.

7. Lectores theologiæ non invertant dies vacationum, absque consilio, & assensu præfecti studiorum, diesque intermissi suppleantur.

8. Legant ad normam elenchi tractatuum, & quæstionum editi a Clemente de Panormo ministro generali.

9. Si commissarius Indiarum cessaverit post integrum biennium ab officio, maneat pater omnium provinciarum in Indiis, &, si fuerit in Hispania, habeat votum perpetuum in propria provincia, cum jure subrogandi pro diffinitoribus generalibus, ante exprocuratores ordinis, & immediate locum teneat post diffinitores generales actuales.

10. Inclusiva pro lecturis, sive generalibus, sive provincialibus, valeat ad eas lecturas obtinendas, quæ vacaverint intra unum annum solarem ab habito concursu; & in paritate votorum præferatur filius provinciæ.

11. Alienæ provinciæ fratres recepti in conventibus recessus, provideantur in victu, & vestitu a superioribus localibus eorumdem conventuum.

12. Secretarii actuales in provinciis de observantia, durante officio, præcedant patribus habitualibus; expleto autem, habeant ultimum locum inter prædicatores aggregatos de numero; dummodo polleant necessariis requisitis

Digitized by Google

tis ad diffinitoratum obtinendum; secus, expectent locum, sicut alii patres aggregati de non numero.

13. Ad obtinendum ultimum locum inter exministros propriæ provinciæ non sufficiat chronologis generalibus ordinis, quod tempus, & operam insumpserint in aliis rebus agendis; sed requiratur, ut edant opus aliquod laude dignum.

14. Liberum non sit ministro provinciali, novitium detinere, pro quo major pars fratrum non fuerit suffragata. Si tertia pars ei defuerit, admoneatur minister. Si retulerit ultra duas partes ex tribus, & habeat laudabile testimonium suæ conversationis, possit admitti ad professionem, de licentia ministri ipsius, vel prælati generalis.

15. Nemo eligatur in diffinitorem inter observantes, nisi quatuor annis habuerint conciones in ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis insignibus, vel in suggestis generalibus ordinis, vel theologiam scholasticam, aut dogmaticam docuerit in studiis generalibus, vel provincialibus.

16. Præter patres diffinitorii generalis, & custodes regiminis custodiarum, unus tantum vocalis ex qualibet provincia accedat ad capitulum generale, nempe minister, & hoc se excusante, custos, qui unum tertiarium dumtaxat secum ducat. Discreti generales possint ducere socium sacerdotem, vel laicum, cum tertiario.

Leges. Pro monialibus a Bonaventura de Calatahierone ministro generali olim collectæ. 1. Nemini fratrum, quovis prætextu, accedere liceat ad monialium quæcumque monasteria, nisi impetrata prius scripta facultate, aut publici muneris obeundi gratia, tumque scripto superioris jussu, vel missu.

2. Neque item ad ea, quæ pro monialum confessariis deputata sunt, hospitiola, maxime ipsis monialium monasteriis contigua, fratrum quisquam accedat, vel accedere præsumat, neque etiam cum ipso confessario loquendi gratia. Qui contrafecerit, omni suffragiorum jure careat, ac insuper gravius puniatur, superiorum arbitratu.

3. Ii, quibus ad ipsa monialium monasteria & accedere, & cum monialibus loqui per facultates licuerit, facultates ipsas abbatissæ, seu præfectæ antea præsentandas curent, tumque præsentibus illis, quæ ad audiendum deputatæ sunt, monialibus, quas auditrices vocant, cum eis tantum monialibus loquantur, cum quibus loqui per facultates licuerit.

4. Nec vero quævis alia monialis tunc accedere audeat: neque prætcrea illæ, cum quibus loquendi facultas fit, ad collocutionis loca accedant, nisi antea abbatissæ, seu præfectæ benedictionem acceperint. Quod si contrafieri contigerit, contrafacientes, tam fratres, quam moniales, supradictis pœnis subjaceant.

5. Qui aut sacræ prædicationis gratia, aut celebraturi, superiorum jussu, missuve, ad ipsa monialium monasteria accesserint, iis cum monialibus loqui, sub eisdem pœnis, ne liceat.

6. Qui præterea neque esculenta, neque poculenta, nec vero quidquam aliud, vel minimum quidem, a monialibus accipiant.

7. Sed si quid, aut mercedis, aut la-

laboris ratione præstandum est, illud ad universum conventum, communi nomine, monasterii præfecta transmittat.

8. Superiores quoque ad monasteria monialium non accedant; nisi aut pro exsequendis muneribus, ex earum regula, mandatis, aut sanctionibus apostolicis, eisdem incumbentibus, aut pro communi earum commodo, spiritualique profectu ab abbatisis, seu monasteriorum præfectis, una cum matribus discretis, vocentur. Contra qui fecerit, suspendatur officio, vel privetur, superioris arbitratu.

9. Nec eisdem liceat, in eis ædiculis, quæ pro sacris peccatorum confessionibus, & visitationibus ineundis, deputatæ sunt, aut alibi apud moniales comedere, nisi cum generalem earum visitationem obierint, ac contrafacienti pœna sit officii privatio, quicumque demum fuerit.

10. Cæteris autem fratribus, & universis, & singulis, præter monialium confessarios, & eorum socios, quo tempore generales peccatorum confessiones earum audierint, ut supra, comedere, perpetuo interdictum sit. Qui in hoc genere deliquerint, confessarii officio priventur, & alii fratres, quicumque sint, omni suffragiorum jure careant, ac tandem carceribus ipsis mancipentur, superiorum arbitratu.

11. In hospitiis, seu domunculis, quæ ad audiendas peccatorum confessiones, & visitationes obeundas, ipsis monialium monasteriis contiguæ sunt, neque ordinis superioribus, neque aliis fratribus quibusvis, quovis casu, vel prætextu pernoctare liceat. Contra si fecerint, superiores officio priventur, reliqui vero fratres, quicumque sint, omnibus suffragiis privati, carceribus mancipentur, vel gravius etiam puniantur, superiorum arbitrio, habita personarum ratione.

12. Religiosis vero cujsvis alterius ordinis, ecclesiasticisque personis quibusque, etiam consanguineis, quovis prætextu, occasione, vel causa, monialium nemini loqui liceat, nisi necessariam cum eis loquendi facultatem, quæ superiori etiam antea probata sit, attulerint.

13. Ea, quæ superius de facultate ejusmodi monasterii præfectæ ante præsentanda, & de benedictione ab eadem petenda, ac item de monialibus ad audiendum deputatis, & de aliarum monialium accessu, & loquutione, sanctè præscripta sunt, singula exactè quidem, atque inviolate serventur.

14. Hæc autem omnia, & singula, etiam cum externis sæcularibus quibuscumque, tum viris, tum mulieribus inviolate serventur. Quæ vero in iis erratis deliquerit monialis, quæcumque sit, & velo, & accessu ad collocutionum loca privetur, & gravius, si expediat, puniatur, pro delicti qualitate, superiorum arbitratu.

15. Hoc tamen decreto illi excipiantur, qui primo, vel secundo consanguinitatis gradu conjuncti sunt.

16. Porro illud generatim omnino etiam inviolate servetur ut moniales omnes in omnibus visitationibus, & colloquiis, brevi, quoad fieri potest, se expediant, ne tempus, quo nihil pretiosus, frustra conteratur, ac breve creditum, defluat inane.

17. Atque ita clara, & intelligibili voce loquantur, ut ab eis, quæ au-

 dien-

diendis sermonibus, & colloquiis ejusmodi præpositæ sunt, facile audiri possint.

18. Quocirca abbatissa, seu præfecta, pro suo munere, attentius invigilet, atque, ut id omnino servetur, diligenter curet.

19. Quod si qua monialis aliter, quam supra sancitum est, aut accesserit, aut loquuta fuerit, hæc, præter pænas jam præscriptas, tribus mensibus loquendi, etiam cum propinquis, facultate privetur, quo tempore singulis sextis feriis, coram monialibus capitulariter congregatis genuflexa, pane, & aqua jejunet.

20 Ingredi intra monasteriorum septa nemini omnino liceat, cujuscumque dignitatis, gradus, conditionis, sexus, vel ætatis, sine licentia superioris in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, ut sacra Tridentina Synodo jam sanctè cautum est.

21. Qui necessariam ob causam intra quandoque admittendi sunt, superioris judicio, atque auctoritate antea probentur, & ab eo moniales generalem, aut specialem scripto facultatem prius habeant.

22. Dare licentiam ejusmodi nonnisi probatis personis, & quæ bene audiant, atque in casibus tantummodo necessariis, superiores debent: alioquin potestatem ejusmodi sibi ademptam esse, certo noverint, ac propterea graviter peccare, ac reddendæ rationi obnoxios esse illos, qui secus fecerint.

23. Quibus aut per facultates, aut ex officio intra septa monasteriorum ingredi licuerit, ii omnes, & singuli, ac moniales item admoniti sunt, nonnisi in casibus urgentis necessitatis ingredi, & admitti posse.

24. Qui licentiæ ejusmodi prætextu, præterquam urgentibus de causis, ingredi præsumpserint, eo ipso ex apostolica sanctione, excommunicationis pœnam incurrant, necnon omnibus dignitatibus, beneficiis, & officiis priventur, atque ad illa, & alia quæcumque in posterum obtinenda, perpetuo inhabiles declarantur. Quas pœnas moniales incurrant, quæ illos aliter admittere præsumserint.

25. Licitè ingredientes, ad ea loca recta properent, & ea negotia, propter quæ ingressi fuerint, quam citius expedienda diligenter curent; & ut id exactè, atque inviolate servetur, cura sit monasterii præfectæ.

26. Eos etiam moniales, ad hoc specialiter ex antiquioribus deputatæ, semper comitentur.

27. Nec vero quovis prætextu, vel quæsito colore, intra monasterii septa comedere, aut dormire, eorum cuiquam liceat.

28. Quibus etiam ante Solis ortum ingredi, physicis exceptis, aut post ejus occasum intus permanere, perpetuo interdictum sit.

29. Porro si quæ per moniales officia, & negotia intus commodè obiri, & expediri possunt, ne externos viros, aut mulieres ad ea præstanda, monasterii præfecta introduci, aut ingredi permittat.

30. Si qua monialis marem, aut feminam etiam, cujusvis ætatis, sine licentia introduxerit, tametsi inter sacras virgines ascribenda, excommunicetur, privetur velo, & carceribus mancipetur, vel gravius etiam puniatur, superioris arbitratu. Quibus pœnis

nis subjaceant monasterii præfecta, janitrices, ac rotis præpositæ, si ad hoc earum consensus accesserit.

31. Clausuræ præterea & exactius, & sanctius servandæ gratia, illud etiam decernitur, ut neque triticum, neque vinum, neque aliæ fruges, nec vero quidquam aliud in monasteriis ullis, præterquam ad eorum usum, & necessitatem, asserventur: nec præterea canes, equi, & alia generis ejusmodi animalia, vel ad breve tempus admittantur: neque depositum quidquam, quovis prætextu, vel quæsito colore intus asservetur, aut asservari liceat, sub pœnis, superioris arbitrio contrafacientibus imponendis.

32. Confessarius, quum intra septa monasterii, necessariam ob causam, ad ejus officium spectantem, ingrediendum erit, superpelliceo cum stola superindutus sit; nec vero cum aliis, quam cum socio, aut per capitulum, aut superiorem deputato, ingredi ei liceat, sub pœna privationis officii, & alia graviori, superioris arbitrio, eidem subeunda.

33. Superioribus vero tum generalibus, tam provincialibus quum aut invisendæ clausuræ, aut alia urgenti de causa ingrediendum, erit, probatissimos viros secum socios ducere curent; hi quidem duos, illi vero quatuor ad summum.

34. Illud generatim omnes, & singuli æque, atque inviolate servent, ut numquam ab invicem ita separentur, quominus se mutuo videre, ac videri facile possint.

35. Ingredientes & monasterii præfecta, & aliæ moniales ad id specialiter ex antiquioribus deputatæ, semper comitentur, & eisdem assistant.

36. Ipsi ita modeste, religiose, ac graviter per monasterium incedant, atque in omnibus ita se gerant, ut monialibus & probitatis, & sanctitatis exemplo sint.

37. Nullis monialibus professis, quovis prætextu, occasione, vel causa cujusvis infirmitatis, etiam lepræ, aut epidemiæ; nisi causæ ejusmodi per superiores, ac locorum ordinarios antea cognitæ probentur; excepta causa magni incendii, aut repentinæ, ac magnæ inundationis aquarum, extra clausuram egredi liceat, sub excommunicationis pœna, & ipsis egredientibus, & licentiam egrediendi concedentibus, nec non comitantibus, aut eas recipientibus quibuscumque, tam sæcularibus, quam ecclesiasticis personis, etiam consanguineis, ipso facto incurrenda, præter alias pœnas.

38. Neque item ex ea janua, quæ pro clausura monasterii est, etiam ad claudendam aliam ulteriorem januam qua sæcularibus ad rotam, vel crates, seu collocutionum loca, vel etiam ad pulsandam ipsam clausuræ januam venientibus, patere solet aditus, & accessus, monialibus, quamvis conversis, exire liceat, sub eisdem pœnis, prout apostolica constitutione cautum est.

39. Regula sit, ea loca, ad quæ sæcularibus, absque alia licentia, impune accedere licet, extra clausuram esse, & censeri debere; ac proptèrea consequenter, accessum ad ea ipsa monialibus vetitum esse, atque ideo ad ea exire non posse, ne tum quidem, quo tempore clausa sunt.

40. Neque præterea novitiis ipsis quovis prætextu, vel quæsito colore, occasione, vel causa, extra clausuram

exire liceat, nisi in casu, quo eas moniales esse pœniteret.

41. Tumque in illud, aut aliud quodvis monasterium recipi, & admitti ad religionis habitum amplius non possint, nisi impetrata prius superiorum scripta facultate.

42. Et quidquid secus attentari contigerit, irritum sit, & inane: ac præterea monasterii præfecta, & aliæ moniales quæcumque graviter puniantur, superiorum arbitratu, si ad id earum consensus accesserit.

43. Ostiolum illud præterea, per quod in exteriorem ecclesiam e monasterio alias patebat egressus, sicubi muro nondum obstructum est, primo quoque tempore omnino ita obstruatur, ut amplius aperiri, & usui esse non possit, proposita privationis officii pœna & monialium superiori, & monasterii præfectæ, si neglexerint, omnino subeunda.

44. Quod si qua monialis aut contradicere, aut impedimento esse quovis modo ausa fuerit, & velo privetur, & carceribus mancipetur, superioris arbitratu.

45. Cæterum, etsi clausuræ custodia, ex sacra Tridentina Synodo, locorum ordinariis specialiter demandetur; superiores tamen diligenter curent, ut ubi inviolata est, perpetuo conservetur.

46. Cujus rei gratia eam quotannis diligenter visitent, & quæ instauratione, reformatione, aut emendatione indigere cognoverint, mox instaurari, reformari, & emendari studiose procurent; inobedientes, contradicentesque, per censuras, & alias pœnas, appellatione quacumque remota, ex sacri Tridentini concilii auctoritate compescentes.

47. Ostium, fenestram, ullumve foramen, per quod intra, vel extra clausuram prospectus esse possit, fieri, aut facta permanere, nullatenus permittant, quinimo quamprimum obstruenda districte præcipiant.

48. Neque quicquam intus inædificari concedant, nisi per eos diligenter ante recognitum, aut necessarium esse, aut quomodolibet opportunum judicetur.

49. Arbores quascumque ad clausuræ parietes, seu muros, aut intus, aut foris adhærentes, aut nimis propinquas evellendas procurent; implorato etiam episcopi, aut magistratus sæcularis, si opus fuerit, auxilio.

50. Fenestras præterea, audiendis sermonibus, seu collocationibus deputatas, quæ parlatoria vocantur, duplici clathra ferrea, palmo saltem ad invicem distanti, ubi jam sic munitæ non sint, quamprimum fortiter munienda, diligenter curent.

51. At interius laminentur, relictis dumtaxat parvis foraminibus, ita ut vox quidem audiri possit aspectus vero fieri, aut esse nequeat. Quæ autem missis audiendis constituta est, duplici item clathra, palmo saltem ad invicem distincta, munita sit.

52. Fores, sive portarum valvæ, per quas ad clausuram fit ingressus, ita ex omni parte bene compactæ sint, & cohæreant, ut per eas aspectus fieri, aut quicquam, vel minimum quidem intromitti non possit.

53. Clausuræ ostium, sive porta una sit, aut ad summum altera, quæ inferendis rebus, ad monasterii usum necessariis, deserviat.

54. Utrique autem moniales ætate quidem graves, ac morum probitate

Digitized by Google

te præstantes præficiantur, quæ earum curam perpetuo habeant, easque, nonnisi urgentibus de causis, tumque jussu monasterii præfectæ, aperire possint.

55. Quæ etiam duabus clavibus, iisque diverso fabrili opere confectis, occludantur.

56. Fenestella ad sacras monialum confessiones audiendas, in ecclesia, ubi comode fieri possit, alioquin alio honesto, atque omnino decenti, ac tuto loco conservetur, et clathra, ac lamina ferrea, vel ænea, palmo saltem ab invicem distantibus, cum parvis foraminibus, ut supra, tuto munita sit; cui etiam tela nigri, aut viridis coloris intus, aut foris apponatur, ac ita firmiter cohæreat, ut nullatenus amoveri possit. Fenestella vero ejusmodi, latitudine sit cubito uno, altitudine autem paullo amplius.

57. Sacræ communionis fenestella sit in pariete, ab altero altaris latere, prout opportunior videbitur, paullo oblonga, quæ tamen altitudine medium cubitum non excedat, latitudine vero paullo minor sit; duabusque clavibus, iisque diversis, intus, & foris claudatur; quarum alteram confessarius asservet, alteram monasterii præfecta custodiat.

58. Rotæ, sive turni omnes, ex ligno nucleo, aut solidiori fiant, quorum fenestellæ cubitum unum altitudine nullatenus excedant, latitudine vero sint unciarum sexdecim; ac prætera intus, & foris seris, & clavibus occludantur.

59. Monasterii cujusque protectores, procuratores, medici, conductores, factores, exactores, scriptores, servitoresque, tam viri, quam mulieres, quos, quasque singula monasteria necessarios habent, superiori antea probati sint, ac de ejus consensu deligantur.

60. Sanctimoniallum nostrarum bona immobilia quæcumque provinciales primo quoque tempore recognoscant sane diligenter.

61. Atque accurate recognita, in publicum inventarium probabili forma conscribendum, referenda curent, in archivo provinciali perpetuo asservandum; ut vel sic malis, & fraudibus quibusque, perpetuis temporibus, opportune prospectum sit.

62. Inclusarum quoque monialium numerus, sicuti nondum est præscriptus, episcopo antea consulto, cautius præscribatur: vel jam præscriptus augeatur, minuaturve, aut augeri, vel imminui possit, prout ratio suaserit.

63. Si qua vero in posterum bonorum accessio, obventionis, vel legitimi census perpetui, aut legati item perpetui, aut etiam annui ad certum tempus nondum elapsum, vel cujusvis alterius generis nomine, facta fuerit; ea de re mox provincialis admoneatur, ut ejus jussu accessio ejusmodi in inventarium ipsum referatur.

64. Recognoscant provinciales diligenter ipsorum bonorum immobilium locationes quascumque cujusvis generis sint, simplices, perpetuas, vel ad certum tempus nondum finitum factas: & si quas invenerint sine legitima superioris facultate, interventu, vel concessu jam factas, eas omnes & singulas, adhibito usu peritorum consilio, adscitis in consilium monasterii procuratoribus, vel sindicis confirment, vel disolvant, prout opportunius, pro

eo.

Digitized by Google

eorum prudentia, & religioſa conſcientia judicaverint.

65. In poſterum locationes ejuſmodi nullatenus fiant, abſque legitima ſuperioris auctoritate, atque etiam ipſius interventu, vel alterius, quem ipſe ad id ſpecialiter delegaverit.

66. Et ne quidquam contra ſacros canones, majorum noſtrorum inſtituta regularia, vel ſacri concilii Tridentini decreta fieri, vel admitti contingat, non niſi viris prudentibus, & peritis, id muneris committatur, tumque ſpeciali ſcripta facultate.

67. Quæcumque autem poſthac aliter factæ fuerint locationes, ipſo jure nullæ ſint. Et quæ ſecus fecerint, vel ſcienter fieri permiſerint, monaſteriorum præfectæ, & moniales quæcumque, omni officio, ac ſuffragiorum jure priventur, ſuperiorum arbitratu.

68. Pecuniæ quæcumque, aut ex dote, vel redituum redemptione, aut legatis, vel quacumque alia ratione monaſteriis obvenientes, nullis uſibus, etiam inſtaurandæ clauſuræ, ſuperioribus inconſultis, applicentur, aut applicari poſſint: ſed ex eis bona ſtabilia, vel certus reditus, aut cenſus legitimi comparentur.

69. Nulla quoque bonorum alienatio, vel diſtractio, ſine legitima facultate fieri poſſit. Et quicquid ſecus fieri contigerit irritum ſit, & inane. Contrafacientes officio priventur, & omni ſuffragiorum jure careant.

70. Redditus, ultra dotes monaſterii aſſignatas nonnullis monialibus, ſive in perpetuum, ſive earum vita durante, obvenientes, ſicuti monaſteriis acquiſiti ſunt, & eſſe intelliguntur, ſic monaſteriis ipſis ſuper eorum exactione actio competat. Quare monaſteriorum præfectæ de cætero, abſque ulla alia monialium ceſſione, virtute contractuum cum ipſis monialibus actorum, monaſterii nomine illos exigendos curent. Hoc enim decreto declaratur, omnes actiones ejuſmodi, monaſteriis acquiſitas eſſe, & pro acquiſitis intelligi debere.

71. Exacti redditus in monialium neceſſitates, & earum maxime, quarum fuerint, niſi ſanctæ paupertatis votum obſtet, expendantur.

72. Moniales in eorum exactione nullatenus ſe intromittant: ſed monaſterii præfectæ quamprimum fideliter denuncient.

73. Quod ſi aliqua ſecus fecerit, aut in hoc genere deliquerit, veluti proprietaria puniatur.

74. Eleemoſynæ inſuper, munera, fructus, laborum pretia, legata, cæteraque ſimilia, quæ aut teſtamento, vel donatione, in virginum aliquam devenerint, in commune monaſterii commodum conferantur.

75. Porro monaſteriorum præfectæ, & alii ipſorum bonorum adminiſtratores quicumque, adminiſtrationis, ac item accepti, & expenſi, ſuperioribus, aut iis, quos ipſi ad id ſpecialiter deputaverint, ſingulis annis rationem reddere teneantur.

76. Primo quoque tempore in unoquoque ſanctimonialium noſtrarum monaſterio, certus numerus præſcribatur, ſicuti nondum eſt præſcriptus, juxta ſacræ congregationis ordinationes, ac ſacri concilii Tridentini decreta.

77. Interea vero nulla recipiatur; & ſi quæ jam receptæ ſunt, ne veſtiantur; veſtitæ vero ad profeſſionem non admittantur, niſi eam dotem, eleemoſy-

næ

Digitized by Google

næ nomine, dederint, quæ ab episcopo, una cum superiore regulari, ad dictarum ordinationum præscriptam rationem, statuta fuerit.

78. Quod si contrafieri, superiorum consensu, aut negligentia, contigerit, superiores ipsi officio priventur, & ad vocem tam activam, quam passivam, ex illis ipsis sacræ congregationis ordinationibus, inhabiles reddantur. Quas pœnas monasteriorum præfectæ, & moniales quoque subeant, si earum consensus accesserit.

79. Cæterum, etsi dotis proventus, in monasterii ingressu exigendus, conversarum labore, ac ministeriis compensetur; harum tamen, certo monialium numero in monasteriis constituto, si quæ superfuerint, emittantur, nisi professionem fecerint.

80. Abbatissa, seu monasterii præfecta, quocumque nomine vocetur, non minor annis quadraginta eligatur, & quæ annis octo post professionem emissam laudabiliter vixerit; ut sacra Tridentina Synodo sancte decretum est.

81. Quod si prædictis qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio ejusdem ordinis eligi possit. Porro si hoc etiam ei, qui electioni præfuerit, incommodum videatur; ex iis, quæ in eodem monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, accedente superioris consensu, eligi poterit.

82. Is, qui electioni præfuerit, monasterii septa hac de causa ingredi non possit: sed ad crates, duobus aliis, iisque probatis, & prudentibus viris sibi assistentibus, vota singulorum audiat, vel recipiat.

83. Ut omnia rectè, ac sine ulla fraude fiant, omnes abbatissæ, seu monasteriorum præfectæ, ex sacra Tridentina synodo, per vota secreta eligi debent, ita ut singularum eligentium nomina nunquam publicentur. Quod si qua aliter electa fuerit, ejus electio nulla sit. Electiones tamen ejusmodi non per schedulas, sed verbotenus, pro veteri, ac probata religionis consuetudine, fiant.

84. Quibus autem capituli major pars monialium accesserit, nisi superiori judicio inhabiles esse videantur, ab omnibus canonicè, ac rite electæ censeantur.

85. Porro in electionibus ejusmodi, illæ votum non habeant, quæ duos annos a professione emissa non excesserint. In aliis autem electionibus omnes professæ, quæ tamen conversæ non sint, votum habeant.

86. In quibus monasteriis, plures sorores germanæ fuerint, si earum una monasterio præfuerit, reliquæ, neque vicariæ, neque discretæ, neque janitrices, neque scribæ, aut cellariæ esse possint.

87. Omnes monasteriorum præfectæ, aut annuales, aut biennales sint, pro cujusque monasterii probata consuetudine. Illud verò omnino caveatur, ut triennium nullo modo excedere possint, sub privationis officii pœna, superioribus, si secus fieri permiserint, omnino incurrenda.

88. Peracto triennio, omnino eis vacandum est, & ad illud, & aliud quodcumque superioritatis officium, nisi post alterum integrum triennium, eligi non possint.

89. Monasterii præfecta quocumque nomine vocetur, tamquam communis omnium mater, ut est omnibùs præposi-

posita, sic omnes virtutibus præcellat, omnibusque & probitatis, & sanctitatis exemplo sit.

90. Communis vitæ rationem in omnibus servet, singulasque sorores in omni vitæ actione ædificare studeat.

91. Divina officia, ut per occupationes sibi licuerit, præ cæteris omnibus frequentet.

92. Benedictioni mensæ, quoad ejus fieri poterit, semper adsit, ac item gratiarum actioni.

93. Pro munere præterea, quod sustinet, hæc præstanda diligenter curet, ut christiana pax, & concordia inter sorores perpetuo conservetur. Quod sane se præstituram certo certius speret, si nulli sororum vim inferat, aut inferri ab ulla patiatur.

94. Communia officia sæpè visitet, singula diligenter inspiciat,& ut omnes omnia debite præstent,studiose curet.

95. Si quid emendandum invenerit, prudenter emendet, & si quæ in culpa fuerit, eam pro dignitate moneat, ut deinceps cautius agat.

96. Si quam invenerit, quæ sororem criminetur, convitietur, aut injurias cuiquam inferat, vel sororum pacem quoque pacto perturbet, in eam graviter animadvertat, ac pro qualitate delicti severe peccantes corripiat, & pro dignitatis munere sorores suas conciliet.

97. Collocutionum loca, quæ parlatoria vocantur, quotidie invisat; atque ut intus, & foris semper clausa sint, efficiat: nec cuiquam aperiantur, nisi suo consensu: sciatque semper, quibus, & quam ob causam aperienda sint.

98. Antequam aperiantur, facultates videat, & omnia, quæ hac de re majorum nostrorum constitutionibus, & decretis præscripta sunt, ut ab omnibus æque serventur, pro decore, & sanctæ honestatis accuratius servandæ gratia, satagat.

99. Diebus festis, in eis colloquia omnino prohibeat, nisi urgenti de causa, suo judicio probata, secus quandoque permittendum censuerit; tumque ut res brevibus agatur omnino efficiat.

100. Clausuræ ostia, ut ne unquam aperiantur, nisi necessariam ob causam, diligentissime curet.

101. Nec vero ad ea,quavis ratione, colloquia permittat: quum id sub excommunicationis pœna interdictum sit.

102. Singulis diebus mane, ac vesperæ clausuræ ostia videat, ac diligenter inspiciat; atque clavem alteram apud se noctu tuto custodiat,& asservet.

103. Probatissimæ vitæ sorores, & quidem ex antiquioribus, unam saltem, & hanc primam, ipsis clausuræ ostiis præficiat.

104. Sorores omnes æque diligat ut filias, omnibus æque provideat, pro facultatum modo, & personarum qualitate.

105. Nec ullam alteri quavis ratione præferat, nisi pro diversitate meritorum, & personarum qualitate, ætateque.

106 Singularum necessitates diligenter intelligat, & ex communibus monasterii bonis, & facultatibus, omnibus provideat studiose.

107. Singulas singularum cellas sæpe visitet, & omnia diligenter inspiciat; ac vana quæcumque, curiosa item, superfluaque, ac paupertati, honestative minus convenientia omnino auferat. Quas vero in iis culpabiles

Digitized by Google

les invenerit, in eas animadvertat pro qualitate delicti.

108. Sorores infirmas sæpissimè visitet, ac pie consoletur, curetque diligenter, ut nihil eisdem deficiat, quod necessarium fuerit.

109. Quas graviter laborare cognoverit, eas studiosè quidem admoneat, ac efficaciter hortetur, ut quamprimum confiteri velint, atque ita se præparent, ac si tunc ex hac vita eisdem ad Dominum migrandum esset. Et in hoc omne studium adhibeat, ne sua culpa, vel negligentia ulla unquam pereat.

110. Quæ infirmariæ loco præfuerint, atque ægrotantium curam susceperint, an munera sua diligenter præstent, atque ægra valetudine laborantibus eo charitatis studio inserviant, quo sibi serviri vellent, præfecta diligenter cognoscat.

111. Quas si in obeundo charitatis officio ejusmodi negligentes repererit, eas admoneat, et reprehendat, arguat, atque etiam compellat, graviter in eas animadvertendo, prout ratio suaserit.

112. Aliæ sorores item singulas infirmas sæpe visitent, consolentur, et adjuvent, prout charitas, et pietas expostulant; ac illis ita serviant, sicut sibi serviri vellent. Negligentes puniantur arbitrio præfectæ pro negligentiæ modo.

113. Matri monasterii præfectæ, omnes æque obedientiam præstent, ac item matri vicariæ, cæterisque ex ordine recte disponentibus. Sic enim, et naturæ ordo exigit, christiana, ac regularis institutio vel maxime deposcit, ut inferiores omnes superioribus, et præpositis obediant.

114. In obeundis muneribus nulla sit, quæ renuat, sed omnes æque obediant, ut sanctæ obedientiæ votum requirit. Si contrafieri contigerit, violatæ obedientiæ afficiatur pœna quæcumque in culpa fuerit, arbitrio matris abbatissæ, seu monasterii præfectæ: quæ superiorem etiam admoneat, si necessarium esse censuerit.

115. Quæ autem in contumacia perseveraverit, et superiori obedire noluerit, carceribus mancipetur, aut etiam, si pro contumaciæ ratione ita expedire videbitur, ab eo in aliud monasterium transferatur.

116. Cujus abbatissa, vel præfecta eam recipere omnino teneatur, sub excommunicationis pœna, & alia superioris arbitrio, ei subeunda.

117. Monasterium vero, a quo rea transferenda erit, ei monasterio, ad quod translata fuerit, impensas ad victum, & vestitum pro ea, quoad vixerit, necessarias sub eadem pœna, ejus monasterii præfectæ, si neglexerit, omnino subeunda, suppeditare teneatur. Quod semper servandum decernitur, quotiescumque monialis aliqua quavis de causa è suo ad aliud monasterium, superiorum jussu, transferenda erit.

118. Nam præsenti decreto, & hujus statuti virtute, provincialibus liceat, moniales insolentes, aut criminosas, de monasterio ad monasterium, prout eis opportunius videbitur in Domino, correctionis causa transferre.

119. Monasteria vero, ad quæ moniales ejusmodi in dies trasferri contigerit, eas recipiant, & recipere teneantur, sub eisdem pœnis, & aliis etiam gravioribus, ipsorum provincialium arbitrio, contradicentibus imponendis.

Digitized by Google

120. Quod si monasterium quodpiam adeo perfricatæ frontis fuerit, ut spreta superiorum auctoritate, ruptoque sanctæ obedientiæ vinculo, in contumacia persititerit, aut ad principes, vel magistratus, aut ad quodvis externum tribunal pro auxilio, vel consilio, contra ordinis jurisdictionem, ac libertatem confugerit; illud anathematis vinculo, ex apostolica sanctione innodatum, ab ordinis ipsius cura continuo abdicetur, sub gravi suspensionis pœna, & alia graviori etiam, superiorum arbitrio, negligentibus incurrenda.

121. Nulla monialis sit, quæ denarios extra communem eleemosynarum capsulam, neque in ea item ut proprios habeat, vel quidquam aliud, ut proprium possideat.

122. Pecunia omnis, eleemosynæ nomine, vel donationis gratia, undecunque oblata, livellorum, ac legatorum item, & quæ ex laboribus in dies acquiritur, monasterii præfectæ ab omnibus fideliter consignetur, atque in communi eleemosynarum capsula servetur.

123. Ex iis autem, & aliis monasterii bonis, eleemosynis, & redditibus, monasterii præfecta, tanquam communis omnium mater, omnibus æque, ac discrete providere studeat; tum ei potissimum, cujus gratia, quovis nomine, ei quacumque ratione quidquam donatum fuerit.

124. Quod si præfecta id non præstiterit, vel quavis ratione neglexerit, superioris judicio, atque arbitrio coerceatur, vel proprio, si ita demeruerit, suspendatur officio, vel etiam privetur, prout ei magis expedire videbitur in Domino. Communis vero eleemosynarum capsula tuto loco posita, collocataque duabus clavibus, iisque diversis, semper clausa sit: quarum unam præfecta custodiat, alteram vero una ex matribus discretis, per capitulum eligenda conservet.

125. Nec vero capsula ejusmodi aperiri, vel pecunia quævis ex ea extrahi liceat, nisi necessariam ob causam, communi matrum judicio comprobatam.

126. Liceat tamen præfectæ, de matrum consilio, nummos paucos, apud aliquam ex sororibus, communi matrum consilio, ac judicio probatam, asservare, ut quotidianis usibus necessariis præsto esse, & facilius providere possit.

127. De quibus omnibus præterea, tum acceptis, tum expensis, monasterii præfecta, tum in capitulo sæpe, monialibus capitulariter congregatis, tum matribus consilii, ac item superiori bis, aut semel saltem quotannis, rationem reddat: ut omnes intelligere possint, quomodo monasterii bona recte, ac fideliter administrentur. Quod si neglexerit, graviter coerceatur, superioris arbitratu.

128. Monialium nulli quidquam vendere, vel emere liceat, nisi concessu matris abbatissæ, seu monasterii præfectæ. Quæ secus fecerit, proprietatis rea censeatur, & pro delicti qualitate puniatur, quæcumque sit, ad monasterii præfectæ, vel superioris arbitratum.

129. Monasterii præterea quidquam nemini dono detur, nisi minimum sit, tumque aut communi consensu, aut accepta facultate, ut apostolica sanctione etiam cautum est.

130.

Digitized by Google

130. A muneribus tum dandis, tum recipiendis omnes abstineant, nisi ratione aliqua monasterii præfecta, ad apostolicæ constitutionis præscriptum, secus quandoque permittendum consulto censuerit.

131. Quæ horum quidquam neglexerit, omiseritve, aut alia quavis ratione in iis erratis deliquerit, violatæ paupertatis pœnis, aut ex sacra Tridentina synodo, aut ex pontificia constitutione decretis subjaceat.

132. Si cum viris quandoque necessario colloquendum erit, quæ simul audiant semper adsint, nec ullo quovis tempore, solæ cum ullo, ullave loquatur.

133. Tum velum ad os usque semper habeatur, tum vero maxime, quum fenestellulis apertis colloquendum erit, etiam si parentes sint, vel quacumque affinitate propinqui. Illud etiam continuo inviolate servandum est, quum monasterii septa exteros quoscumque, superiorum concessu, ingredi contigerit; & iis quidem maxime, quæ ad comitandum delectæ sunt. Quod si fieri posset, ut ab exteris quibusvis non viderentur, honestati, & decori esset sane optime consultum, & prospectum.

134. Ad clausuræ ostia quacumque de causa, colloquendi ratione, aut visitationis gratia, nunquam accedant sub excommunicationis pœna.

135. Quæ janitrices deputatæ fuerint, faciem ad os usque velo semper contegant, clausuræ ostia externis quum aperuerint.

136. Literas scribere, aut recipere, ne liceat, prætterquam superioribus, nisi monasterii præfecta eas tum missas, tum acceptas antea legerit.

137. Ad locale capitulum, superiorum jussu, sæpe convocentur, ut ibi regularibus institutis, & monitis salutaribus omnes opportune instruantur sorores, ubi singularum culpas audiat, singulasque charitative moneat, reprehendat, & arguat, ac debitis pœnis misericorditer afficiat, prout ratio suaserit, monasterii præfecta.

138. Omnes præterea pro suo munere studiose cohortetur, ut vocationis suæ, quæ Christus dominus, pro sua misericordia, eas dignatus est, perpetuo sint memores: ut vel hac salutari, assiduaque recordatione divinitus excitatæ, singula, quæ sancte, ac pie profitentur, studiose, ac diligenter præstent.

139. Præsertim vero, ut paupertatem servent, puritatem custodiant, obedientiam præstent, virtutes omnes sectentur, vitia fugiant, ac detestentur, mutua charitate se prosequantur, honore se invicem præveniant, pacifice vivant, solicitæ servare unitatem spiritus in vinculo pacis.

140. Humilitatem virginitati conjungant, quia non est Deo cara sine humilitate virginitas; nec ei placet impudica, inverecundaque humilitas. Decet enim, ut quanto castior virgo, tanto humilior sit.

141. In timore Dei permaneant, suam quæque salutem in timore, ac tremore cooperentur, videant, ne cadant è sublimi virginitatis gradu.

142. Divinum officium frequentent, orationibus vacent, sæpe confiteantur, ac sanctissimo Eucharistiæ sacramento digne communicent.

143. Una animi consensione, unoque spiritu in iis elaborent, ut & divino cultui, & cælestium rerum meditationibus, orationibus, & studiis spiri-

Digitized by Google

tualibus assidue vacantes, depositis sæcularibus negotiis, vanisque solicitudinibus, ab omni vitio alienæ, in via Domini recte ambulent.

144. A vanis colloquiis abstineant, hominumque aspectus, & externorum quorumvis devitent; cum externis, nisi accepta facultate, ne loquantur; munera sua quæque diligenter obeant, & accurate præstent.

145. Denique quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque sancta, & pia, ea semper cogitent, agant, meditenturque.

146. Hæc autem, & alias res monasterii præfecta monialibus capitulariter congregatis, pro sua pietate, & prudentia insinuare poterit, ea verborum vi, & efficacia, eoque spiritu, & animi ardore, ut facile monialium animos ad pietatem, ad omneque bene agendi officium, ac virtutis, & sanctæ observantiæ studium, ac regularis vitæ disciplinam, efficaciter inducat.

147. Moniales è capitulo refectorium ingredientes, omnes suo loco, & ordine stent, ac mensæ pro loci, ac temporis ratione benedicant.

148. Deinde benedictione peracta, suo loco, & ordine sedentes, cibum in silentio capiant, sacramque lectionem, pro veteri instituto legi solitam, attente audiant, ut simul cum corpore, suo quoque spirituali cibo recreetur, & pascatur animus.

149. In mensa nulla loquatur, rideat nulla, nulla rixetur, vel obstrepat, neque item vagis aspectibus, & oculis huc, atque illuc circumspiciat.

150. De mensa ne surgant, nisi necessitas coegerit, tumque venia prius impetrata. Benedictioni, ac item gratiarum actioni omnes semper intersint, nisi legitimo impedimento detineantur, monasterii præfectæ antea probato.

151. Quæ in iis erratis deliquerit, debitis pœnis afficiatur, atque etiam arctetur, pro delicti modo, præfectæ arbitratu.

152. Ad divina officia die noctuque sorores omnes, & singulæ solicitè conveniant.

153. Et ubi primum in ecclesiam intraverint, coram altari, ubi sanctissimum Christi corpus ex christiana pietate asservatur, genua flectant, ac paulisper orent.

154. Deinde surgentes, gravi quidem incessu, ac decenti corporis gestu, suo loco, & ordine unaquæque se recipiat, ac ibi genuflexa devote permaneat, donec præfectæ jussu, surgendi signum detur.

155. Omnes in choro statis horis assistentes, ad Deum pro fidelibus pias, ac religiosas preces effundant. Et dum eo loco fuerint, illud alte cogitent, adesse Jesum Christum Dominum, cui cum timore, ac tremore serviendum est.

156. Non pigræ, non somnolentæ, non oscitantes, semper adsint, non vagis oculis, non indecenti corporis statu: sed attentè, studiose, rite, pie, religiose decenti corporis gestu, ac modulatis vocibus, divinas laudes concelebrent, & Deo psallant in conspectu angelorum, cantantes in vocibus, exultantes in cordibus, in hymnis, & canticis spiritualibus, Deo gratias agentes, & psallentes in unum, quoniam benignus, & suavis est dominus, quoniam in æternum misericordia ejus.

157. In choro nulla privatim, nulla ta-

Digitized by Google

tacite officium recitet : sed omnes pariter senes cum junioribus laudent nomen Domini.

158. A quibuscumque colloquiis, & a literarum, librorumve lectionibus, atque ab omni evagatione, & risu abstineant.

159. Pro temporis autem, & officii ratione, sedeant, stent, genua flectant, caput inclinent, assurgant, idemque omnes æque præstent.

160. Divinum officium a præscripto nullatenus variari liceat. Illud alternis vocibus ritè compositis, clare, & distincte pronuncient, dicant, canantque, pro loci, ac temporis ratione.

161. A divinis officiis, & orationibus, statis horis quotidie in ecclesia religiose quidem, ac pie celebrandis, & fiendis abesse, vel discedere ne liceat, nisi publici muneris obeundi ratio excuset, aut necessitas, præfectæ judicio probata, coegerit.

162. Quæ vero quacumque ratione divinis officiis in choro adesse non poterunt, illud ad præscriptum omninò recitent : nec vero negligenter, sed attente, ac devote eis dicendum est.

163. Divinis officiis absolutis, discedere ne liceat, nisi dato præfectæ jussu discedendi signo. Abeuntes autem, quo ordine ad chorum venerant, eodem egrediantur, religiose quidem, ac graviter incedentes, flexis antea sanctissimo, ac venerabili Sacramento genibus.

164. Quæ in iis erratis deliquerit, in eam præfecta graviter animadvertat, & omnino curet, ut intra mensuram delicti sit & plagarum modus.

165. In omni sancta oratione se omnes assidue exerceant, tum in meditationis, tacitæque, ac piè orationis studio, singulis diebus, stata hora, toto castissimi animi sensu incumbant.

166. Quidquid vero temporis a divinis officiis, ab orationis, & contemplationis exercitatione, ab ecclesiasticis functionibus, & ab aliis necessariis actionibus vacuum fuerit, illud non in otio, neque in desidia, nec demum in novarum rerum curiositatibus conterant : sed quum in sortem Domini vocatæ sint, in ejus lege die, ac nocte piè meditentur.

167. Singulis mensibus moniales omnes magna contrictione, & animi dolore peccata confiteri teneantur, ut sacra Tridentina synodo decretum est; sæpius etiam, ac frequentius ad regulæ præscriptum, vel pro cujusque piæ devotionis affectu, aut pro veteri, & probata religionis consuetudine.

168. Pro paternæ autem solicitudinis, & christianæ pietatis studio, animarum saluti prospicientibus a confessoribus admoneantur, ne quidquam ex verecundia subticeant : sed omnia, & singula peccata, verecundè quidem, simpliciter, humiliter, pure, fideliter, nude, discrete, integre, lacrimabiliter, accelerate confiteri velint, ut omnes diaboli laqueos effugiant.

169. Quod ut salubriter præstent, ad id omni diligentia, studio, diligentissimoque conscientiæ examine se præparent.

170. Caveant autem, ne cuiquam confiteri temere audeant, nisi qui necessariam facultatem habeat; ne semetipsas perniciose, ac stulte decipientes, in laqueos diaboli præcipitent.

171. Quum vero in pœnitentiæ sacramento magna humilitas necessaria sit; idcirco ad confessarium, qui Christi domini locum in eo ministerio te-

Digitized by Google

tenet, quum acceſſerint, intimo animi dolore, magnaque humilitate ad illius pedes ſe projiciant, utpote quæ ſe reas agnoſcunt, & confitentur mortis æternæ.

172. Singulis item menſibus omnes, & ſingulæ ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento, aut frequentius etiam, vel ad regulæ præſcriptum, vel pro veteri, ac probata cujuſque monaſterii conſuetudine, aut etiam pro cujuſque chriſtiana pietate, ac devotione, communicent, profundiſſima cordis, & animi reverentia, humilitate, munditia, & puritate.

173. Studeantque diligenter, ut ſemetipſas probent, ne panem angelorum, panem de cælo verum, panem æternæ vitæ ſumant in judicium damnationis æternæ.

174. Ita vero compoſite, religioſe, pie, ac devote ad ſanctiſſimum corpus Chriſti domini ſuſcipiendum accedant, ut nihil omnino admittatur, omittaturve, quod illius auguſtiſſimæ majeſtati, & ſanctitati non conveniat.

175. Confeſſarii monialium quicumque, tum ordinarii, tum qui ex ſacra Tridentina ſynodo extra ordinem dantur, communi patrum conſilio, & conſenſu, in provincialibus capitulis, & congregationibus ſemper inſtituantur; qui ſint ætatis annorum quinquaginta, vel quo magis fieri poſſit, ad quinquageſimam appropinquent, vel quadrageſimum, & in religione vigeſimum quintum omnino excedant, & eruditione, & vitæ innocentia, & moribus caſtiſſimis probati.

176. Quibus ſocii ætate quidem, ac ſanctitate, quoad fieri poſſit, pares aſſignentur.

177. Qui confeſſarii omnes, & ſocii quoque, haud quidquam, vel minimum quidem, a monialibus, privato nomine, dono accipiant.

178. In ædiculis ad audiendas ſacras confeſſiones deputatis ne cibum capiant, niſi quo tempore generales peccatorum confeſſiones audierint.

179. Ad eas neminem ſecum ducant, vel etiam admittant præter ſocium, eiſdem per capitulum, aut ſuperiorem aſſignatum, niſi ſcriptam, ac legitimam facultatem attulerint: quam diligenter inſpiciant, ne incaute quidem hoc circa delinquant. In monaſteriorum regimine, aut electionibus quibusvis, nullatenus ſe intromittant: neque ultra biennium ad idem monaſterium continuari poſſint.

180. Quinimo in omni provinciali capitulo, vel congregatione, aut perſonaliter præſentes, aut abſentes, per literas renunciare teneantur. Quam renunciationem patribus liberum ſit admittere, vel eos per biennium in eodem officio, & loco continuare, prout magis eiſdem expedire videbitur.

181. Guardiano ejus familiæ, cui adſcripti ſunt, præter ea, quæ ad eorum ſpectat officium, in cæteris omnibus ſubjecti ſint.

182. Neque per civitates, & loca eiſdem proficiſci, ut ire liceat, niſi ſpeciali guardiani ipſius conſenſu.

183. Nullus fratrum monialium, aut noſtri, aut alterius ordinis, ſacras peccatorum confeſſiones audire poſſit, ſine legitima generalis, aut provincialis ſcripta facultate.

184. Superiores vero pro audiendis alterius ordinis monialibus facultatem ejuſmodi ne concedant, niſi urgenti de cauſa, patrum judicio probata.

185. Si aliqua monialis in articulo mor-

Digitized by Google

mortis constituta, vel adeo graviter laborans, ut mortis periculum timeatur, extraordinarium confessarium petierit, ei concedatur, dummodo alias, aut illius, aut alterius monasterii confessarius fuerit, vel alias idoneus superiorum judicio probetur.

186. Quæ vero pro confessariis ordinariis, & eorum sociis, ad victum, & vestitum necessaria sunt, ubi consuetudo sit, monialium monasteria provideant, prout æquitatis ratio postulare videtur.

187. Cæterum, quod de confessariis, monialibus bis, aut ter in singulos annos exhibendis, sacra Tridentina synodo decrevit, provinciales, ut inviolate, ac diligenter exequantur, id sane statuitur, ac firmiter præcipitur: ut omnibus prosit, quod pro omnibus salubriter institutum est.

188. Extraordinario autem, ut omnes confiteri velint, id sane consulitur, at non ita præcipitur. Præcipitur autem, ut si omnes confiteri noluerint, omnes tamen coram eo humiliter se præsentent, atque ad pedes ejus genuflexæ, paulisper in illa demissione permaneant; atque ab eo, benedictione accepta, recedant: ut vel sic omnium saluti opportune quidem, ac salubriter consultum sit.

189. Quæ id omiserit, monita, si non paruerit, violatæ obedientiæ pœnam omnino subeat, atque ea de re provincialis admoneatur, si opus esse præfecta censuerit.

190. Quo tempore extraordinarii sacras monialium confessiones audierint, earum ordinariis eo accedere ne liceat.

191. Qui suprascriptis contravenerit, suspendatur officio, vel etiam privetur, superioris arbitratu.

192. Demum omnes confessarii admonentur, ut a gravioribus culpis, & iis vel maxime, quæ contra essentialia religionis vota admittuntur, moniales efficaciter deterreant; a levioribus autem suaviter abducant: ut vel hac salutari, ac pia ratione, & christianæ pietatis studio, earum saluti, & decori opportune quidem, ac studiose, pro eorum officio consulant: in quo gratissimum Deo se præstituros obsequium existiment: secus vero condignas negligentiæ pœnas eos manere.

193. In communi eo loco, quem laborerium vocant, sacra lectio frequens habeatur, tum de vita patrum, tum de sanctorum miraculis; de virtutibus item, & eorum actionibus, magnifice gestis, ac studiose imitandis; utpote de obedientia, de paupertate, de sanctæ virginitatis thesauro.

194. Tum de iis omnibus sub silentio pie meditentur, tum vel una dum legerit, cæteræ omnes attente quidem audiant, vel etiam mutuo ad invicem sancte confabulentur: ut hac ratione salutari, & christianæ charitatis studio, in cælesti disciplina, unaquæque sororem ædificet, vel etiam ipsamet salutariter ædificetur.

195. Hinc procul sine rixæ, contentiones, jurgia, nugæ, vani sermones, scurrilitates, obscœna, turpia, inania quæque.

196. Pias aliquas orationes, aut communiter, aut tacite, ut recitare velint, maxime vero pro fidelibus defunctis, id magnopere quidem superiores hortentur in Domino.

197. Hæc autem omnia ut debite præstentur, atque item serventur accurate, ejus cura sit, quæ ei loco præfue-

fuerit : quæ etiam monasterii præfectam admoneat, si quandoque eius auctoritatem, & operam necessario interponendam esse censuerit; tum vero præfecta pro suo munere provideat, & in delinquentes severe, ac graviter animadvertat, pro ut ei pro sua prudentia expedire videbitur in Domino.

198. Omnes præterea solicite quidem, ac studiose laborent; nullaque alibi, quam ipso loco, communibus operibus constituto, aut acu pingat, aut aliud quicquam manibus elaboret.

199. In operibus tum accipiendis, tum destituendis, nulla alia se ingerat, nisi laborum magistra, cui aliquando, quum necessarium censuerit, monialem aliquam, in conficiendo opere aliquo peritiorem, adhibere liceat.

200. Illud, quoad fieri potest, omnino cavendum est, ne in monasterio multiplicia sint, atque diversi generis manuum opera, ne proinde confusio, aut dissentiones oriantur.

201. Quæ vero ad vanum mulierum, aut virorum etiam ornatum pertinent, in monasteriis fieri nullo modo permittantur, sub pœna privationis officii, & abbatissæ, & superiori etiam, si secus fieri permiserint, incurrenda.

202. Porro pretium laboris omne, ab omnibus in commune conferatur, nec ulla sit, quæ quidquam ex labore sibi appropriet, sub gravi violatæ paupertatis pœna.

203. Tum de omnibus, quæ ex communi monialium labore comparantur, quæ loco præfuerit, sæpe quidem monasterii præfectæ rationem reddat, adhibitis etiam matribus discretis.

204. Singularem librum, ac certum habeat, in quo quicquid ex ipsis laboribus lucri, aut emolumenti capitur, ita distincte conscribat, ut facili inspici, & cognosci possit, si quid in ea re desideretur.

205. In unoquoque monasterio commune vestiarium sit unum, in quo vestimenta monialium cujusvis generis adsint, vestesque omnes omnino asserventur.

206. Nec in cellulis, aliove loco privatim quicquam reponi, aut asservari liceat, quod eo ipso tempore necessarium non sit.

207. Quibus sane diligenter custodiendis, & curandis accurate moniales duas, pluresve, prout necessarium videbitur, ad id vel maximé idoneas, & habiles, communi consilio, monasterii præfecta deputet, & præficiat.

208. Ægrotantium tamen vestes, & præsertim quavis ratione suspectas, separatim custodiri, & asservari liceat, aut etiam apud eas ipsas ægrotas interim relinqui, prout opportunius præfecta censuerit.

209. Quæ iis contrafecerint, ut proprietariæ puniantur, quæcumque sint.

210. In communi eo loco, quem dormitorium vocant, moniales omnes, præter infirmas, & seniores; quibus alio loco ad hoc specialiter constituto, & dormire, & commorari liceat: nocte dormitum se recipiant; nisi quandoque secus alicubi, necessariam ob caussam superiori probatam, magis expedire videatur.

211. Porro illud semper omnino inviolate servetur, ut moniales in eodem lectulo simul accumbere nunquam liceat.

212. Quod si pro loci ratione nonnunquam necessarium sit, plures in eadem cellula lectulos esse; ita disponantur, quod tres vel minimum capere pos-

possit; ut nunquam duæ tantum, nisi germanæ sorores sint, in eadem cellula dormire valeant.

213. Quæ iis obvenerit, graviter puniantur, præfectæ, aut superioris arbitratu; qui ut id inviolate servetur, diligenter curent.

214. Si qua puella, quæ major duodecim annis sit, piæ devotionis affectu, studioque incensa, sanctæ religionis habitum suscipere voluerit; ea de re vel in primis episcopus admoneatur; ut ejus jussu, ad sacri concilii Tridentini præscriptum, explorata diligenter virginis voluntate, si nihil canonicum obstiterit, monialibus capitulariter congregatis, superioris concessu, rite proponi possit. Et si duas ex tribus partibus suffragiorum tulerit, scrutinio secreto, tunc religioni adscribatur.

215. Quæ ubi primum adscripta fuerit, mox inanes mundi delicias abjiciat, humili vestitu utatur, choreis ne intersit, vana spectacula fugiat, familiares conversationes, ac visitationes studiose declinet, a vagationibus abstineat, quum hæc omnia sæpe animum à pietatis, & religionis studio abducere, & ad vanitates inducere, experientia compertum sit.

216. Domi maneat, orationibus vacet, in sanctis meditationibus, sacris lectionibus, & studiis occupetur, sanctæ pœnitentiæ sacramentum frequentet, frequenterque sacram communionem digne suscipiat; & ad hæc quanta maxima potest diligentia, cordis munditia, & animi puritate, atque humilitate se præparet.

217. Monasterium, ubi suscipiendæ religionis affectu animum addixit, frequenter adeat, ut ab ea, tum explorari accuratius, tum ipsamet melius admoneri possit de omnibus, quæ illi & agenda, & ferenda erunt religionis causa; ne ullo quovis tempore, aut conqueri, aut inscitiam, vel ignorationem excusare valeat.

218. Quod si religioni jam adscripta, monasterium ipsum ingredi maluerit; id sane ut opportunum consulitur, dummodo religionis habitum infra menses quatuor susceptura sit.

219. Id vero decernitur, ut ne sacro religionis habitu induatur, nisi confirmationis sacramentum antea susceperit.

220. In vigilia ejus diei, quo religionis habitum suscipere statuit, sacram peccatorum confessionem monialium confessario diligenter faciat, & mane sequentis diei, sanctissimum sacramentum ab eodem suscipiat.

221. Stata hora omnibus debitè præparatis, aut a superiore ipso, vel ejus jussu, ab illius monasterii confessario, vel ab eo, cui superior id muneris commiserit, sacro missæ confecto, benedicantur indumenta, ac cætera serventur, quæ eo ipso de genere in libro tum usu recepto, tum majorum auctoritate probato, conscripta sunt.

222. Qui eam functionem obierit, gravi eam, ac pio sermone, ad sacræ communionis fenestellam prosequatur.

223. Puella, sacro religionis habitu suscepto, ne gentilium quidem, sed alicujus sanctæ nomine vocetur; ut ejus rei gratia, & pietatis studio, ejus virtutes, pios mores, & egregia facta studiose imitetur.

224. Nec vero ejus functionis obeundæ gratia intra septa monasterii cuiquam ingredi liceat; neque instrumenta musica tunc adhiberi, præter organum

Digitized by Google

num, quod intus ab organista moniali pulsetur.

225. Ut vero strepitus, tumultusque, curiosi apparatus, ac inania quæque penitus evitentur, id sane omni ratione curetur.

226. Quod quidem tum facile ad votum eveniet, si puella summo mane ejus diei, quo religionis habitum suscipere statuit, paucis comitata matronis, iisque tantum parentibus, propinquisve, ad monasterium deducta, illud ingressa fuerit.

227. Quod autem ex sacra Tridentina synodo, sub anathematis pœna, dantibus, & recipientibus proposita, expresse prohibetur, ut præter victum, & vestitum, nulla puellæ bona probationis tempore monasterio quovis nomine præstentur, exactè quidem, atque omnino inviolate servetur: ne præ difficultate ea ipsa bona recuperandi, puella impediatur, quominus libere, si voluerit, novitiatus tempore, de monasterio egredi, et ad propria redire possit.

228. Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio, etiam donationis nomine, antea facta, cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ, etiam piæ valeat, nisi episcopi concessu, intra duos menses proximos ante professionem fiat: ac non aliter intelligatur effectum suum sortiri, nisi professione secuta; aliter vero facta, irrita sit, nulliusque effectus, ut sacra Tridentina synodo cautum est.

229. Ne autem stato professionis tempore difficultate aliqua monasterium laboret ea consequendi, quæ ad puellæ sustentationem, ex majorum præscripto, dotis nomine monasterio præstanda sunt, antequam sacro religionis habitu puella induatur, omnia, quæ illius nomine, & alimentorum, & sustentationis jure monasterio debentur, apud aliquem, superioris concessu, per moniales communi consilio electum, depositi nomine, sub instrumento, probabili forma confecto, realiter deponantur, & deposita fideliter serventur; ut professione solemniter emissa, statim liberè, ac sine ulla difficultate, ac mora exigi possint.

230. Nulla novitia ante sextum decimum annum expletum, nec quæ minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur.

231. Nec vero tunc admittatur, nisi episcopo antea per mensem admonito, ut ejus jussu, de virginis voluntate diligenter explorari possit, an seducta, an coacta sit, an sciat quid agat, & an religioni, & illi monasterio idonea censeatur.

232. Quia vero ex sacra Tridentina synodo, finito novitiatus tempore, superiores, novitias, quas habiles invenerint, aut ad professionem admittere, aut è monasterio ejicere debent: propterea si episcopus infra quindecim dies illius mensis, examen ejusmodi neglexerit, aut sine justa causa superiori manifesta, distulerit; tunc eo casu ex declaratione Pii V. summi pontificis, superiori liberum sit, eam admittere, dummodo nihil canonicum obstiterit.

233. Quo vero liberius de novitia ad professionem admittenda, moniales suffragia ferant, id per ballottationes, per aut scrutinium secretum fiat.

234. Mane autem ejus ipsius diei, quo novitia quæcumque professionem solemniter emissura est, diligen-

genter antea confessa, devotè communicet.

235. Tum vero stata hora, monialibus universis, præfectæ jussu, capitulariter congregatis is, qui eam functionem obierit, ad eas sermonem habeat, quo pro rei dignitate, & illius sanctitate, professionis vim, et virtutem explicet.

236. Deinde singularum vota explorentur secretò: & si duas ex tribus partibus calculorum novitia tulerit, tunc omnes in ecclesiam ordine procedentes, et hymnum, vel psalmum pie canentes, suo loco singulæ se recipiant.

237. Tum præfecta una cum matribus discretis ad sacræ communionis fenestellam novitiam deducat; ubi omnibus, quæ in libro eo de genere confecto continentur, rite servatis, coram eo, qui ad hoc specialiter delectus fuerit, in manibus præfectæ, sub formula certis verbis præscripta, professionem emittat.

238. Quò autem die puella aut religionis habitum susceperit, aut professionem solemniter emiserit, memoria fiat in libro ad id instituto; nomine, cognomine, patria, ætateque ejus diligenter adnotatis; manu ejus scripta, qui cancellariæ fungitur officio; adhibita subscriptione ejus, quæ habitum susceperit; aut professionem emiserit, modo scribere sciat, ac item monasterii præfectæ.

239. Quæ de iis omnibus superiorem opportune admoneat, ut ejus jussu omnia, et singula referantur in librum ad usum ejusmodi confectum, et in provinciali archivo accurate perpetuo retinendum.

Digitized by Google

LEGES MINORUM

EDITÆ A SUMMIS PONTIFICIBUS,

SACRIS CONGREGATIONIBUS,

AC SUPERIORIBUS ORDINIS EX SUMMORUM PONTIFICUM PLACITO, ET APPROBATIONE.

ANNO 1217. HONORIUS III. *Leges*. 1. Novitii non emittant professionem ante annum probationis, factaque professione, ordinem non relinquant. *Cum secundum* Anno V.

2 Nemo extra obedientiam evagetur sub habitu religionis, sub pœna censurarum ecclesiasticarum.

3. Tempore generalis interdicti fratres minores in ecclesiis suis possint divina officia persolvere, submissa voce, januis clausis, ejectisque excommunicatis, et interdictis. *Devotionis*. Anno VI.

4. Apostatæ vitentur, ut excommunicati, & denuncientur. *Fratrum minorum*. Anno VIII.

5. Fratres de pœnitentia, tempore interdicti, admittantur ad officia divina, sacramenta, & sepulturam ecclesiasticam, dummodo causam ipsi non dederint interdicto. *Cum illorum*. Anno IX.

6. Possint minorès celebrare missarum solemnia in locis, & oratoriis suis, reservato jure parochiali ecclesiis parochorum. *Quia populares*. Anno IX.

7. Fratres degentes apud infideles possint habitum mutare, barbam, & comam nutrire, & pecuniam contrectare: *Ex parte*. Anno X.

ANNO 1227. GREGORIUS IX.

1. Ministri habeant facultatem absolvendi fratres ab excommunicatione, nisi excessus sit adeo enormis, ut transmittendi sint ad sedem apostolicam. *A nobis*. Anno I.

2. Nemo gravare possit fratres de pœnitentia exactionibus, officiis publicis, aut juramento. *Nimis patenter*. Anno I.

3. In conventibus, & locis habeatur sepultura ad usum fratrum dumtaxat. *Ita vobis*. Anno I.

4. Nemo judex delegatus, aut ordinarius in causis, quæ coram ipsis pertractantur, possit compellere fratres, absque speciali mandato sedis apostolicæ. *Cum non deceat*. Anno I.

5. Euntes in terras Infidelium possint absolvere ab excommunicatione christianos excommunicatos ibi degentes. *Animarum*. Anno VII.

6. Facultatem habeant communicandi cum excommunicatis, dummodo sint Latini, & apostolicæ sedi obediant in iis, quæ ad salutem animarum pertinent. *Cum messis*. Anno VII.

7. Prælati ecclesiarum benigne recipiant fratres minores missos ad prædicandum. *Cum, qui recipit*. Anno VIII.

8. Fratres minores non teneantur recipere commissiones causarum, aut exse-

Digitized by Google

exsequutiones sententiarum, nisi de hoc indulto fiat mentio specialis. *Quieti*. Anno IX.

9. Prælati ecclesiarum admittant fratres ad officia prædicationis, & confessionis; ac girovagos, eosque, qui fratres minores se simulant, capiant, & condemnent. *Quoniam*. Anno XI.

10 Ministri provinciales in suis capitulis possint instituere prædicatores. *Prohibente*. Anno XIV.

11. Generales, & provinciales ministri possint absolvere suos subditos ab excommunicatione ob injectionem manuum violentam, prævia satisfactione. *In jure*. Anno XIV.

12. Diœcesani compellant exteros, ne deferant habitum fratrum minorum, vel ei consimilem. *Quia confusio*. Anno XIV.

13. Mulieres discalceatæ non incedant in habitu clarissarum. *Ad audientiam*. Anno XIV.

14. Qui intersunt officio divino cum fratribus minoribus non teneantur ad dicendum officium proprium. *Pio vestro*. Anno XV.

15. Ministri, dum absunt, possint committere aliis receptionem novitiorum, de consilio peritorum fratrum. *Gloriantibus*. Anno XV.

16. Minores possint commorari in terris infidelium, et excommunicatorum, & ab eis vitæ necessaria acceptare. *Vobis*. Anno XV.

17. Non teneantur ad observantiam testamenti Seraphici patris, quod sine consensu fratrum, & maxime ministrorum, quos universos tangebat, aliquem obligare nequivit. *Quo elongati*. Anno IV.

18. Non teneantur ad alia consilia evangelica, quam ad ea, quæ in regula præceptorie, vel inhibitorie sunt expressa, atque etiam ad ea, ad quæ magis de bono, & æquo se obtulerunt holocaustum Domino, per contemptum rerum mundanarum.

19. Si rem necessariam emere velint, aut solutionem facere pro jam empta, possint vel nuntium ejus, a quo res emitur, vel aliquem alium, volentibus sibi eleemosynam facere, (nisi iidem per se, vel per proprios nuntios maluerint), præsentare.

20. Ita præsentatus a fratribus non sit eorum nuntius, licet præsentetur ab ipsis, sed illius potius, cujus mandato solutionem facit, seu recipientis eamdem; idemque nuntius solvere statim debeat, ita quod de pecunia nihil remaneat apud eum.

21. Si præsentetur pro aliis imminentibus necessitatibus, possit eleemosynam sibi commissam, sicut & dominus, apud spiritualem amicum fratrum deponere, per ipsum dispensandam loco, & tempore, pro ipsorum necessitatibus, sicut melius expedire viderit.

22. Ad ipsum possint fratres pro hujusmodi necessitatibus recurrere, maxime si negligens fuerit, aut eorum necessitates ignoraverit.

23. Nec in communi, nec in speciali fratres proprietatem habeant. Ast utantur libris, & mobilibus, quæ licet habere, secundum quod generalis minister, vel provincialis dixerint, salvo locorum, & domorum dominio illis, ad quos noscitur pertinere.

24. Mobilia vendi non debeant, nec extra ordinem commutari, aut alienari quovis modo, nisi de licentia cardinalis protectoris ordinis.

25. Fratres recurrant ad ministros pro-

provinciales pro peccatis suis manifestis tantum, & publicis.

26. Generalis minister constitui faciat tot per provincias, quot earum ministri expedire viderint, de maturioribus, & discretioribus sacerdotibus, qui audiant privatas confessiones pœnitentium; nisi fratres ministris, & custodibus suis ad loca eorum declinantibus maluerint confiteri.

27. Minister generalis nulli absenti committere possit examen prædicatorum; sed qui examine indigere creduntur, mittantur ad ipsum, ut cum ministris provincialibus conveniant super hoc in capitulo generali.

28. Si qui examinari non egeant, pro eo quod in theologica facultate, & prædicationis officio sunt instructi, si ætatis maturitas, & alia, quæ requiruntur in talibus, conveniant in eisdem, possint, non contradicente ministro generali, libere populo prædicare.

29. Vicarii relicti in provinciis a ministris euntibus ad capitulum generale facultate careant recipiendi novitios, receptosque antea rejiciendi, nisi eam habeant a ministro generali.

30. Unus custos eligendus in singulis provinciis ab omnibus custodibus intersit capitulo generali, & in eo vocem habeat.

31. Generaliter sit vetitum fratribus ingressus in monasteria monialium quarumcumque, idest in claustrum, domos, & officinas interiores.

32. Ad alia loca, ubi sæculares quoque conveniunt, possint accedere prædicandi, vel eleemosynam petendi gratia, de superiorum suorum consensu.

Nota. Eadem continentur in literis Innocentii IV. *Ordinem vestrum*. Anno III. ferme ad literam. Adduntur solum quæ sequuntur. 1. Ministris provincialibus liceat, tam eorum vicariis, quam aliis providis fratribus committere receptionem venientium ad ordinem pro suis provinciis, de consilio fratrum discretorum.

2. Non expediat tamen, converti volentes indifferenter admitti; sed ii tantum admittantur, qui, suffragantibus eis literatura, & aliis laudabilibus circumstantiis, possint utiles esse ordini, sibique per vitæ meritum, & aliis proficere per exemplum.

3. Ministri egressos ab ordine, quum redierint ad ipsum, recipiant, & ejiciant in certis casibus jam receptos, secundum determinationem capituli generalis.

4. Dum fratres intersunt divino officio cum aliis celebrantes, tunc eis illud sufficiat, & ad dicendum officium proprium non teneantur.

5. Debeant fratres solicitam curam gerere per amicos spirituales pro necessitatibus infirmorum, & fratribus induendis, si id sibi commissum fuerit a ministris, & custodibus.

6. Mobilium, & immobilium, quæ sunt apud fratres, iis exceptis, quorum donatores dominium sibi reservaverint, jus, proprietas, & dominium spectet ad Romanam ecclesiam.

7. De vilibus, & parum valentibus mobilibus, liceat fratribus pietatis, seu devotionis intuitu, vel pro alia honesta, & rationabili causa, obtenta suorum superiorum licentia, extra ordinem aliis elargiri.

AN.

Digitized by Google

ANNO. 1243. INNOCENTIUS IV.

1. Miniſtri provinciales cum diffinitoribus in capitulis poſſint inſtituere prædicatores. *Prohibente*. Anno I.

2. Fratres nequeant conveniri per literas apoſtolicas, quæ non faciunt de indulto mentionem. *Cum jam*. Anno I.

3. Miniſtri abſolvere poſſint ſubditos a ſententia excommunicationis, etiam ante ordinis ingreſſum incurſa. *In jure*. Anno I.

4. Fratres extra conventus degentes poſſint in divino officio aliis conformari. *Pio veſtro*. Anno I.

5. Generalis miniſter per ſe, vel alium poſſit capere, carcere includere, & pœnis aliis afficere apoſtatas ordinis. *Devotionis*. Anno II.

6. Nullus prælatus eccleſiaſticus poſſit in ſocium ſibi aſſumere fratrem minorem, inconſulta ſede apoſtolica. *Vobis*. Anno III.

7. Miniſtri tam generales, quam provinciales poſſint inſtituere inquiſitores hæreticæ pravitatis. *Odore*. Anno III.

8. Mulieribus recipiendis ad habitum clariſſarum dura, & aſpera prædicentur, per quæ itur ad Deum, & quæ neceſſe habuerint firmiter obſervare; ne de ignorantia poſtea ſe excuſent. *Solet annuere*. Anno III.

9. Nulla receptis, & profeſſis concedatur licentia a monaſterio ulterius exeundi, niſi forte cauſa plantandi, vel ædificandi eamdem religionem, ad aliquem locum tranſmittantur. Morientes tam dominæ, quam inſervientes profeſſæ intra clauſtrum tumulentur.

10. Non recipiatur aliqua, quæ vel longiori ætate, vel infirmitate laboraverit, ſeu fatua ſimplicitate ad hujus vitæ obſervantiam minus ſufficiens, & idonea comprobetur. Receptæ vero intra clauſtrum, ſi ætatis convenibilis fuerint, citius deponant ſæcularem habitum, & infra ſtatutos dies profeſſionem faciant in manu abbatiſſæ. Quod etiam de ſervientibus obſervetur.

11. Moniales, quæ pſalmos, & horas legere noverint, officium faciant regulare, tam die, quam nocte illud Domino perſolventes. Si etiam canere ſciant, liceat eis, horis compentibus canendo officium dicere cum gravitate, ac modeſta, & multa devotione.

12. Quæ pſalmos neſciunt, orationem dominicam in ſuis horis ſecundum morem devote perſolvant.

13. Si abbatiſſæ viſum fuerit, deputetur magiſtra idonea, & diſcreta juvenculis aliquibus, vel etiam grandioribus ingenioſis, & humilibus, quæ eas literas doceat.

14. Omnes ſervent ſilentium continuum, exceptiis iis, quibus magiſterium aliquod, vel opus injunctum fuerit, quod non poſſit congrue cum ſilentio exerceri. His liceat ſimul loqui de iis, quæ ad officium, vel opus ſuum pertinent, ubi, quando, & qualiter viſum fuerit abbatiſſæ.

15. Si perſona aliqua religioſa, vel ſæcularis, cujuſlibet dignitatis, loqui petierit alicui dominarum, nuncietur prius abbatiſſæ, &, ſi ipſa conceſſerit, accedens ad loquutorium duas alias ad minus habeat ſemper ſecum, quibus jubeat abbatiſſa, quod ea, quæ ſibi dicta fuerint, vel ipſa aliis dixerit, audiant univerſa.

16. Moniales ſanæ pariter, & infirmæ, nec inter ſe, nec cum aliquibus aliis, minus quam tres, ſimul loquantur, præter illas, quæ diverſis officiis, & operibus deputantur; & præter

ter eas, quæ vel de confessione cum sacerdote, vel cum visitatore de communi statu, & regularis disciplinæ observantia secreto fuerint colloquuturæ.

17. Numquam tamen ipsum fiat, nisi ad minus duabus non longe sedentibus, quæ confitentes, & loquentes bene videant, & ab iis videantur.

18. Hanc legem & ipsa servet abbatissa, excepto, quod cum sororibus suis de iis, quæ ad rem pertinent, horis competentibus, loqui possit publice, & privatim, sicut visum fuerit expedire.

19. Omni tempore jejunent quotidie moniales, & a pulmento, ac vino abstineant quarta, & sexta feria, extra quadragesimam, nisi præcipuum festum alicujus sancti in eis occurrat celebrandum. Iis diebus, si poma, aut fructus, vel herbæ crudæ adfuerint, reficiendis monialibus apponantur.

20. In quadragesima majori, quatuor diebus; in quadragesima S. Martini, tribus diebus in hebdomada jejunent in pane, & aqua; & in omnibus vigiliis solemnibus, si de earum fuerit voluntate; exceptis adolescentulis, senibus, & corpore omnino imbecillibus, & debilibus.

21. Infirmæ, si usquam fieri potest, proprium habeant locum, ubi a sanis maneant separatæ. Quæ non multum gravi infirmitate laborant, in saccis cum palea jaceant, & habeant ad caput capitale cum pluma. Quæ graviter infirmantur, jaceant in culcitris, si commode possint inveniri. Omnes autem habeant pedulos laneos, &, si fieri potest, soleatos, quos, quum necesse fuerit, in pedibus portent.

22. Unaquæque monialis habeat duas tunicas, & mantellum, præter cilicium vel stamineam, quæ præsto fuerit, sive saccum. Scapularia sint de levi, & religioso panno, vel staminea, amplitudinis, & longitudinis congruentis, quibus singulæ induantur, dum laborant, vel tale aliquid agunt, ut pallia congrue gestare non possint.

23. Si tamen illa simul habere voluerint cum mantellis, vel etiam jacere cum ipsis, non prohibeantur; possintque & sine ipsis esse aliquando, si visum fuerit abbatissæ, quod propter calorem nimium, vel aliquid aliud, eis grave multum fuerit ad portandum.

24. Moniales, quæ scapulare deferre noluerint, non graventur, & cum eis super hoc liberaliter dispensetur, licet honestius agant illæ, quæ scapulare suscipiunt.

25. Jaceant super tabulas ligneas, storea, vel panno laneo superstrato, cum aliquantulo fœni, vel paleæ, si voluerint, & visum fuerit abbatissæ, vel hujusmodi aliquo alio, habentes ad caput cervicalia plena palea, sive fœno.

26. Habeant quoque coopertoria lanea, sive cultras, si illa habere nequiverint congruenter.

27. Capillos suos tondeant in rotundum, nec aliqua de cætero tonsuretur, nisi evidente corporis infirmitate id exigente.

28. Nulla unquam abbatissa, vel soror personæ sæculari, aut religiosæ in monasterium intrare permittat, nec omnino alicui liceat, nisi cui, & quibus id concessum fuerit a summo pontifice; exceptis illis, quos pro aliquo opere necessario exercendo necessitas exegerit introire.

29.

29. Si quis cardinalium monasterium ingredi voluerit, cum reverentia, & devotione suscipiatur; sed rogetur, ut cum uno, vel duobus honestioribus sociis ingrediatur. Prælati alii uno tantum religioso, & honesto socio, si eis aliquando intrare licuerit, sint contenti.

30. Si episcopo concessum fuerit, missam intra monasterium celebrare, pro benedictione abbatissæ, vel sorore aliqua consecranda in monialem, vel alio modo, quam paucioribus, & honestioribus contentus sit sociis, & ministris, & hoc quoque rarius alicui concedatur. Nulla tamen monialis loquatur cum aliquo, sive infirma fuerit, sive sana.

31. Capellanus habitu, & vita religiosus sit, ac bonæ famæ, nec multum juvenis, sed ætatis idoneæ, qui, si aliqua monialis gravi corporis infirmitate detenta visa fuerit ad extrema tendere, & necesse habeat confiteri, vel Dominici corporis accipere sacramenta, ingrediatur indutus alba, stola, & manipulo, & postea sic indutus exeat, nec moram ibi faciat longiorem. Sic se etiam habeat in animæ commendatione.

32. Ad exequias circa sepulturam agendas non ingrediatur claustrum; sed exterius in capella quæ ad illud officium pertinent exsequatur.

33. Si visum fuerit abbatissæ, quod ad exequias debeat introire, modo supradicto indutus intret, & sepulta mortua, exeat sine mora.

34. Si necesse fuerit, ut ad faciendam, vel aperiendam sepulturam, seu postea coaptandam ingrediatur, licitum sit ei, vel alicui alteri ad hoc idoneo, & honesto introire. De cætero monasterium nunquam ingrediatur: sed quum aliqua de confessione ipsi loqui voluerit, per loquutorium eam audiat, & per illud eidem ipse loquatur.

35. Nemo loquatur per cratem ferream, per quam moniales communionem accipiunt, vel officium audiunt, nisi ex causa rationabili, aut necessaria; rarissime tamen id alicui sit concedendum.

36. Cratibus ferreis hujusmodi apponatur pannus interius, ita ut nulla inde valeat exterius in capella aliquid intueri. Habeant & ostia lignea cum seris ferreis, & clave, ut maneant semper clausæ, & non aperiantur, nisi pro causis memoratis, & ad audiendum aliquando verbum Dei proponendum in capella.

37. Moniales, quæ proprium non habuerint capellanum, a quolibet bonæ famæ, & honestæ vitæ presbytero missam audire possint.

38. Pœnitentiam, & sacram communionem recipere studeant a viro discreto, habitu, & vita religioso, ætate idoneo, nisi forte in necessitatis articulo fuerit aliqua constituta.

39. Visitator sive generalis, sive specialis instituatur is, de cujus religiosa vita, moribus, & fide habeatur notitia plena, & securitas, qui sic per omnia se exhibeat, atque ostendat, ut omnes de bono ad melius provocet.

40. Studium ejus sit, corrigenda corrigere, reformanda reformare tam in capite, quam in membris, sicut melius viderit expedire, cum zelo charitatis, amore justitiæ, & discretione.

41. Modum loquendi custodiat supradictum, ut videlicet aut cum omnibus, aut cum pluribus simul loqua-

 tur

Digitized by Google

tur, vel secreto cum una, aliis tamen ad minus duabus in aspectu ejus non longe sedentibus, ut per omnia bonæ famæ integritas conservetur.

42. Si aliquid occurrat, quod visitator nequeat per se emendare, ad superiorem referat, ut consilio ejus, & præcepto, sicut expedit, bene corrigatur.

43. Caveat abbatissa, ne a se, vel ab aliis dominabus, status sui monasterii in observantia religionis, & unitate mutuæ charitatis visitatori aliquatenus abscondatur. Contrafacientes puniantur a visitatore.

44. Visitator corrigat etiam capellanum, si fuerit in aliquo reprehensibilis, in quo convenienter non possit, nec debeat supportari, præmissa monitione modeste, & rationabiliter, quam si capellanus contempserit, pro capellano non habeatur.

45. Ad custodiendum ostium monasterii deputetur aliqua, quæ Deum timeat, matura moribus, diligens, discreta, & convenientis ætatis, quæ ostii clavem sic custodiat, ut nunquam sine ipsa, vel ipsa nescia, ostium valeat aperiri.

46. Habeat ostiaria sociam, quæ ejus vicem in omnibus exsequatur, si ipsa ex aliqua rationabili causa, vel occupatione necessaria fuerit occupata, & detenta.

47. Ostium nunquam stet apertum, nisi tantum, quantum minus fieri poterit, congruenter; sitque seris ferreis cum valvis, & vectibus optime communitum, & omnino sine custodia minime dimittatur, etiam ad momentum, nisi clave sit firmiter obseratum.

48. Ostium omni pulsanti non aperiatur statim, nisi prius indubitanter ostiaria cognoverit, quod pulsans talis sit, cui sine dubitatione aliqua debeat aperiri.

49. Si intra monasterium opus aliquod fiat, abbatissa solicite curet, ut, dum opus exercetur, aliqua alia persona conveniens ad custodiendum ostium statuatur, quæ sic ad opus deputatis personis aperiat, quod alias penitus intrare non permittat. Caveant autem dominæ, ne a secularibus, vel personis extraneis videantur.

50. Abbatissa clarissarum, seu sororum pauperum possit mulieres ad habitum recipere, si major pars dominarum consenserit, de licentia cardinalis protectoris. *Ex literis Raynaldi cardinalis Ostiensis*. Anno 1253.

51. Ei, quæ recepta fuerit, tondeantur capilli in rotundum, & concedantur tres tunicæ, ac mantellum; nec deinceps exire permittatur extra monasterium sine utili, manifesta, & probabili causa.

52. Finito anno probationis, recipiatur ad obedientiam, nullaque infra tempus probationis veletur.

53. Juvenculæ in monasterio receptæ infra tempus ætatis legitimæ tondeantur in rotundum, & deposito habitu seculari, induantur panno religioso, sicut visum fuerit abbatissæ. Quum ad ætatem legitimam pervenerint, indutæ juxta formam aliarum faciant professionem.

54. Tam ipsis, quam aliis novitiis, abbatissa provideat idoneam magistram de discretioribus monasterii.

55. In receptione sororum servientium extra monasterium servetur forma prædicta. Ipsæ poterun portare calceamenta, nullaque cum sororibus residentiam faciat in monasterio, nisi re-

Digitized by Google

recepta fuerit secundum formam hujus professionis.

56. Sorores literatæ faciant divinum officium secundum consuetudinem fratrum minorum, legant sine cantu, & quæ, occasione rationabili, non possunt aliquando legendo horas dicere, possint dicere *Pater noster*, sicut aliæ sorores non literatæ eos recitant.

57. Hæ postremæ persolvant officium eodem modo, quo illud persolvunt fratres laici in ordine minorum. Pro defunctis dicant in vesperis septem *Pater noster*, & *Requiem æternam*, pro matutino duodecim. At sorores literatæ singulæ teneantur dicere officium defunctorum.

58. In obitu alicujus sororis dicant quinquaginta *Pater noster*.

59. Moniales jejunium servent omni tempore; at in Nativitate Domini quacumque die venerit, bis refici possint. Si videatur abbatissæ, possint dispensari a jejunio adoloscentulæ, debiles, & servientes extra monasterium.

60. Duodecim vicibus ad minus, de licentia abbatissæ, confiteantur in anno, sex vicibus communicent, videlicet in Nativitate Domini, in Pentecoste, in Assumptione B. Virginis, & in festo Omnium Sanctorum. Pro communicandis infirmis, capellanis liceat claustrum introire.

61. Procurent moniales habere generalem ministrum, vel provincialem ordinis minorum, qui verbo eas informet ad sanctam concordiam, & communem utilitatem in electione abbatissæ, ad quod munus nulla eligatur, nisi professa.

62. Si non professa eligeretur, vel aliter daretur, ei moniales non obediant, nisi primo profiteatur formam hujus paupertatis. Ea decedente, vel inhabili ad servitium, & communem utilitatem, alia eligatur.

63. Semel in hebdomada convocet abbatissa sorores suas ad capitulum, ubi tam ipsa, quam sorores de publicis offensis, & negligentiis humiliter confiteantur; & conferat cum sororibus ea, quæ tractanda sunt, pro utilitate, & honestate monasterii.

64. Nullum debitum grave fiat, nisi de communi consensu sororum, in manifesta necessitate, & per procuratorem; neque deposita recipiantur in monasterio.

65. Omnes officiales monasterii eligantur de communi consensu sororum: eodemque modo octo ad minus sorores de discretioribus eligantur, quarum consilio debeat uti abbatissa in his, quæ forma vitæ requirit.

66. Officiales, & discretæ, si utile, & expediens videatur judicio sororum, possint ab ipsis removeri, & aliæ loco earum eligi.

67. Ab hora completorii usque ad tertiam sorores silentium teneant, exceptis servientibus extra monasterium.

68. Sileant continue in ecclesia, dormitorio, & in refectorio, dum comedunt. In infirmaria pro recreatione, & servitio infirmarum possint discrete loqui, sicuti & semper ubique submissa voce id, quod necesse fuerit, possint insinuare.

69. Absque licentia abbatissæ, vel ejus vicariæ, nulla possit loqui ad loquutorium, vel ad cratem. Et licentiatæ loqui non audeant, nisi præsentibus ad minus tribus assignatis per abbatissam, vel ejus vicariam, de illis discretis, quæ sunt electæ ab omnibus sororibus, pro consilio abbatissæ.

70. Eamdem formam loquendi servent quantum poterunt abbatissa, & vicaria. Id vero ad cratem rarissime; ad portam autem nullatenus fiat.

71. Apponatur ad cratem pannus interior, qui non removeatur, nisi dum proponitur verbum Dei, vel quum alia alicui loqui debet. Ad loquutorium maneat item pannus interior, qui nunquam removeatur. Nullaque monialis ad cratem loquatur ante ortum Solis, vel ejus occasum.

72. Ostium ligneum conjungatur diversis, vel duabus seris ferreis, valvis, & vectibus, ut nocte maxime duabus clavibus obseretur, quarum unam habeat abbatissa, aliam sacrista. Et maneat semper obseratum, nisi dum auditur divinum officium, & pro causis supra memoratis.

73. In quadragesima S. Martini, & quadragesima majori, nulla loquatur ad loquutorium, nisi sacerdoti causa confessionis, vel alterius manifestæ necessitatis, quod reservetur prudentiæ abbatissæ, aut ejus vicariæ.

74. Moniales non recipiant, nec habeant possessionem, vel proprietatem rerum per se, vel interpositam personam, seu etiam aliquid, quod rationabiliter proprietas dici potest: nisi quantum terræ pro honestate, et renovatione monasterii necessitas requirit. Et illa terra non laboretur, nisi pro horto ad necessitatem ipsarum.

75. Id, quod manibus suis operantur, consignent in capitulo abbatissæ, vel ejus vicariæ, coram omnibus. Idemque fiat de eleemosynis, quæ pro sororum necessitatibus ab aliquibus mittuntur; quæ omnia pro communi utilitate distribuantur per abbatissam, vel ejus vicariam, de consilio discretarum.

76. Sibi non approprient domum, locum, vel aliquam rem, sed tamquam peregrinæ, & advenæ in hoc sæculo, in paupertate, & humilitate Domino famulantes, mittant pro eleemosyna confidenter.

77. Nemini liceat literas mittere, vel aliquid recipere, aut extra monasterium dare, sine licentia abbatissæ, nec quidquam habere, quod abbatissa non dederit, aut permiserit. Quod si alicui a parentibus suis, vel ab aliis aliquid mitteretur, abbatissa faciat illi dari; ipsa autem, si indigeat, uti possit; sin autem, sorori indigenti charitative communicet.

78. Si alicui pecunia transmissa fuerit, abbatissa, de consilio discretarum, in rebus, quarum indiget, illi faciat provideri.

79. Abbatissa solicitam curam gerat infirmarum. Infirmæ vero jaceant in saccis, & paleis, & habeant ad caput capitalia cum pluma; & quæ indigent, uti possint pediolis laneis, ac culcitris.

80. Dum infirmæ ab introeuntibus ad monasterium visitantur, possint aliqua bona verba sibi loquentibus breviter respondere. Aliæ vero sorores licentiatæ monasterium intrantibus loqui non valeant, nisi præsentibus, & audientibus duabus discretis per abbatissam, vel ejus vicariam assignandis.

81. Monialis, quæ instigante inimico mortaliter peccaverit, per abbatissam, vel alias sorores bis, aut ter admonita, si se non emendaverit, quot diebus contumax fuerit, in terra panem, & aquam coram sororibus omnibus in refectorio comedat, & graviori pœnæ subjaceat, si visum fuerit abbatissæ. Oretur interim, ut Domi-

nus

Digitized by Google

nus ad pœnitentiam cor ejus illuminet.

82. Si inter sororem, & sororem verbo, vel signo occasio turbationis, vel scandali suboriatur, ea, quæ causam dederit, statim, antequam offerat munus orationis suæ coram Deo, humiliter se prosternat ad pedes alterius, veniam petens, & rogans, ut pro se intercedat ad Dominum, ut sibi indulgeat. Altera autem injuriam omnem liberaliter sorori suæ dimittat.

83. Sorores inservientes longam moram extra monasterium non faciant, nisi aliud necessitas manifesta postulaverit, honeste ambulent, & parum loquantur, nec habeant suspecta consortia aliquorum, nec fiant commatres virorum, ac mulierum, nec rumores de sæculo referant in monasterio.

84. De iis, quæ in monasterio dicuntur, vel aguntur, extra nihil referant, quod possit scandalum generare. Si aliqua simpliciter in his offenderit, illi abbatissa misericorditer pœnitentiam injungat. Si ex consuetudine vitiosa habeatur, abbatissa illam puniat pro modo culpæ, de consilio discretarum.

85. Abbatissa moneat, visitet, & humiliter, ac charitative corrigat sorores suas, non præcipiens eis aliquid, quod sit contra animam suam, & hujus professionis formam. Moniales ipsi in omnibus obediant.

86. Ostiaria resideat in die prope ostium monasterii in cella aperta sine janua. Una ostii clavis sit apud ostiariam, altera apud abbatissam. Quum autem ad opus faciendum necesse fuerit, aliquos introire, statuat abbatissa personam convenientem ad portam, quatenus illis, & non aliis, ad opus deputatis aperiat.

87. Visitator monasterii semper sit de ordine fratrum minorum, secundum voluntatem, & mandatum cardinalis protectoris, & sit talis, de cujus honestate, & moribus plena habeatur notitia.

88. Moniales postulent ab eodem ordine capellanum cum uno socio clerico, bonæ famæ, discretionis providæ, ac duos fratres laicos sanctæ conversationis, & honestatis amatores, in subsidium paupertatis.

89. Capellanus sine socio monasterium non ingrediatur, & intrantes in loco sint publico, ut se possint mutuo, & ab aliis videri.

90. Teneantur sorores habere semper illum de S. R. E. cardinalibus pro gubernatore, protectore, & correctore, qui fratribus minoribus fuerit a summo pontifice deputatus.

91. Ministri possint absolvere a censuris venientes ad ordinem. *Cælestis*. Anno III.

92. Expulsi, vel egressi ab ordine non possint prædicare, confessiones audire, aliaque sacramenta ministrare. *Justis*. Anno IV.

93. Soli legati a latere possint assumere fratrem in socium, sine licentia ministri generalis, vel provincialis. *Petitionibus*. Anno V.

94. Ministri possint instituere sindicos, & procuratores ad res ordini relictas ministrandum. *Quanto*. Anno V.

95. Possint fratres celebrare super altare portatile, ubi conventus ordinis fuerit. *Postulastis*. Anno VII.

96. Ecclesiæ conventuales habeant cœmeteria pro fratribus, & famulis. *Cum tanquam*. Anno X.

97. Fratres non teneantur ad solvendam canonicam portionem de iis,

quæ

Digitized by Google

quæ in ultima voluntate eis legantur, dummodo legata non fiant in fraudem. *Pacem vestram*. Anno XI.

98. Cogi nequeant ad colligendam pecuniam in suis concionibus, etiam per literas apostolicas, nisi de indulto mentione facta. *Vestra*. Anno XI.

99. In divinis mysteriis, horisque canonicis uti possint palliis, & vestibus sericis. *Ex parte*. Anno XI.

100. Conversi, & familiares monasterii monialium, tempore interdicti, possint audire divina officia, & sacramenta recipere in eodem. *Devotionis*. Anno XI.

101. Monasteriis ordini subjectis dirigendis deputentur, secundum discretionem ministrorum provincialium, fratres idonei, & maturi, qui monialibus in spiritualibus dumtaxat deserviant. *Paci*. Anno III.

102. Subsint ipsi fratres jurisdictioni, et correctioni ministrorum suorum, sicut cæteri.

103. Moniales ordini subjectæ gaudeant omnibus privilegiis, quæ toto ordini conceduntur. *Licet olim*. Anno IV.

104. Superiores ordinis habeant jurisdictionem visitandi moniales, eas corrigendi, et reformandi. Attamen electio abbatissæ pertineat semper ad communitatem, seu conventum monasterii.

105. Si in monasteriis fratres deputati nequeant residere continue, assignentur monialibus discreti aliquot, et providi capellani.

ANNO 1254. ALEXANDER IV.

1. Prælati ecclesiarum benigne suscipiant, & suis observantiis regularibus libere uti faciant fratres minores. *Patris*. Anno I.

2. Superiores ordinis possint fratres suos deputatos in socios episcoporum visitare, corrigere, & ad ordinem revocare. *Sacræ*. Anno I.

3. Fratres compelli nequeant ad curam monialium suscipiendam. *Petitio*. Anno I.

4. Minister generalis statim ac eligitur, possit officium exercere, ac etiam absolvi, et deponi in capitulo generali, secundum regulam. *Inter alia*. Anno I.

5. Ordinis prælati possint præsentare fratres suos ordinandos quibusvis catholicis episcopis sine examinatione. *Convenit*. Anno I.

6. Fratres, qui se transferunt de loco ad locum, possint vendere ædificia relicta, vel eorum materiam cum utensilibus secum deferre, exceptis ecclesiis, *Ex parte*. Anno I.

7. Fratres assumpti ad dignitates ecclesiasticas debeant resignare ordini bona, quæ apud se habent. *Ex parte*. Anno I.

8. In ecclesiis ordinis sepultura omnibus sit libera. *Cum a nobis*. Anno II.

9. Nemo assumi valeat in episcopum absque superiorum licentia. *Petitio*. Anno II.

10. Prælati ordinis possint absolvere ab excommunicatione, etiam per confessarios ab ipsis electos. *Ordinis*. Anno II.

11. Nemo molestiam inferat fratribus, eorum ecclesiis, et benefactoribus. *Nimis iniqua*. Anno II.

12. Fratres accedentes ad capitulum provinciale gaudeant indulgentia centum dierum. *Licet*. Anno III.

13. Lectores absque licentia cujusquam valeant in conventibus docere theologiam, si ab ordine tales fue-

Digitized by Google

fuerint instituti. *Exultante*. Anno III.

14. In missarum solemniis fratres vestimentis sericis uti possint. *Locis*. Anno III.

15. Minister generalis exerceat in suos subditos eam potestatem, quam habent pœnitentiarii apostolici. *Vt ministerium*. Anno III.

16. Fratres, quibus permissum est, transire ad alium ordinem, nisi infra trimestre id faciant, subjiciantur pœnis apostatarum. *In gravem*. Anno ....

17. Fratres possint prædicare, et excipere confessiones de episcoporum licentia, non requisito parochorum assensu. *Cum olim*. Anno V.

18. Irrita sint pacta, et conventiones a fratribus facta, absque licentia ministrorum. *Mente solicita*. Anno V.

19. Qui contradixerit stigmatibus S. Francisci sit excommunicatus. *Quia longum*. Anno V.

20. Tempore generalis interdicti liceat fratribus in festis SS. Francisci, Antonii, et Claræ, eorumque vigiliis, et octo diebus sequentibus, officia divina celebrare, apertis janùis, cum religiosis, et clericis secularibus. *Pro reverentia*. Anno VII.

21. Litera breviariorum, et missalium corrigatur ad exemplar, quod haberi potest, juxta ecclesiæ constitutiones. *Ex legibus editis a S. Bonaventura anno 1260.*

22. In quadragesima S. Francisci fratres in conventu unicam capiant refectionem.

23. In mensa etiam extra refectorium servetur silentium.

24. Oblati, seu pueri in conventibus inservientes non retineant pecuniam, quæ datur pro fratribus.

25. Custodes, et guardiani habeantur pro superioribus, & guardiani obediant suis custodibus, quin in officiis suis se perturbent.

26. Ministri provinciales non committant aliis receptiònem fratrum extra suas provincias, exceptis studiis generalibus.

27. Dum ministri transeunt per alienas provincias, stricte in recipiendo se habeant, & eos, quos recipiunt, ducant cum proposito nullatenus remittendi.

28. Testudines in ecclesiis non sint, nisi supra altare, & de licentia ministri generalis.

29. Quælibet domus in terminis provinciarum habeat loca sibi viciniora.

30. Nullus confessor absolvere queat a tactibus impudicis, nisi habuerit facultatem absolvendi a peccato carnis.

31. In locis suis fratres non comedant unquam carnes, exceptis debilibus, & infirmis.

32. Cingulum sit chorda communis, & rudis, ad quam nihil portetur appensum.

33. Non habeantur cingula interius cum cultellis, & bursis, nec bursæ inferius in tunica habitus laterales.

34. Caveant fratres a cibariis sumptuosis, unoque sint contenti ferculo; et in mensis suis non utantur vasis, aut cyathis vitreis, vel stamneis.

35. Vitetur superfluitas, et curiositas in picturis, celaturis, columnis, fenestris, & aliis; & campanilia non fiant instar turrium.

36. Vitentur vitrinæ historiatæ, vel picturatæ; excepto quod in principali vitrea post altare majus haberi possint imagines Crucifixi, B. Virginis, B. Francisci, & B. Antonii tantum.

37. Provinciarum ministri, vel, iis negligen-

gentibus, viſitatores amoveant tabulas ſumptuoſas ſuper altare, & earum auctores expellant de locis, qui reſtitui nequeant, niſi per miniſtrum generalem.

38. Thuribula, cruces, ampullæ, & quæcumque vaſa, vel imagines de auro, vel argento non habeantur, niſi in crucibus, aliiſque eſſent aliquæ SS. reliquiæ, & niſi eſſet pixis, vel aliquod vaſculum pro Chriſti corpore, ut moris eſt, reponendo.

39. Calices ſint ſimplices in opere, neque excedant pondus duarum marcarum cum dimidia, aut altarium numerum, excepto uno pro conventu.

40. Abſque licentia miniſtri,& diffinitorum in capitulo provinciali,non habeantur panni phrygiati, vel ſerici.

41. Si in locis noſtris adſit parochiale cimiterium, aut baptiſterium, fratres poſſint ſepelire defunctos, & pueros baptizare. Quod ſi proprietas annexa loco ſit, de illa nec per ſe, nec per perſonam interpoſitam curam habeant, aut ex pacto fructus illius percipiant.

42. Non inducantur ſæculares ad ordinandam eleemoſynam perpetuam, annuatim, vel certis temporibus, fratribus exhibendam; & ſi aliqua legata fuerit, non exigatur a fratribus in judicio.

43. Nec pro loco aliquo,nec pro fratre teneatur a quocumque equus,jumentum, aut mulus, niſi ex evidenti neceſſitate diſpenſatum fuerit a miniſtro, de conſilio capituli provincialis.

ANNO 1265. CLEMEMS IV.

1. Nonniſi legati, vel ſubdelegati a latere poſſint cenſurarum ſententias ferre in minores. *Exigentibus*. Anno I.

2. Clariſſæ non teneantur ſolvere ſubſidia, vel procurationes aliquas perſonis quibuſlibet. *Quanto*. Anno I.

3. Cœnobium mendicantium conſtrui nequeat, niſi infra ſpatium tercentum cannarum in locis, ubi præexſiſtit cœnobium minorum. *Ad conſequendam*. Anno I. *In aliis literis poſterioribus reducitur diſtantia ad medietatem*.

4. Fratres poſt mortem epiſcoporum, ſedibus vacantibus, uti queant facultate ab eis accepta, audiendi confeſſiones, prædicandi &c. *Exigentibus*. Anno II.

5. Prælati eccleſiarum nequeant interpretari privilegia minorum,ſive dubia, ſive clara. *Ordinis*. Anno IV.

6. Miniſter generalis electus ſecundum regulam, & conſtitutiones ordinis, ſtatim poſt ſuam electionem, curam ſuſcipiat animarum fratrum ipſius ordinis. *Virtute*. Anno I.

7. Poſſit a miniſtris provincialibus, & cuſtodibus ab officio removeri, ſecundum eamdem regulam, & conſtitutiones, ſervatis iis, quæ hactenus decreta fuerint ab ipſo generali miniſtro, prædictis, & diffinitoribus in comitiis generalibus.

8. In electionibus miniſtri generalis, & miniſtrorum provincialium, fratribus, qui debent electionem celebrare, ſi a remotis partibus conveniant, præfixum tempus non currat.

9. Guardiani, & cuſtodes, poſt inſtitutionem, ſeu proviſionem de ipſis factam, capiant adminiſtrationem.

10. Lectores in conventibus deputati ad legendam theologiam ipſam legant, ſine cujuſquam alterius licentia, exceptis locis, in quibus viget ſtudium generale.

11. Singuli provinciales miniſtri in ſuis provinciis, cum diffinitoribus, & pro-

provincialibus capitulis congregatis, examinent, & approbent fratres in sacra pagina eruditos, eisque officium prædicationis committant, sicuti ex forma regulæ id agit minister generalis.

7. Liceat ipsis, fratres suos mittere ad quemcumque catholicum episcopum, sacris initiandos, sine qualibet examinatione per episcopum eumdem facienda, & sine omni provisione, vel obligatione ipsorum fratrum.

8. Liceat etiam, in locis suis habere oratoria, in quibus cum altari portatili missarum solemnia, & alia divina officia celebrentur, & ecclesiastica sacramenta recipiantur.

9. In eisdem oratoriis, ecclesiis, locisque singulis ecclesiastico suppositis interdicto, possint fratres, non pulsatis campanis, januis clausis, exclusis interdictis, & excommunicatis, submissa voce divina peragere, & sacramenta recipere.

10. Fieri id queat, dummodo fratres causam non dederint interdicto, nec ipsi, aut eorum oratoria, & ecclesiæ fuerint specialiter interdicta.

11. Fratres possint iis, qui suis immorantur obsequiis, ministrare cuncta ecclesiastica sacramenta, & sepulturam dare in suis cœmeteriis.

12. Procuratores fratrum, operarii, qui in conventuum operibus personaliter continue institerint, ac pueri fratrum servitiis deputati, non subsint sententiæ excommunicationis, seu interdicti latæ in terras, seu earum personas; nisi iidem causam dederint, vel excommunicari, seu interdici eos contigerit.

13. In terris excommunicatorum libere commorari queant fratres, & ab illis necessaria vitæ deposcere, & recipere.

14. Si gravis adeo excessus non fuerit, & enormis, ut ad sedem apostolicam recurri debeat, generalis, & provinciales ministri possint absolvere a censuris, atque irregularitatibus fratres suos, etiamsi in eas incidissent, antequam ordinem ingrederentur. Et superiores ipsi possint absolvi a suis fratribus.

15. Sæculares, qui a censuris absolvuntur, causa ingrediendi ordinem, nisi mox ordinem intraverint, quamvis super hoc eis induciæ a prælatis ordinis concedantur, eo ipso relabantur in easdem censuras.

16. Fratres conveniri nequeant a quoquam per literas apostolicas, vel cogi ad pecuniam colligendam, ad visitationis officium in monasteriis, vel ecclesiis, ad cognitionem causarum, denuntiandam sententiam interdicti, recipiendam curam monialium, nisi apostolicæ literæ de hoc indulto, & fratribus expressam fecerint mentionem.

17. Nullus legatus, nisi de latere missus, auctoritate literarum apostolicarum de hoc indulto specialem non facientium mentionem, nullusque prælatus ad sua, seu ecclesiæ negotia procuranda, vel secum manendum, fratres assumere valeat, nisi quos generalis, vel provincialis minister illi duxerit assignandos; qui etiam ordinis disciplinæ subjaceant.

18. Superiores ordinis exerceant omnimodam jurisdictionem supra fratres crucem prædicantes, & inquisitores.

19. In fratres ordinem deserentes promulgent sententiam excommunicationis.

20. Qui ad religionem aliam transire voluerit, si post obtentam licen-

Digitized by Google

tiam a sede apostolica, infra duos, vel tres menses ad illam se non contulerit, ejusque habitum regularem non susceperit, sit subjectus ordinis prælatis, qui in ipsum possint procedere, tamquam in apostatam.

21. Iidem prælati habeant auctoritatem excommunicandi, capiendi, carcere includendi apostatas ordinis, invocato etiam auxilio brachii sæcularis.

22. Absque mandato sedis apostolicæ, nemo habitum minorum, aut ita consimilem, ut propter eum aliquis frater minor credi possit, deferat; data facultate ordinariis locorum contrafacientes, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam compellendi.

23. De hortis, & virgultis hortorum, fratres non teneantur ullam decimam exhibere.

24. Possint fratres applicare sibi in pios usus bona eorum, qui ordinis habitum assumpserint, quum hi nesciunt, quibus restitui debeant.

25. Liceat fratribus, corpora defunctorum in ecclesiis suis sepelire, salva justitia ecclesiarum, a quibus corpora ipsa assumuntur.

26. Nemo cleri sæcularis possit eadem corpora in cœmeteriis fratrum sepelire, aut in ecclesiis missarum solemnia, vel exequias celebrare, sine fratrum ipsorum voluntate, & assensu.

27. Nonnisi necessitatis urgente articulo, possint fratres aliis, quam prælatis suis peccata confiteri, vel aliis sui ordinis sacerdotibus.

28. Ecclesiarum prælati nequeant audire confessiones fratrum, ipsis invitis, vel eos compellere ad synodos, vel secum extra civitates, vel intra processionaliter ducere, aut suis constitutionibus submittere, vel capitula in conventibus, vel alibi de fratribus facere.

29. Neque possint fidelitatem juramento firmatam, & manualem obedientiam exigere a ministris, custodibus, vel guardianis, aut de ipsorum institutione, vel destitutione, vel de statutis ordinis, se aliquatenus intromittere.

30. Non possint prohibere, ne ad civitates, aut villas, ubi religiose, & honeste fratres morari queunt, a populis vocati fratres accedant, ibique ædificia, ecclesias, seu oratoria pro suis usibus construant.

31. Pro defunctorum legatis nemini canonicam justitiam, seu portionem aliquam fratres exhibere teneantur.

32. Si aliqua dimiserint loca, possint ad alia se transferentes de illorum bonis disponere, exceptis dumtaxat ecclesiis dedicatis.

ANNO 1277. NICOLAUS III.

1. Fratres minores obligentur ad observantiam evangelii ex eorum regula in tribus votis determinatam, seu specificatam. *Exiit*. Anno II.

2. Ex professione regulæ non teneantur, nisi ad observantiam illorum consiliorum evangelii, quæ in regula præceptoriè, vel inhibitoriè, vel sub verbis æquipollentibus sunt expressa.

3. Ad nonnulla alia per evangelium data consilia eo magis, secundum exigentiam sui status, teneantur plusquam cæteri christiani, quo per statum perfectionis, quem per professionem assumpserunt, se Domino obtulerunt holocaustum per contemptum rerum mundanarum.

4. Ad omnia, quæ in regula continentur, tam præcepta, quam consilia, ac cætera, ex voto professionis suæ, non

non aliter teneantur, quam eo modo, quo in regula ipsa traduntur.

5. Ac proinde teneantur ad eorum observantiam, quæ sub verbis obligatoriis in regula ipsis indicuntur.

6. Cæterorum vero observantiam, quæ sub verbis monitoriis, exhortatoriis, informatoriis, & instructoriis &c. continentur, eatenus magis condecet de bono, & æquo eos prosequi, quo imitatores seraphici patris effecti, Christi semitas elegerunt.

7. Abdicatio proprietatis omnium rerum, tam in speciali, quam in communi propter Deum, meritoria est, & sancta, quam Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmavit.

8. Sic fratres se committant divinæ providentiæ, ut viam non contemnant provisionis humanæ; quin vel de iis, quæ emendicantur, vel de iis, quæ conquiruntur per laboritium, sustententur.

9. Si hæc cuncta deficerent, fratribus, jure poli, in extremæ necessitatis articulo, via non præcludatur ad providendum propriæ sustentationi.

10. Usus facti moderatus rerum, tam ad vitæ sustentationem, quam ad officiorum sui status exsequutionem, exceptis denariis, vel pecunia, fratribus sit concessus.

11. Hinc habere ipsi possint necessaria omnia ad victum, vestitum, divinum cultum, & sapientiale studium.

12. Dominium & proprietas omnium utensilium, librorum, omniumque mobilium, quorum usus facti fratribus est permisus, ad summum pontificem, & Romanam ecclesiam plene, & libere pertineant.

13. Loca empta de eleemosynis diversiis, & oblata, seu concessa fratribus, sub quacumque verborum forma a diversis, seu pro indiviso possidentibus, seu certas partes in ipsis locis habentibus, in quibus ipsi possidentes nihil sibi in oblatione, seu concessione reservarunt, transeant similiter in dominium, & proprietatem summi pontificis, & ecclesiæ.

14. Loca, quæ fratribus conceduntur, ita ut donatores sibi eorum dominium reservent, & non aliud, quam inhabitationem permittant fratribus, non spectent quoad speciale dominium ad summum pontificem, & ecclesiam, sed ad donatores ipsos.

15. Excipiuntur ecclesiæ, oratoria, & cœmeteria, quæ in jus, & proprietatem transeant summi pontificis, & ecclesiæ.

16. Non recipiant fratres utensilia, nec alia, præter eorum usum ad necessitatem, & officiorum sui status exsequutionem, ad ullam superfluitatem, divitias, seu copiam, quæ deroget paupertati.

17. De his, secundum exigentiam personarum, & locorum, ministri, & custodes simul, & separatim, in suis administrationibus, & custodiis cum discretione disponant.

18. Abstineant fratres a mutuis contrahendis. At possint, ad satisfactionem faciendam pro eorum necessitatibus, (cessantibus eleemosynis, de quibus satisfieri commode tunc non possit), citra cujuslibet obligationis vinculum dicere, quod per eleemosynas, & alios amicos, ad solutionem faciendam intendant fideliter laborare.

19. Eo in casu curent fratres, ut ille, qui dabit eleemosynam, per se, vel alium non nominandum ab ipsis, si

fieri poterit,ſed ab eo potius,juxta ſuũ beneplacitum, aſſumendum, ſatisfa-ctionem faciat in totum, vel in partem.

20. Si tamen hoc ipſe nollet, vel non poſſet facere, ipſi fratres aliquem nominent, cui, ſi eleemoſynam facienti placuerit, committi queat exſequutio ſatisfactionis.

21. At penes ipſum dantem remaneant dominium, proprietas, & poſſeſſio pecuniæ, cum libera poteſtate eam ſibi revocandi uſque ad converſionem ipſius in rem deputatam; nihilque juris habeant fratres in pecuniam ipſam, vel perſonam nominatam, vel non nominatam ab eis.

22. Liceat tamen fratribus, ſuas neceſſitates inſinuare, ſpecificare, vel exponere perſonæ prædictæ, ac eam rogare, ut ſolvat; præterea eam hortari, ac inducere, quod fideliter in re commiſſa ſe habeat.

23. Si perſona hujuſmodi impediatur, quominus ſolvat, permiſſum ſit fratribus, aliam nominare ſubrogandam ad præmiſſa, ſi ad primum dantem non poſſint, vel nolint habere recurſum.

24. Poſſint inſuper fratres, nominare plures perſonas ad idem munus, emergente caſu, quod ſatisfactio fieri non poſſit, ſine earum ſubrogatione.

25. Eodem modo procedatur in imminenti neceſſitate, quæ brevi tempore valeat expediri, & neceſſitatibus aliis, quarum proviſio neceſſario tractum temporis habeat, ut in libris ſcribendis, eccleſiis, ſeu ædificiis ad uſum habitationis conſtruendis, libris, & pannis in locis remotis emendis, aliiſque ſimilibus.

26. In hoc poſtremo caſu, ſi præſto ſit eleemoſynæ largitor, vel ejus nuntius, & conſentiat, ut (remanente penes ipſum pecuniæ dominio uſque ad converſionem ipſius in rem deputatam) pecunia per quorumcumque manus tractetur, ſeu per perſonas ab eo, vel fratribus nominatas, poſſint fratres uti re empta, vel acquiſita de illa pecunia.

27. Si, antequam pecunia in licitum rei habendæ, vel utendæ, commercium ſit converſa, moriatur pecuniæ largitor, qui dixerit, ſeu expreſſerit, ſe pecuniam in fratrum neceſſitates conceſſiſſe, quidquid de ſui vita, vel morte contingerit, poſſint fratres, non obſtante hæredis contradictione, ad perſonam deputatam recurrere, pro ipſa pecunia expendenda, ſicut poterant recurrere ad ipſum dominum concedentem.

28. Poſſint fratres rogare pecuniæ largitorem, quod ſi, habita neceſſitate determinata, aliquid de pecunia ſuperſit, conſentiat, ut reſiduum in res alias pro aliis ipſorum neceſſitatibus convertatur.

29. Si largitor non conſentiat, ipſi reſiduum pecuniæ reddatur. Fratres autem non plus ſcienter ſibi concedi ſinant, quam veriſimiliter æſtimari poſſit, rem neceſſariam, pro qua pecunia conceditur, valituram.

30. Prædictis vero modis pecunia intelligatur conceſſa, niſi per concedentem aliud exprimatur.

31. Si teſtator exprimeret in teſtamento, ſe legare fratribus vineam, vel agrum ad excolendum, domum ad locandum, vel ſimilia in ſimilibus proferret, aut modos ſimiles in relinquendo ſervaret, a tali legato, vel ejus receptione fratres abſtineant.

32. Si vero modum licitum fratribus expri-

Digitized by Google

exprimeret, ut si diceret, se legare pecuniam pro fratrum necessitatibus expendendam, vel domum, agrum, vineam &c. ad hoc, quod per certam personam, vel personas idoneas distrahantur, & pecunia de ipsis rebus accepta in ædificia, vel alias fratrum necessitates convertatur; talia legata a fratribus recipi possint.

33. Ad hujusmodi legata solvenda tam hæredes testatorum, quam exsequutores se liberales exhibeant; prælati quoque, ac sæculares, quibus de jure, vel consuetudine provisio ista competit.

34. Si fratribus aliquid generaliter legetur absque modi expressione, id sub modo licito fratribus relictum intelligatur, ita quod nec legans merito, nec fratres ipsi effectu fraudentur.

35. Commutatio librorum, aliorumque mobilium in eas res, quarum usus fratribus est licitus, fiat auctoritate ministri generalis, & provincialium in suis administrationibus conjunctim, aut divisim, qui etiam de usu talium rerum disponant.

36. Si res aliqua æstimato pretio vendatur, pretium, seu pecunia recipiatur, & expendatur in rem licitam per procuratorem a sede apostolica, vel a protectore ordinis deputandum.

37. De vilibus, vel parum valentibus mobilibus liceat fratribus, pietatis, vel devotionis intuitu, vel alia honesta, & rationabili causa, de licentia suorum superiorum, intra, & extra ordinem aliis elargiri.

38. Fratres, de licentia ministrorum, & custodum, conjunctim, & divisim in administrationibus suis, pensatis necessitatibus, & aliis circumstantiis, uti queant non tantum una tunica cum caputio, & altera sine caputio, sed tunicis pluribus.

39. Ministri, & custodes possint etiam aliis committere curam fratrum induendorum, & per ipsos providere infirmorum necessitatibus.

40. Fratres vacantes studio, vel divinis officiis, & ministeriis exsequendis, non teneantur manuali labori.

41. Occupentur in laboribus manualibus illi, qui in prædictis spiritualibus operibus se non exercent; nisi & tales tam excellentis, & notabilis contemplationis, & orationis exsisterent, quod merito propter hoc non essent a tanto bono subtrahendi.

42. Nemo prædicet in episcopatu alicuius episcopi, ipso contradicente, nisi per sedem apostolicam, pro utilitate populi christiani, aliud concessum fuerit, vel ordinatum.

43. Tam minister generalis possit examinare, & approbare prædicatores, ac eis licentiam prædicandi concedere, quam id possint ministri provinciales in capitulis provincialibus cum diffinitoribus.

44. Novitiorum receptio spectet ad ministrum generalem, & provinciales ministros; quorum tamen auctoritas arctari possit per generalem.

45. Vicarii ministrorum provincialium ea facultate careant, nisi id ipsis specialiter a ministris committatur, quod non fiat semper nisi considerate.

46. Non indifferenter, sed illi tantum admittantur ad ordinem, qui suffragantibus literatura, idoneitate, vel aliis circumstantiis, possunt ordini esse utiles.

47. Singularum provinciarum custodes unum ex se constituant, quem cum suo provinciali ministro pro seipsis ad capi-

tulum generale dirigant, voces, aut vices suas committentes eidem.

48. Ad nulla omnino monialium monasteria fratres accedant, idest ad claustrum, domos, & officinas interiores; ad alia tamen loca, ubi homines sæculares conveniunt, accedere possint, de superiorum suorum licentia, prædicationis, vel eleemosynæ petendæ causa; exceptis semper monasteriis pauperum inclusarum, ad quæ nulli detur accedendi facultas, sine speciali licentia sedis apostolicæ.

49. Fratres non teneantur ad observantiam eorum, quæ in testamento seraphici patris continentur.

50. Qui hanc constitutionem non servaverit, vel contra ipsam scripserit, vel aliter interpretatus fuerit, subjaceat pœnæ excommunicationis, & privationis officii, ac beneficii.

ANNO 1281. MARTINUS IV.

1. Fratres minores possint libere sibi constituere sindicôs apostolicos, seu procuratores, eosque revocare, quoties opportunum fuerit, aliasque personas eis subrogare, & nominare. *Exultantes*. Anno II.

2. Sindici recipiant eleemosynas fratrum nomine sedis apostolicæ, easque erogent in fratrum utilitates, sicuti, & quando a superioribus ordinis fuerint requisiti.

3. Habeant auctoritatem petendi, exigendi, recipiendi, alienandi, transigendi, agendi, defendendi &c. in judicio, & extra, contra quoscumque in omnibus causis, & rebus fratrum usui concessis.

ANNO 1285. HONORIUS IV.

1. Si diœcesani a fratribus requisiti denegaverint, vel ultra quatuor menses distulerint, lapidem ponere in ecclesiis construendis, vel oratoriis, & eadem, ac altaria consecrare, & benedicere, id fratres efficere possint per alium episcopum. *Ex parte*. Anno I.

2. Irrita sint quæcumque pacta fratrum cum episcopis, aliisque prælatis, in præjudicium suæ religionis. *Religionis*. Anno I.

ANNO 1288. NICOLAUS IV.

1. Fratres tertii ordinis eligant visitatorem de ordine fratrum minorum. *Unigenitus*. Anno III.

2. Fratres, eorumque bona sit immediate subjecta jurisdictioni sedis apostolicæ, & exempta ab ordinariis. *Quia nonnulli*. Anno I.

3. Ex singulis provinciis unus tantum custos suffragetur in electionibus capitularibus. *Ad statum*. Anno I.

4. Provinciarum non fiat erectio, aut divisio, absque speciali licentia sedis apostolicæ. *Quia provinciarum*. Anno I.

5. Absque summi pontificis licentia non fiat vicarius generalis per mortem ministri. *Quoniam*. Anno I.

6. Minoritæ transeuntes ad alios ordines, non possint in iis assumi ad dignitates, & officia. *In vestri*. Anno I.

7. Possint fratres instituere sibi sindicos, & procuratores *Religionis*. Anno III. Idem sanxit Sixtus IV. *Dum fructus*. Anno 1471.

ANNO 1295. BONIFACIUS VIII.

1. Moniales S. Claræ gaudeant privilegiis fratrum minorum, & subsint cardinali protectori ordinis. *In sinu*. Anno IV.

2. Sint quoque exemptæ a solutione decimarum, aliarumque exactionum, quæ imponuntur etiam per nuntios, & legatos apostolicos. *Laudabilis*. Anno II.

3. Ea-

Digitized by Google

3. Earum monasteria ingredi queant fratres minores, si a prælatis ad secum illa ingrediendum invitentur. Idem possint, quoad monasteria aliorum ordinum. *Habet vestræ*. Anno.....

4. Superiores ordinis possint punire suos subditos delinquentes non servatis apicibus juris, & appellatione postposita. *Ad augmentum*. Anno I.

ANNO 1305. CLEMENS V.

1. Fratres minores non solum, ex professione regulæ, teneantur ad tria vota nude, & absolute accepta; sed etiam ad omnia ea implenda, quæ pertinent ad eadem vota. *Exivi*. Anno VII.

2. Non tamen æqualiter sint obligati ad omnia contenta in regula, modificantia tria vota, seu ad alia, quæ in ipsa exprimuntur; quum nonnullis apponatur verbum præcepti, vel æquipollentis, nonnullis non item;

3. Licet fratres non ad omnium, quæ sub verbo imperativi modi ponuntur in regula, sicut ad præceptorum, seu præceptis æquipollentium observantiam teneantur; expedit tamen, ut ad ea, sicut ad æquipollentia præceptis, se noverint obligatos.

4. Æquipollentia præceptis sunt. I. Illud, quod ponitur in regula, de non habendo plures tunicas, quam unam cum caputio, aliam sine caputio.

II. De non portandis calceamentis, & non equitando, extra casum necessitatis.

III. Quod fratres vestimentis vilibus induantur.

IV. Quod jejunent a festo omnium SS. usque ad Nativitatem Domini, & in sextis feriis.

V. Quod clerici faciant divinum officium, secundum ordinem S. R. Ecclesiæ.

VI. Quod ministri, & custodes pro necessitatibus infirmorum, & fratribus induendis soliciiam curam gerant.

VII. Quod si quis fratrum in infirmitatem ceciderit, alii fratres debeant ipsi servire.

VIII. Quod fratres non prædicent in episcopatu alicujus episcopi, quum ab eo illis fuerit contradictum.

IX. Quod nullus populo audeat prædicare, nisi a ministro generali, (vel aliis, quibus id competit), fuerit examinatus, approbatus, & ad hoc institutus.

X. Quod fratres, qui cognoscerent, se non posse promissam regulam spiritualiter observare, debeant, & possint ad suos ministros recurrere.

XI. Quod omnia, quæ ponuntur in regula, ad formam habitus tam novitiorum, quam professorum, ad modumque receptionis, ac professionem spectantia, nisi recipientibus quoad habitum novitiorum secundum Deum aliter videatur, tamquam obligatoria observentur.

5. Ubicumque ponitur in regula vocabulum *teneantur*, ipsum obtinet vim præcepti, & a fratribus observari debet, sicut tale.

6. Ministri, & fratres abstineant, quum novitii recipiuntur ad ordinem, ab inductionibus, & suasionibus ad sibi dandum, adhibendisque consiliis, ut novitii res suas hoc, vel alio modo distribuant.

7. Liceat tamen eis recipere, si quid de bonis suis, per modum eleemosynæ, is, qui receptus fuerit ad ordinem, sponte velit fratribus dare, sicuti cæteris pauperibus.

8. Caveant tamen, ne ex receptorum quantitate notabili præsumi pos-

Digitized by Google

possit sinister oculus contra ipsos.

9. Pluribus tunicis uti fratribus non liceat, nisi in necessitatibus, quæ haberi possunt per regulam.

10. Vilitas vestium, tam habitus, quam interiorum tunicarum, ea intelligatur, quæ secundum consuetudinem, vel conditionem patriæ debeat, quantum ad colorem panni, & pretium, vilitas merito reputari.

11. Ea determinetur judicio ministri, custodum, seu guardianorum, servata tamen in vestibus utilitate.

12. Eorumdem judicio relinquatur statuere, pro qua necessitate fratres possint portare calceamenta.

13. Præter jejunia, quæ præscribuntur in regula, teneantur fratres ad jejunia ecclesiæ.

14. Interdicti sint quæstus omnes pecuniæ, ac receptio oblationum pecuniarum in ecclesia, vel alibi, cippi, vel trunci ordinati ad offerentium, seu donantium pecunias reponendas, & quicumque recursus ad pecunias, seu habentes ipsas, qui in declaratione Nicolai III. non continetur.

15. Recursus ad amicos spirituales licitus sit pro necessitatibus infirmorum, & fratribus induendis, pie, & rationabiliter considerata necessitate vitæ ad alias necessitates fratrum pro tempore occurrentes, cessantibus eleemosynis.

16. Pro nullis aliis causis, quam prædictis, vel similibus in via, vel alibi, recurrere fratribus liceat ad amicos spirituales, sive sint dantes pecuniam, sive deputati per ipsos, sive nuntii, sive depositarii, seu quovis nomine appellentur.

17. Si fratres debeant recurrere ad habendas pecunias deputatas pro eorum necessitatibus, non præcipiant quid, aut qualiter pecunia expendatur, neque computum exigant de expensa, neque eam quomodocumque repetant, sive deponere, aut deponi faciant, vel capsulam pecuniæ, vel ejus clavem deferant.

18. Fratres non sint capaces successionis hæreditariæ, nec reddituum annuorum, nec possessionum recipiendarum, vel habendarum, ac etiam contrectationis pecuniæ, vel juris experiendi aliquid in judicio.

19. Possint habere hortos, & areas competentes ad recollectionem, & recreationem sui, habendaque necessaria hortalia pro seipsis.

20. Hortos tamen habere, ut colantur, ac olera, & alia hortalia pretio distrahantur, nec non & vineas, id sit vetitum.

21. Ex timore levi fratres relaxare se non debeant ad faciendas congregationes, & conservationes frumenti, & vini; sed tunc tantum eas possint facere, quum aliter vitæ necessaria non invenirentur judicio ministrorum, & custodum simul, & separatim in suis administrationibus, cum guardiani, & duorum sacerdotum conventus discretorum, & in ordine antiquorum, consilio, & assensu.

22. Nec fieri faciant, nec fieri sustineant ecclesias, vel alia quæcumque ædificia, quæ considerato fratrum inhabitantium numero, excessiva sint in multitudine, & magnitudine.

23. Sufficiant ipsis vasa, & paramenta ecclesiastica decentia, in numero, & magnitudine sufficientia competenter, seclusis superfluitate, & nimia pretiositate.

24.

24. Ex professione regulæ specialiter obligentur ad arctos rerum usus, seu pauperes, qui in regula continentur, & eo obligatorio modo, quo continet, seu ponit regula dictos usus.

25. Præsumptuosum, & temerarium sit asserere, quod hæreticum est, tenere, usum pauperem includi, vel non includi sub voto evangelicæ paupertatis.

26. Si alicui provinciæ de ministro fuerit providendum, ipsius electio resideat penes capitulum provinciale, quam idem capitulum die sequenti, qua fuerit congregatum, facere teneatur, per formam scrutinii.

27. Confirmatio electionis pertineat ad ministrum generalem. Quod si electio in discordia celebretur, illa, quæ a majori parte capituli, nulla zeli, vel meriti collatione, seu consideratione habita, fuerit celebrata, confirmetur, vel etiam infirmetur a ministro generali, diligenti examine præmisso, de consilio discretorum ordinis.

28. Si electio fuerit infirmata, revertatur ad idem capitulum provinciale.

29. Si electio, prædicta die, prætermittatur, ministri provincialis provisio ad ministrum generalem libere devolvatur.

30. In provinciis ultramarinis, & Hiberniæ, si expediat, minister generalis, cum consilio aliquorum proborum patrum, possit per seipsum præficere ministrum provincialem.

31. In provincia Romaniæ, & Græciæ, quando minister moreretur, vel absolveretur citra mare, illa vice, absque dolo, partialitate, & fraude, servetur id, quod minister generalis, de eorumdem consilio, duxerit ordinandum.

32. In destitutione ministrorum provincialium servetur id, quod hactenus in ordine est observatum.

33. Si contigerit, fratres carere ministro generali, per vicarium ordinis fiat super hoc quod faciendum fuerat per eumdem ministrum, usque dum provisum fuerit de generali ministro.

ANNO. 1316. JOANNES XXII.

1. Minoritæ habeant conservatores suorum privilegiorum. *Etsi*. Anno III. & *Dilectos filios*. Anno eodem.

Nota. Idem quoad omnes mendicantes sanxit Joannes XXIII. *Frequentes*. Anno 1414. Approbavit quoque Joannes XXII. declarationes regulæ factas a Nicolao III., & Clemente V. *Quorumdam*. Anno I.

ANNO 1334. BENEDICTUS XII.

1. Ante missarum, & horarum principia, fratres omnes, quos causa rationabilis non excusat, ad chorum conveniant, ibique sine discursu, murmure, risu, absque vagis, & vanis aspectibus, sub silentio, in pace, & cum debita gravitate, permaneant, cantent, & orent, & usque in finem unanimiter perseverent. *Redemptor*. Anno II.

2. Divinas laudes integre, honeste, & religiose persolvant, gestus leves, & cantus dissolutos, seu fractos omnino declinent, tractum psallant debito more, incœpta, quæ simul cantanda fuerint, simul continuent, simul pausent.

3. In omnibus conventibus hora sexta, sicut aliæ horæ, cum nota dicantur.

4. Custodes, guardiani, eorumque vicarii diligenter intendant, ut prædictus modus conveniendi ad chorum, & dicendi divinum officium, jugiter servetur, debiteque puniant culpabiles.

5. Minister generalis, seu provincialis, ipsos custodes, guardianos, vicarios

carios

Digitized by Google

carios in his negligentes notorie ab officiis amoveant.

6. Excipiantur ab horis canonicis in choro, & a missis, ægrotantes actu, multum antiqui, magistri, lectores, baccalaurei in studiis generalibus, dum actu suas continuant lectiones, ac studentes occupati in lectionibus theologiæ, & disputationibus ordinariis.

7. Qui, ne ad matutinum in oratorio cum aliis conveniant, sunt excepti, hora congrua simul ad capitulum, vel locum alium idoneum conveniant, & ibidem simul matutinum persolvant, exceptis graviter ægrotantibus, & lectoribus actu legentibus.

8. Silentium a completorio usque ad primam pulsationem horæ primæ diei sequentis ab omnibus observetur, exceptis hospitibus de novo venientibus, & eis ministrantibus usque ad horam congruam de guardiani sui licentia, vel mandato.

9. Sileatur in claustro, in choro, & in ecclesia a principio chori, & supra in dormitorio, in quo sunt cellæ, seu studia omni tempore: in dormitorio vero a studiis separato temporibus, quibus conventus fratrum ibi dormit, & in refectorio tam in prima, quam in secunda mensa, ac extra refectorium, ubi erit multitudo fratrum simul comedentium, & hoc non solum a residentibus, sed a forentibus observetur.

10. Si fratres non habeant officinas distinctas a locis superioribus, loca commoda deputentur, ubi sileant, & ubi possint loqui aliis, dum oportet.

11. Similiter hora dormitionis a festo Resurrectionis Domini usque ad festum exaltationis Sanctæ Crucis qualibet die post secundam mensam immediate pulsetur campanella refectorii, & tunc sileatur usque ad nonam.

12. In diebus jejuniorum a pulsata campanella post mensam secundam silentium observetur, donec fiat signum ad surgendum a somno secundum spatium a guardiano assignandum.

13. Liceat fratribus, quod necesse est, loqui breviter, & submisse.

14. Si quis silentium fregerit, debeat in capitulo dicere culpam suam, causam, prout se in hoc deliquisse meminerit, exprimendo, cui a guardiano abstinentia a pulmento, vel a vino, vel ab utrisque, vel alia pœnitentia secundum culpæ exigentiam imponatur.

15. Quilibet provincialis minister, vel ejus locumtenens annuatim in tabula diffinitionis sui provincialis capituli, de diffinitorum consilio, certos conventus in sua provincia deputet, in quibus omnes novitii ejusdem provinciæ debeant commorari, & in quolibet illorum conventuum magistrum novitiorum assignet.

16. Novitii, probationis tempore, studio scholastico non intendant, sed divinum addiscentes officium studio devotionis insistant, nec ordines sacros suscipiant, nec confessiones audiant, si fuerint sacerdotes, nec portam conventus exeant, nisi causa translationis, vel generalis processionis, vel alia rationabili, quæ per fratres confessores, & prædicatores conventus exstiterit judicata, nec literas mittant, nec recipiant sine sui magistri licentia, nec loquantur cum aliqui sæculari persona, nisi suo præsente magistro, aut alio per suum magistrum, vel guardianum ad hoc deputato.

17. Caveant guardiani, & ipsorum novitiorum magistri, ac fratres alii, ne quem constitutum infra probationis annum impedire præsumant, quominus

nus

Digitized by Google

nus ad illam religionem, quam maluerit, transeat, vel ad sæculum redeat, sicut voluerit.

18. Professis juvenibus, qui ætatis suæ annum vigesimum quintum nondum attigerint, per ipsum ministrum alius magister idoneus deputetur, qui super eorum vita continue, & diligenter invigilet, eos moribus instruat, ab insolentia compescat, & retrahat, & ad regularem observantiam inducat.

19. Si qui instructionem dicti magistri non reverenter, & cum effectu receperint, ipse magister defectus, & excessus eorum, ac contumaciam custodi suo, vel guardiano denuntiet, qui eos tali disciplinæ subjiciat, quod cæteris transeat in exemplum.

20. Si qui magistrorum post provinciale capitulum morte, vel longa ægritudine, vel alia rationabili causa fuerint propediti, minister cum discretorum fratrum consilio de aliis idoneis celeriter provideat.

21. Tempore regiminis magistri non mittantur extra conventus, in quibus ad prædicta fuerint deputati, aut alias sic occupentur, quominus utiliter, & salubriter curæ suæ intendere valeant.

22. Si fratres ad magisterium deputati ipsum pertinaciter suscipere recusaverint, puniantur pœna, qua fratres inobedientes debent secundum ipsius ordinis instituta puniri.

23. In generali & provincialibus capitulis, & ubique in refectoriis abstineatur ab esu carnium, & ubi comode fieri poterit, fratrum magna pars juxta dispositionem guardiani, ac consiliariorum conventus omni die in refectorio comedat, & in domo, in qua alia pars conventus juxta dispositionem dicti guardiani comederit, sicut in refectorio, ab omnibus silentium observetur, & in mensa lectio habeatur.

24. In festivitatibus Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis Dominicæ, Pentecostes, apostolorum Petri, & Pauli, Assumptionis Virginis gloriosæ, & SS. Francisci, Antonii, & Ludovici episcopi totus conventus in refectorio comedat.

25. Ministri, custodes, & guardiani, ac eorum vicarii cum fratribus in conventu, in ecclesia, & in mensa, & in cibis, vestibus, & lectis se conforment; ubi tamen infirmitas, vel debilitas, aut labor itineris, seu administrationis aliud suaserit faciendum, possint se in aliquo congruo, & honesto loco refici moderate, a superfluis, & excessivis expensis penitus præcavendo.

26. Ministri, & custodes de eleemosynis, & rebus aliis, quæ obvenient conventibus, per guardianos provideri faciant fratribus in communi; ne fratres ipsi propter defectum communis, & sufficientis victus seorsum comedere, & particulariter, ac inordinate vitæ necessaria sibi procurare cogantur.

27. Dicti guardiani, sine manifesta, & rationali causa, non dent fratribus extra communitatem licentiam comedendi.

28. Ministri, custodes, & guardiani determinent longitudinem, latitudinem, grossitiem, subtilitatem, ac formam habitus, caputii, interiorum tunicarum, ac vilitatem.

29. Si quis secus fecerit, & habitus singulares, & deformes portaverit, aut dissimiles, incurrat sententiam excommunicationis ipso facto, reservatæ generali, & provincialibus ministris.

30. Ministri, custodes, guardiani,

Digitized by Google

lectores, prædicatores, confessores, procuratores, & cæteri, sine ulla distinctione, tam interius, quam exterius induantur.

31. Si quis superfluas vestes habuerit, eas exhibeat ministro, custodi, vel guardiano, qui illas in tali loco reponant, ut de ipsis necessitates fratrum supervenientium, vel indigentium subleventur.

32. Nemo ex panno pro se empto vestem, seu habitum sibi fieri faciat, nisi illum ostenderit superiori, & ab ipso licentiam obtinuerit.

33. Nemo mittatur extra locum fratrum, nisi maturus moribus, vel cum maturo socio, & honesto; nec detur alicui socius ab eo petitus, sed socius, de quo expedire videbitur præsidenti.

34. In litteris obedientialibus præfigatur ab iis, qui eas concedunt, certus terminus; nec dentur literæ, nisi justa, & rationabili ex causa, judicio eas dantis.

35. Si alicui detur licentia ingrediendi civitatem, vel oppidum, ubi fratres morantur, is, qui eum licentiabit, inquirat de locis, & personis, quibuscum frater licentiandus habet aliquid expedire, & præfigat illi certam horam redeundi.

36. Frater talem licentiam accipiens non declinet ad alia loca, nec cum personis aliis tractet, nec præfixam redeundi horam protrahat, nisi superveniente necessitate, quam ipse, & socius in regressu superiori suo exponant.

37. Ministri in his negligentes denuntientur capitulo generali, vel generali ministro; custodes vero, & guardiani puniantur a ministris suis.

38. Absque licentia ministri, aut custodis, vel, in eorum absentia, guardiani, vel ejus vicarii de consilio discretorum, nemo equitet; nisi superveniente necessitate in itinere.

39. At, quum primum is venerit ad præsentiam suorum superiorum, explicet causam, propter quam equitavit, quæ nisi justa fuerit, pro die qualibet, qua equitavit, una die in pane, & aqua jejunet; eamque pœnitentiam infra quindecim dies immediate sequentes debeat inchoare.

40. Ministri, vel alii superiores in hoc reperti culpabiles, a visitatoribus acrius puniantur. Et, si equitandi vitium commune fuerit in provincia, denuntietur ab iisdem visitatoribus capitulo generali.

41. Nemo det munera, seu donaria ministris, vel aliis superioribus suis, aut eorum sociis, & familiaribus, per se, vel alium; nec ipsi munera recipiant.

42. Si quis personis extra ordinem munera dederit, qualibet vice, per tres dies jejunet in pane, & aqua infra octo dies immediate sequentes.

43. Qui munera receperit, ea convertat infra sex dies post receptionem, in utilitatem conventus, in quo ea recepit, seu vicinioris, si ea receperit extra conventum.

44. Præterea conversionem hujusmodi, & causam ipsius duobus fratribus discretis ipsius conventus exprimere teneatur.

45. Si contingat, receptionem munerum iterare, præter conversionem præfatam, pro qualibet vice jejunet semel in pane, & aqua, infra octo dies a receptione computandos.

46. Possit minister generalis, vel pro-

provincialis dispensare cum magistris in theologia, ut famulum habeant, si hoc eis expedire visum fuerit.

47. In conventibus, in quibus sunt studia generalia, generalis minister in capitulo generali provideat de idoneis lectoribus, & baccalaureis, de consilio ministrorum, & magistrorum, qui erunt in loco ipsius capituli. *Nota*. Omittuntur ea, quæ statuuntur pro studiis Parisiensi, Oxoniensi, & Cantabrigensi, quæ hodie nullius sunt usus.

48. Si providendum sit studiis extra capitulum generale, provideat idem generalis minister, de consilio decem discretorum fratrum, qui de sufficientia & idoneitate personarum notitiam habent; ac etiam ministri provincialis, & custodis, de cujus provincia, vel custodia fuerit frater ad studium assumendus, si commode eorum præsentia haberi queat.

49. Illi, qui ad studia generalia extra suas provincias de debito transmittuntur, eligantur per sua capitula provincialia.

50. Qui de gratia sunt mittendi, non mittantur, sine licentia ministri generalis, & præcedenti approbatione sui ministri, & capituli provincialis.

51. Missi, sive de gratia, sive de debito, si minus fuerint idonei ad scientiam capessendam, vel male conversentur, remittantur ad suas provincias per ministrum, vel, in ejus absentia, guardianum, de consilio consilii conventus.

52. Studentes a studiis generalibus ad suas provincias redeuntes ostendant ministris suis literas testimoniales guardiani, & lectoris loci, in quo studuerint, de sua conversatione, & profectu, aut defectu in studiis, sine quibus literis, ac laudabili testimonio, lectores non instituantur.

53. Nemo publicet, communicet, vel copiet opus theologicum, aut philosophicum de novo editum, sine subscripto examine, & obtenta licentia a ministro, ac capitulo generali.

54. Si quis contrafecerit, sit privatus ipso facto omnibus actibus scholasticis, & legitimis, usuque librorum.

55. Examen operis fiat a quatuor magistris in theologia per generale capitulum specialiter deputatis, qui per se, vel per literas generali ministro, & capitulo generali referant ea, quæ approbatione, vel improbatione digna repererint, eorumque relatio registretur in libris ordinis.

56. Pro principiis magistrorum in theologia, vel baccalaureorum sententias inchoantium, non expendant studentes in cibis, vel potibus, nisi semel quantum sufficit pro una moderata refectione conventus, in quo fient hujusmodi principia.

57. Cæteri baccalaurei, lectores, aut cursus in biblia facientes, seu quivis alii studentes, pro nullo principio, vel actu scholastico suo, aut alieno, aliquid expendant.

58. Nemo prædicet, vel defendat propositionem a S. R. Ecclesia damnatam, aut suspectam, vel communiter reprobatam a magistris theologiæ, aut demum propositionem, super qua expectatur judicium sedis apostolicæ.

59. Magistri, lectores, & baccalaurei in studiis generalibus legentes provideantur de necessariis vitæ a conventibus, in quibus legunt.

60. Expensas pro itinere, sive pro vectura librorum, moderatas, atque taxatas a ministro generali, vel provinciali,

Digitized by Google

ciali, faciat conventus de quo iidem mittuntur; vel si conventus non sufficiat, provideat communitas custodiæ, vel provinciæ.

61. Dum iidem redeunt, provideat conventus, a quo recedunt, vel, eo deficiente, custodia, vel provincia, cujus erunt.

62. De libris donatis, vel legatis communitati, vel alicui fratrum, fiat id, quod ordinatum fuerit a donantibus.

63. Libri fratrum decedentium, quos habuerant a communitate provinciæ, custodiæ, vel conventus, remittantur ad eam communitatem, a qua eos habuerunt.

64. Illi, qui fratribus obvenerint aliunde, seu de quibus per donantem, seu legantem, nihil fuerit ordinatum, revertantur, post fratrum mortem, ad eorum conventus.

65. De libris muniatur plene conventus, ita quod de grammatica, logica, philosophia, & theologia, exemplaria sint duplicata, vel amplius multiplicata, juxta statum conventus.

66. Alii libri distribuantur primo fratribus ejusdem conventus habilibus, & indigentibus; deinde aliis ex eadem custodia, cujus erit ipse conventus; & distributio fiat a guardiano, de consensu conventus, & licentia ministri.

67. Decedentibus ipsis fratribus, libri revertantur ad ipsum conventum, similiter aliis distribuendi.

68. Libri custodiæ distribuantur in capitulo provinciali fratribus custodiæ tantum, per ministrum, & diffinitores, juxta dispositionem custodis, & discretorum, seu vocalium ejusdem custodiæ.

69. Libri provinciæ distribuantur in eodem capitulo per ministrum, de consilio, & assensu diffinitorum, & custodum.

70. Nec libri custodiæ extra custodiam, nec libri provinciæ extra ipsam distribui possint; nec ab iis, quibus distribuuntur, vendi, vel distrahi, nisi pro melioribus, & utilioribus, & tunc de consensu, & licentia ministri, ac illorum, per quos fuerint distributi, sub gravi pœna.

71. Registra distributionum fiant, & fideliter custodiantur ab illis, per quos id hactenus fieri consuevit.

72. Guardiani infra unum mensem, postquam officium inivcrint, faciant, coram fratribus suis, inventarium omnium librorum, qui in conventu reperiuntur, ipsis realiter demonstratis.

73. Inventarium renovetur singulis annis, & legatur coram fratribus, etiam tunc libris realiter demonstratis. In inventario quoque notentur, & legantur librorum distributiones.

74. Libri fratrum decedentium in loco Romanæ curiæ remittantur per procuratorem ordinis ad communitatem, provinciam, custodiam, seu conventum, ad quem remitti debent. Vestes conventui loci curiæ applicentur.

75. Pecunia, quæ excesserit valorem quatuor florenorum, remittatur ad aliquem amicum spiritualem conventus eorumdem fratrum decedentium. Si eum valorem non excesserit, expendatur pro officio procuratoris.

76. Procurator, & guardianus loci Romanæ curiæ disponant de rebus aliis parvi valoris, prout eis secundum Deum videbitur expedire.

77. De omnibus inventis, tam retentis, quam remissis, idem procurator cum guardiano, & discretis loci curiæ, faciat inventarium, quod mittat quamcitius ad conventum fratris defuncti.

78. Qui-

78. Quilibet frater guardiano suo, vel ejus vicario fideliter revelet legatum quodcumque sibi factum. Idemque agat quicumque alius, qui de eo notitiam habuerit.

79. Guardianus, si frater, cui legatum aliquid fuerit, sit habilis ad scientiam capessendam, curet, ut is provideatur de libris ad ejus studium opportunis.

80. Si libris non indiguerit, aut postquam de eis provisum fuerit, aliquid de legato remaneat, id guardianus dispenset in communes necessitates conventus; & subveniat necessitatibus ejus, cujus contemplatione legatum fuerit relictum; nulla per hoc facta derogatione constitutionis Bonifacii VIII. *Super cathedram*.

81. Fratres non habeant equitaturas eorum usui destinatas, aut lectisternia sibi non congruentia, seu excessiva, aut vasa aurea, argentea, & alia jocalia pretiosa.

82. Si quidquam tale eis donetur, convertatur in libros, vel alias res licitas, nisi fuerint deposita, vel commendata. Superiores, qui contrafecerint, subsint pœnæ proprietarii.

83. In quolibet conventu sit unus liber, in quo fideliter scribantur nomina benefactorum, eorumque cognomina, & eleemosynæ, quæ infra hebdomadam, in qua factæ fuerunt, recitentur in capitulo coram fratribus, & suffragia pro ipsis ibidem fiant.

84. Imponantur quoque fratribus orationes, vel missæ pro eisdem, prout guardiano, vel ejus vicario videbitur.

85. Nomina etiam, & cognomina fundatorum conventuum, eorumque, qui eis notabilia donaria fuerint largiti, ipsaque beneficia quotannis in capitulo recitentur, & pro illorum animabus fratres in speciali orent, salvis observantiis rationabilibus, ordinationibus, & statutis.

86. Antequam suum officium exsequatur novus minister generalis, juramentum præstet sub hac forma, coram capitulo generali, si præsens fuerit; sin absens, coram conventu loci, ubi eum suæ electionis decretum recipere continget.

Ego frater N. generalis minister ordinis fratrum minorum ab hac hora in antea fidelis ero sancto Petro, sanctæque Romanæ ecclesiæ, D.N.D. Papæ, suisque successoribus canonice intrantibus: non ero in consilio, nec in facto, ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione: consilium, quod mihi aut per se, aut per literas, aut per nuncium manifestabunt, ad eorum damnum nulli pandam. Vocatus ad synodum, veniam, nisi fuero præpeditus canonica præpeditione, in correctionibus judicialibus gravium criminum, & in provisionibus, promotionibus, confirmationibus, destitutionibus, & repulsionibus faciendis de personis dicti ordinis, fideliter, & secundum Deum, & regulam beati Francisci, & puram, & rectam conscientiam, me habebo: sic Deus me adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia.

87. Simile juramentum præstet quilibet minister provincialis, statim ac fuerit confirmatus, in præsentia primi provincialis capituli. Et nihilominus quod subjectionem, reverentiam, & obedientiam a sanctis patribus constitutam, secundum regulam, ministro generali, & successoribus canonice substitutis exhibebunt, quamdiu in obedientia, & unitate S. R. Ecclesiæ isti fuerint.

88. Dif-

Digitized by Google

88. Diffinitores generales, & provinciales, antequam sua officia exsequantur, præstent in præsentia suorum capitulorum respective, corporaliter juramentum, quod sua officia fideliter exercebunt.

89. Electores generalium, & provincialium ministrorum in præsentia capitulorum jurent, se neminem electuros, quem sciant, vel credant indignum.

90. Generalis minister duos fratres notabiles, providos, & expertos habeat socios, unum cismontanum, alterum ultramontanum, per eum, de consilio ministrorum provincialium in capitulo generali, assumendos.

91. In morte unius, vel alterius, subroget alium ejusdem familiæ, de consilio aliquorum discretorum.

92. Habeat duos alios fratres boni testimonii socios, ac duos honestos famulos; quibus omnibus provideatur moderate in suis necessariis per conventus, seu custodias, vel provincias.

93. Non permittat, ut pro se, & iis, qui secum erunt, fiant expensæ excessivæ; ac de iis, quæ sibi ratione personæ, vel officii, dari, legari, vel offerri continget, per unum de sociis reddat fidelem rationem in capitulo generali.

94. Teneatur omnes provincias personaliter visitare infra decem annos, postquam electus fuerit, & nunquam redeat, visitationis causa, ad provinciam visitatam, priusquam reliquæ visitatæ fuerint.

95. In visitatione teneat eum ordinem, quem capitulum generale magis expedientem judicaverit.

96. Ubi visitationem prædecessor dimiserit, ibi eam inchoet successor.

97. Si aliqua provincia visitata plus aliis visitatione indiguerit, tunc minister generalis, si a ministro provinciæ ipsius, vel ab ejus capitulo fuerit requisitus, aut sibi, vel generali capitulo videatur expediens, possit ad eamdem visitationis causa redire, aliis provinciis intermissis.

98. Resumat deinde eumdem ordinem visitandi. Si autem ipse legitime impediatur, committat aliis visitationis officium.

99. Non teneatur, personaliter visitare provincias Hiberniæ, Græciæ, & Terræ Sanctæ; sed fratres idoneos, & discretos mittat, de consilio generalis capituli deputandos.

100. Referat in capitulo generali statum provinciarum, quæ per eum fuerint visitatæ.

101. Idipsum faciat minister quilibet provincialis in eodem capitulo, & quilibet visitator.

102. Ministri, qui parvis præsunt provinciis, singulis annis, qui magnis, de triennio in triennium ad minus visitent conventus, & alia loca; quod si, rationabili causa cessante, non fecerint, amoveantur ab officiis.

103. Iidem ministri in capitulo generali sive præsentes, sive absentes, renuntient officia, & renuntiatio, si videbitur, admittatur a ministro generali, vel ab eis, qui loco ipsius tenuerint capitulum, de assensu capituli generalis, seu majoris partis numero ejusdem.

104. In capitulo provinciali, si destituendi sint, destituantur per dictum generalem, vel visitatorem ad hoc specialiter deputatum, de consensu capituli provincialis, seu majoris partis numero ipsius. 105. Ex-

105. Extra capitulum non destituantur, nisi pro crimine notorio, evidentia rei, vel legitime probato, seu ab ipso agnito, sive pro insufficientia manifesta, ac pro sui regiminis inutilitate probata.

106. Si id fieri debeat, fiat per generalem, vel visitatorem prædictum, cum consilio, & assensu proborum, & discretorum fratrum, vel majoris partis numero eorumdem, & præsertim custodum provinciæ, si commode eorum præsentia haberi possit, & non supponantur verisimiliter suspecti.

107. Si minister extra capitulum sponte renuntiare voluerit, & cum instantia petierit, se absolvi, possit minister generalis renuntiationem admittere, si ei videatur rationabiliter admittenda.

108. Quilibet minister provincialis, de consilio capituli provincialis, assumat unum socium providum, & discretum, quem si mori, aut impediri contigerit, subroget alium, de consilio discretorum.

109. Habeat præterea unum fratrem scriptorem fidelem, & unum honestum famulum, quibus provideant conventus provinciæ.

110. Excessivas expensas fieri non permittat pro se, aut suis; & de eis, quæ sibi ratione personæ, vel officii, dari, legari, vel offerri continget, fideliter rationem reddat in capitulo provinciali.

111. Generalis, & provinciales ministri provideant, ne dum de loco in locum conducuntur a fratribus, fiant in cibis, vel aliis expensæ immoderatæ, & habeant a conventu duos fratres, qui eos conducant, pro expensis faciendis.

112. In singulis locis conventualibus guardiani eligantur a communitate locorum, die assignata a conventuum vicariis.

113. Vocem non habeant in electione fratres non conventuales, licet ibidem morentur, qui sunt de provinciis alienis, nisi sint lectores ejusdem loci.

114. Custodes in die, quæ crastinum diffinitionis capituli generalis nuncupatur, eligantur per discretos custodiarum, quibus de custodibus fuerit providendum ex parte conventuum, vel capitulorum custodialium, more solito, ad capitulum provinciale transmissos.

115. In ea electione vocem non habeant guardiani, nisi per capitula custodialia, vel per suos conventus fuerint pro discretis transmissi.

116. Si per quatuor menses ante provinciale capitulum, custos aliquis moriatur, vel ab officio amoveatur, de singulis conventibus custodiæ suæ singuli discreti per conventus electi conveniant pro electione celebranda ad principalem locum custodiæ, die certa a guardiano ipsius loci assignanda.

117. Confirmatio tam guardianorum, quam custodum, pertineat ad generalem, vel provincialem ministrum, & electio illa prævaleat, quæ a majori parte numero omnium fuerit celebrata.

118. Si eam infirmari contigerit, ad electores eosdem iterum devolvatur, nisi elegerint scienter indignum; quo in casu, & etiam si statuta die non elegerint, electio devolvatur ad ministrum.

119. In electionibus, vel confirmationibus hujusmodi, nemo arctetur for-

Digitized by Google

mis, aut solemnitatibus a jure statutis.

120. Nulla inquisitio mittatur ad capitulum generale, quæ non fuerit prius discussa, & legitime approbata a majori parte numero provincialis capituli, fideliter conscripta, lecta, & sigillata coram omnibus, sigillis ministri, custodis, & guardiani loci, in quo capitulum provinciale celebratur.

121. Si mittenda sit ad capitulum provinciale, serventur eædem conditiones, & sigilletur coram omnibus fratribus loci.

122. Si post capitulum provinciale, aliquid grave emergat, quod ad sequens capitulum provinciale non posset differri, tunc per custodem, guardianum, & fratres loci, ubi id contingeret, prius discussum, & examinatum, destinetur capitulo generali, de consilio ministri, vel vicarii provinciæ.

123. Si illud ministrum tangeret, mittatur de consilio vicarii; si vicarium, mittatur de consilio ministri.

124 Nulla accusatio, denuntiatio, seu depositio recipiatur, nisi prius ab accusante, denuntiante, vel deponente præstito juramento de calumnia, & malitia, ac veritate dicenda.

125. Priusquam recipiantur accusationes &c. exponantur accusatoribus, & testibus pœna excommunicationis, & aliæ contra calumniatores, seu falsum deponentes.

126. Procurator generalis ordinis constituatur in capitulo generali, de consilio ipsius capituli, vel majoris partis ipsius.

127. In quolibet capitulo generali requiratur consilium ministrorum, & diffinitorum, an procurator sit in officio retinendus, an alius subrogandus.

128. Generalis minister post ipsum capitulum possit per se, aut commissarium suum, amovere ab officio procuratorem insufficientem, vel inutilem, de maturo consilio bonorum, & discretorum fratrum.

129. Modo consimili constituatur alius usque ad capitulum generale permansurus, si procurator moriatur, vel ita impediatur, vel officium suum exsequi non possit.

130. Substitutus possit in capitulo eligi in procuratorem.

131. Si procurator fuerit cismontanus, assignetur ei a generali ministro socius ultramontanus. Si ultramontanus, habeat socium cismontanum, providum, & discretum.

132. Generalis, & procurator ordinis victum recipiant a conventu loci, ubi erit Romana curia; vestitum, & alia necessaria, a ministris provincialibus.

133. Rationem reddat procurator in capitulo generali de iis, quæ sibi obvenerint ratione personæ, vel officii, ab expensis caveat excessivis, nec a fratribus donaria recipiat.

134. Quæ receperit a ministris provincialibus non eroget pro conventibus particularibus, seu personis; sed pro communibus causis, & negotiis, seu utilitate communi.

135. Custodes quoque rationem reddant singulis annis in capitulo provinciali de receptis, & expensis per eos. Et guardiani, ac cæteri officiales, seu administratores, eam reddant in præsentia custodum, & fratrum suorum; salvis consuetudinibus locorum.

136. Ministri provinciales non eligant, vel assumant extra capitula provincialia, fratres ad prædicandum, aut audiendas confessiones.

137. An-

137. Antequam ii assumantur a ministris, vel a generali, examinentur & exquiratur testimonium de ipsorum vita, & sufficientia a fratribus fide dignis; ac de eorum, & custodialium discretorum consilio, in capitulo provinciali ad præfata munera deputari queant.

138. Si minister generalis velit extra capitulum fratres instituere prædicatores, vel confessores, requirat testimonium, & consilium suorum ministri, & custodis, aut voce, aut per literas, si ii absint.

139. Nemo exsequatur officium confessoris, nisi prius sit sufficienter instructus de casibus sedi apostolicæ, & diœcesanis reservatis, aliisque similibus.

140. Si alicui pœnitentia pecuniaria imponenda sit, vel satisfactio indicenda, confessores non mandent, vel procurent, eam sibi, vel singularibus fratribus, aut conventui suo erogari.

141. Compellantur fratres etiam notabiles ad audiendas confessiones non solum potentium, & divitum, sed etiam pauperum.

142. Minister generalis neminem mittat ad partes infidelium, nisi præhabito testimonio ministro provinciæ, cujus erunt fratres mittendi.

143. Idem minister provinciæ examinet fratres mittendos de fide, & doctrina, ac testimonium, consiliumque requirat fratrum discretorum, qui de mittendis notitiam habuerint.

144. Sine conscientia, & licentia ministri generalis, provinciales neminem mittant ad easdem partes.

145. Generalis, & provinciales ministri, eorum vicarii, & visitatores, super confirmatione, vel promotione ad officia ordinis, ac etiam judiciali correctione gravium criminum, exquirant consilium decem proborum discretorum Deum timentium.

146. Si decem haberi commode nequeant, sex ad minus adhibeant, quorum auditis responsis, id agant, quod præsidentibus, & majori, seu æquali parti numero ipsorum consulentium, videbitur.

147. Si præsidentibus consilium majoris partis minus sanum, vel suspectum videatur, tunc alio solemni, & opportuno loco totidem aliorum discretorum semel tantum requirant consilium.

148. Non personam tamen exprimant, sed solum casum cum necessariis circumstantiis; nisi, deliberatione prius habita, expediens judicent nominari personam.

149. Si neque in hoc casu res bene accidat, consulatur superior, vel referatur negotium capitulo provinciali, vel generali, juxta qualitatem, seu magnitudinem negotii ipsius.

150. Nullus præsidens suam in consilio per se, vel alium, aperiat voluntatem, antequam consiliarii consilium dederint; sed verbis simplicibus, & planis proponat id, de quo fuerit agendum; nec contra aliquem de consiliariis ante, vel post ratione dati, vel dandi consilii, turbationem ostendat.

151. Consiliarii non deflectant ad verba injuriosa, superba, aut scienter superflua, turbationem, seu impedimentum præstantia; verum reverenter, & humiliter dent consilium.

152. Excessus enormes, de quibus aliquis fuerit condemnatus, aut convictus, aut confessus, vel qui evidentia rei sunt notorii, registrentur in libris ordinis.

Digitized by Google

153. Enormes intelligantur exceſsus, pro quibus in ordine graviores, & confuſibiles pœnæ conſueverunt imponi.

154. Non recipiantur denuntiationes exceſſuum enormium occultorum contra fratres bonæ famæ, niſi denuntians requiſitus per ſuperiorem dicat, ſe fore paratum, ea, quæ dicit, & prout ea denuntiat, deponere ut teſtis, & in præſentia denuntiati jurare.

155. Nec regiſtretur talis denuntiatio, niſi ſuperior veriſimiliter credat, vel exiſtimet, poſſe ſuper denuntiatis exceſſibus teſtes alios idoneos reperiri.

156. Poſſit tamen denuntiatio recipi a ſuperiore, ut denuntiatum, quanto brevius poterit, in ſecreto moneat, ſi, & prout diſcretioni ſuæ videbitur faciendum.

157. Si ſuper exceſſibus occultis denuntiator, ſeu teſtis alius idoneus poſtea appareret, poſſit ſuperior ad ſecretam informationem procedere, etiamſi denuntiatus abſit, & tam primum, quam ſecundum, alioſque teſtes idoneos recipere, exacto ab eis prius corporali juramento, informationemque regiſtrare in libris ordinis.

158. Si infra biennium fratrem denuntiatum non vocet, eique informationem a ſe factam non expoſuerit, informatio, ſeu proceſſus denuntiato nocere non poſſit, elapſo biennio.

159. Si plurium ſingularium perſonarum teſtimonia contra fratrem ſuper exceſſibus ejuſdem generis habeantur, ex quibus probabiliter reddatur ſuſpectus, procedatur contra eum ad veritatis pleniorem inquiſitionem, etiam per arctationem perſonæ, juxta modum ſuſpicionis, qualitatem exceſſus, ſtatum, & conditionem perſonæ.

160. Quod ſi crimen non probetur, & denuntiatus remaneat infamatus, indicatur ei purgatio, vel alio modo provideatur honeſtati ordinis, & famæ denuntiati.

161. Contra infamatos apud bonos, & graves, etiam unius denuntiatio de enormi exceſſu, licet ſecreta, ſcribatur, & regiſtretur in libris ordinis, & procedatur, ut præfertur, ad veritatem inquirendam.

162. Provideatur quoque, modo prædicto, eorum famæ, ſi exceſſus non probetur.

163. Nemo, ſine miniſtri generalis expreſſa, & ſpeciali licentia, acta, quæ in libris ſcripta fuerint, vel aliquid eorum deleat, ſeu mutet, aut deſtruat, vel libros aperiat, frangat ſcienter, & malitioſe, ſub pœna excommunicationis generali miniſtro reſervatæ, & carceris quoque, ſi de hoc legitime convictus fuerit.

164. Miniſtri, cuſtodes, & viſitatores, qui officia deponunt, aut ab eis removentur, tradant libros, & acta prædicta integraliter ſucceſſoribus ſuis.

165. Si contra ſucceſſores aliquid in ipſis habeatur, id tranſcribatur plene, & integre in libris, ſeu regiſtris miniſtri generalis, de ejus licentia ſpeciali, antequam ſucceſſoribus tradantur, & de libris aliis deleatur.

166. Miniſter generalis nequeat delere, vel immutare ea, quæ notata ſunt in libris, ſeu regiſtris ſuis.

167. Si miniſter provincialis tollere non poſſit turbationem, & diviſionem inter fratres alicujus provinciæ, cuſtodiæ, vel conventus, miniſter generalis per ſe, aut viſitatorem, viſitet

Digitized by Google

tet ea loca, puniatque delinquentes, officiorum privatione, si in officiis fuerint, de consilio discretorum; atque etiam expulsione ipsorum a provincia, vel aliter, prout expediens judicaverit.

168. Capitulum culparum habeatur tribus ad minus diebus in hebdomada, in locis conventualibus, & aliis, in quibus erunt sex fratres, & in quibus fieri consuevit.

169. Ibidem quotidianæ culpæ, & negligentiæ sigillatim, & specifice recognoscantur, & recognitæ debite puniantur.

170. In locis, ubi erunt studia, seu studentes, ac in locis aliis ministri, & guardiani prudenter ordinent horam capituli celebrandi, secundum qualitatem personarum, varietatem temporum, & conditionem locorum.

171. Tempus aptum & sufficiens designetur, quo fratres vacent officiis divinis, sermonibus, lectionibus, & aliis, quæ fuerint expedienda.

172. Quicumque superiores, ministro generali non excepto, reperti fuerint criminosi, seu prævaricatores ordinis, notabiliter negligentes, & remissi, ab officiis deponantur.

173. Nullus fratrum habeat cameram clausam, vel a dormitorio sejunctam, exceptis ministris, & lectoribus in studiis generalibus.

174. In cellis, vel studiis fratrum aliorum, non adsint velamina, vel clausuræ, quominus fratres intus exsistentes patere possint aspectibus aliorum.

175. Magistri in theologia etiam non legentes, & fratres emeritæ senectutis, possint de licentia generalis, vel provincialis ministri, habere cameras a dormitorio separatas.

176. In cellis, studiis, seu cameris comedere nequeant, nisi forte in cameris, ratione infirmitatis, vel, de licentia ministrorum, & rationabili causa; alias puniantur, arbitrio superiorum.

177. Exceptis infirmis, forensibus, servitoribus eorum, ac illis, quibus licet habere cameras a dormitorio separatas, fratres omnes, diebus singulis, infra spatium comprehendens ecclesiam, seu oratorium, claustrum, dormitorium, & studia a dormitorio separata, ac secretæ necessitatis locum, se recolligant, seu includant, ad quietem, & orationem.

178. Nemo tunc per domos alias, vel porticus, aut plateas vagetur, nec de nocte ad lectores accedat, etiamsi eorum cameræ sint infra inclusionem prædictam.

179. Ast ad infirmos extra eamdem inclusionem possint fratres accedere, de licentia guardiani, vel ejus vicarii, si casus necessitatis emergat.

180. Officinæ, aliaque ædificia sumptuosa, & ecclesiæ non inchoentur, neque destruantur, nisi deliberatione prius habita per generalem, seu provincialem ministrum, custodem, guardianum, & discretos loci, & accedente auctoritate ministri generalis, seu provincialis.

181. In singulis monasteriis statuatur a ministris provincialibus, de consensu abbatissarum, & conventuum, seu majoris partis numero earumdem, certus numerus monialium, qui congrue valeat sustentari.

182. Ultra dictum numerum nulla recipiatur, nisi de licentia speciali sedis apostolicæ, vel nisi adeo facultates monasteriorum excrescerent, ut pluribus possent competenter sufficere.

183. Hoc

Digitized by Google

183. Hoc in casu capitulum generale determinet, quot personæ ex novis fructibus, ultra dictum numerum, sustentari possint.

184. Receptio monialium fieri nequeat, nisi de ministri generalis, vel provincialis speciali licentia, quam non concedant, si pactio aliqua illicita intercedat, vel pravitas simoniaca.

185. Si monasterio aliquid gratis offeratur ab ingrediente, parentibus, vel amicis ejus, vel alterius monialis, vel pensio, seu redditus, aut quidquam aliud donetur, aut legetur moniali, id abbatissa convertat in communes usus, & necessitates ejus, cujus contemplatione donum, seu legatum fuerit factum.

186. Generalis, & provinciales ministri nec pro concedenda hujusmodi licentia, nec quavis alia occasione, vel prætextu, per se, vel alium, ante ipsam licentiam, aut postea, aliquid recipiant, aut recipi faciant a fratribus, aut conventibus, etiam intuitu cujuscumque consuetudinis.

187. Confacientes subsint pœnæ excommunicationis ipso facto, summo pontifici reservatæ, &, si legitime fuerint convicti, deponantur perpetuo ab officiis.

188. Abbatissæ, aliæque, seu alii bonorum ad monasteria spectantium administratores, singulis annis reddant rationem de receptis, & expensis, & statu monasteriorum, coram generali, vel provinciali ministro, seu visitatore, & certis monialibus providis, & discretis, ad hoc a communitate monasteriorum eligendis.

189. Quælibet abbatissa infra duos menses, postquam pacificam possessionem bonorum monasterii habuerit, recipiat inventarium bonorum omnium mobilium, & immobilium sigillis ipsius, & monasterii clausa, quæ fiant coram ministro generali, vel provinciali, seu visitatore, & sex discretis monasterii.

190. Ab administratione monasterii removeatur, & alias debite puniatur abbatissa, quæ in bono statu receperit monasterium, ipsumque ad malum deduxerit, vel dilapidando, vel alienando.

191. Inventarium legatur in capitulo monasterii, unumque exemplar servet abbatissa, alterum generalis, vel provincialis minister.

192. Ministri, visitatores, & abbatissæ, curent, ut clausura servetur, ad quam etiam inservientes, seu sorores ad observantiam professionis adstrictæ, teneantur.

193. Nemini monialium liceat egredi clausuram, nisi forte plantandi, vel ædificandi suam religionem in aliquem locum mittatur, aut tali morbo laboraverit, ut non posset cum aliis, absque gravi periculo, seu scandalo commorari.

194. Nulli regulari, aut sæculari, vel laicæ personæ, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, status, vel conditionis, pateat ingressus ad moniales, exceptis iis, quibus in certis casibus accessus noscitur esse permissus.

195. Ministri, custodes, & guardiani arcere studeant fratres ab accessu ad monasteria quarumcumque monialium, debitas pœnas infligendo transgressoribus.

196. Singula monasteria habere possint aliquas paucas mulieres ætate, & moribus maturas, in habitu honesto incedentes, quæ clausuram quidem

non

Digitized by Google

non ingrediantur; sed negotia monasterii, & necessitates monialium, procurent, prout eis fuerit commissum.

197. Si abbatissa exiverit clausuram, removeatur ab officio per ministrum suum, de consilio fratrum discretorum.

198. Eamdem subeat pœnam, si alicui moniali licentiam dederit exeundi; ipsa vero monialis, si exierit, sit inhabilis ad quæcumque officia, & subjaceat pœnis aliis, quæ pro gravioribus culpis in ordine imponi solent.

199. Moniales non habeant cellas in dormitoriis, & illæ, quæ ibidem fuerint, destruantur a ministris, seu visitatoribus.

200. Legantur semel quolibet mense in singulis conventibus hæ constitutiones, earumque exemplaria Italice reddita, quoad ea, quæ respiciunt moniales, mittantur a ministris provincialibus ad singula monasteria, in quibus etiam legantur.

201. Ex singulis provinciis unus tantum custos suffragetur in electionibus capitularibus. *Ad statum*. Anno I.

202. Provinciarum non fiat erectio, aut divisio, absque speciali licentia sedis apostolicæ. *Quia provinciarum*. Anno I.

203. Absque summi pontificis licentia non fiat vicarius generalis per mortem ministri. *Quoniam*. Anno I.

204. Minoritæ transeuntes ad alios ordines, non possint in iis assumi ad dignitates, & officia. *In vestri.* Anno I.

205. Possint fratres instituere sibi sindicos, & procuratores. *Religionis*. Anno III. Idem sanxit Sixtus IV. *Dum fructus*. Anno 1471.

ANNO 1363. URBANUS V.

1. Fratres minores conventus montis Syon valeant ministrare sacramenta omnibus christifidelibus in hospitali pauperum in monte Syon prope Hierusalem, absque cujuscumque præjudicio. *Piis devotorum*. Anno II.

2. Minister generalis, & provinciales suscipiant curam monasteriorum S. Claræ, & aliorum, quæ eorum regimini committentur in posterum. *Ex litteris cardinalis protectoris*. Anno 1370.

3. Eligant ipsi, si per se visitare monasteria nequeant, idoneos visitatores in suis provinciis ad id muneris obeundum, de consilio aliquorum discretorum provinciæ.

4. Possint item visitatores multiplicare, & minuere, juxta multitudinem, & distantiam monasteriorum, eorumque facultatem, prout eis visum fuerit, limitare.

5. Visitatoribus obediant moniales in iis omnibus, quæ ad visitationis, inquisitionis, correctionis, & reformationis officium pertinent.

6. Curent ministri, ut de ecclesiasticis sacramentis, & divinis officiis per fratres ordinis, vel alios, monialibus provideatur, nec non personis quibuslibet, quæ in monasteriis degunt, aut inserviunt, pro ipsarum commodo, salute, & consolatione abbatissarum, & sororum.

7. Pro his, exhibendis ecclesiasticis sacramentis, celebrandis divinis officiis, prædicationibus faciendis, impendendis consiliis, ex causis congruis, & honestis, alisque, ministri possint accedere ad monasteria, cum illa, quam decreverint, fratrum suorum comitiva.

8. Possint etiam, quando expediens videbitur, cum duobus, vel tribus fratribus sociis clausuram ingredi.

9. Idem

Digitized by Google

9. Idem possint alii quoque fratres, quibus ministri concesserint facultatem specialem, tamquam ipsorum delegatis, aut visitatoribus per eosdem ministros institutis, cum eisdem duobus, vel tribus sociis tantum.

10. Visitatores in monasteriis saltem semel in anno visitationem exerceant, corrigant excessus abbatissarum, sororum, inservientium, cappellanorum, & conversorum, cæteræque familiæ, tam publicos, quam privatos.

11. Se tamen non intromittant de excessibus correctis, nisi forte illegitime, & insufficienter correcti fuerint.

12. Visitationes, inquisitiones, correctionesque, quæ eodem anno a ministris fient, non concurrant cum iis, quas super eisdem articulis fecerint visitatores.

13. Nulla abbatissa absolvatur ab officio, nisi de consensu, & voluntate totius sui conventus, vel saltem majoris partis.

14. Attamen minister provincialis possit abbatissam ab officio absolvere, nullo monialium consensu requisito, exigente rationabili causa, judicio suo.

15. Minister, de visitatorum, & aliquorum fratrum discretorum consilio confirmet electiones abbatissarum, quas canonicas invenerit, inquisita de electionis forma, eligentium votis, & electarum meritis, diligentius veritate.

16. Faciat, ut abbatissis electis subditæ omnes præstent obedientiam, & reverentiam.

17. Si electiones canonicæ non fuerint, provideat de personis idoneis in abbatissas assumendis per novas electiones canonicas.

18. Unusquisque minister, aut visitator inquirat diligenter de possessionibus monasteriorum, proventibus, redditibus, sive bonis, quibus, vel qualiter dispensentur, vel gubernentur.

19. Nulla professa inveniatur proprietaria; & super hoc debita ratio exigatur, ac reddatur saltem semel in anno. Puniantur autem abbatissa, & aliæ quæcumque inventæ fuerint proprietariæ.

20. Moniales cogi possint a ministris, & visitatoribus, ad correctionem, & reformationem, etiam per censuras ecclesiasticas.

21. Præter visitationem faciendam saltem semel in anno, ministri, & visitatores, emergente quovis articulo, possint rursus particularem, vel generalem visitationem peragere.

22. Non multiplicentur moniales in monasteriis, in quibus sorores nequeunt de monasteriorum ipsorum facultatibus sustentari.

23. Non recipiantur personæ inutiles, nec crescat numerus consanguinearum in eodem monasterio.

24. Nulla recipi queat ad ordinem, sine licentia proprii ministri, qui tamen licentiam dare non possit, ut, si in monasterio fuerit una monialis, recipiatur altera ipsius consanguinea, vel affinis. Id spectet tantum ad protectorem ordinis, vel ministrum generalem.

25. Receptiones simoniacæ nullæ fiant, sub pœna abbatissis amotionis ab officiis, & aliis sororibus translationis ad alia monasteria, præter pœnam excommunicationis.

26. Ministri posint absolvere moniales, inservientes, & conversas, quæ admiserint personas extrinsecas per modum non licitum, vel in casibus non concessis, intra clausuram.

27. Si-

Digitized by Google

27. Similiter eas, & familiares monasteriorum absolvere possint pro violenta injectione manuum in seipsas, nisi super hoc per mutilationem alicujus membri, vel nimis magnam, & superabundantem sanguinis effusionem, excessus sit valde enormis.

28. Idipsum possint confessores monialium in ministri, & visitatorum absentia, præsertim quando ministri, aut visitatoris præsentia infra duos, vel tres dies naturales commode haberi non possit.

29. Talia patrantes puniantur a ministris, vel visitatoribus, culparum quantitate, & personarum qualitate pensatis.

30. In monasteriis, in quibus non fuerint familiares extrinseci, qui associent medicos, & operarios intra monasterium, visitatores, aut confessores cum fratre socio sibi deputato possint familiarium vices gerere.

31. In eisdem casibus, pro quibus confessores possunt ingredi monasteria, licitum quoque id sit visitatoribus; ac præterea visitatores ingredi possint pro excessibus corrigendis, qui non possunt convenienter expediri ad cratem.

32. Mulieres medicinæ peritæ, si claræ fuerint famæ, & honestæ conversationis, possint solæ intrare clausuram, ad remedia monialibus infirmis exhibenda.

33. Abbatissæ tamen assignent duas, vel tres sorores, quæ mulieres hujusmodi observent, ne alicui sororum loquantur ad partem.

34. Licitum sit abbatissis, sorores, socias quoque, & alias, quæ transferuntur, ac inservientes, quæ mittuntur a suis abbatissis pro negotiis, intra clausuram recipere; proviso tamen, quod sorores, vel inservientes, prætextu itineris, notabilem moram non trahant in monasteriis.

Nota. Hic referendæ essent constitutiones Martinianæ contentæ in literis Joannis Cervantes Cardinalis, & publicatæ in capitulo Assisii anno 1430. Sed advertimus, peculiare nihil in iis contineri.

ANNO 1431. EUGENIUS IV.

1. Moniales S. Claræ sint exemptæ ab jurisdictione ordinariorum. *Licet* Anno IX.

2. Nemo eorum, aut etiam nuntius, vel legatus apostolicus possit in eas ferre sententias excommunicationis, vel interdicti.

3. Sint quoque exemptæ ab omni pedagio, & contributione.

4. Ac subsint regimini, & directioni fratrum minorum de observantia, sive ipsæ sint primi, sive secundi, sive alterius ordinis S. Claræ, & S. Francisci, sic ut eadem auctoritate circa ipsas gaudeant vicarius generalis familiæ, & vicarii provinciales, quam habent ministri generales. *Ordinis*. Anno X.

5. In electione abbatissarum, ministrarum, ac matrum illæ tantum vocem habeant, quæ per tres annos, vel circa in monasteriis, seu collegiis earumdem fuerint.

6. Electio rata habeatur, in qua convenerit major pars votorum ad minus medietatem superans.

7. Vicarius generalis familiæ habeat auctoritatem instituendi visitatores monialium S. Claræ, & tertii ordinis, quæ collegialiter non vivunt.

8. Moniales teneantur solum ad jejunia, ad quæ tenentur fratres minores, eosdemque modos servent in ci-

Digitized by Google

bis quadrageſimalibus, aliiſque jejuniis, qui recepti ſunt apud eoſdem fratres, ita ut ſervetur conſuetudo regionis circa ova, & lacticinia.

9. Moniales poſſint deferre in pedibus illa, quæ nomine calceamentorum non cenſentur, puta *zoccolos* ligneos, & ſandalia; atque inſuper, quum opportunum fuerit, calceamenta.

10. Vicarii provinciales, de conſilio diſcretorum, poſſint diſpenſare moniales tam in cibis, quam in ſilentio.

11. Moniales non obligentur ad peccatum mortale, niſi in iis, quæ concernunt principalia vota, obedientiæ, paupertatis, caſtitatis, clauſuræ, & ſuper electione, & depoſitione abbatiſſæ.

12. In ferculo, ſive cibis, moniales ſagina, & lardo uti poſſint.

ANNO 1471. SIXTUS IV.

1. Feſtum S Franciſci celebretur ut feſtum duplex perpetuis futuris temporibus, a cunctis chriſtianis, qui ab omni opere ſervili abſtineant, illudque colant ſub obſervantia, & præcepto. *Præclara*. Anno II.

2 In eodem feſto fideles utriuſque ſexus vere pœnitentes, & confeſſi lucrentur quinquaginta annos, & totidem quadragenas de eis injunctis.

3. Liceat fratribus in locis, in quibus degunt, habere oratoria, & in eis cum altari portatili, etiam tempore interdicti, januis clauſis, excluſiſque interdictis, & excommunicatis, miſſarum ſolemnia, & divina officia celebrare. *Regimini*. Anno IV.

4. Illi, qui fratrum obſequiis inſiſtunt, cenſuris generaliter promulgatis non ligentur.

5. Eodem privilegio gaudeant fratres, & ſorores tertii ordinis de pœnitentia; & tam iſti, quam qui fratrum obſequiis inſiſtunt, nec non procuratores, & negotia gerentes monialium S. Claræ, poſſint, tempore interdicti, admitti a fratribus ad officia divina.

6. Auctoritatem habeant fratres non ſolum in oratoriis, & locis ſuis, interdicti tempore, ſed etiam in quovis loco congruenti, & honeſto, exceptis eccleſiis ab ordinarii juriſdictione non exemptis, miſſas, & divina officia celebrare.

7. Generales, & provinciales miniſtri, eorumque vicarii, cuſtodes poſſint abſolvere fratres ſuos, & fratres ipſi a prædictis in confeſſores inſtituti poſſint eoſdem ſuperiores abſolvere ab exceſſibus, & cenſuris, etiam ſimoniæ pravitate.

8. Excipiantur hæretici relapſi ſchiſmatici, falſificatores literarum apoſtolicarum, & delatores rerum prohibitarum ad infideles.

9. Liberum ſit fratribus, nullius petita licentia, parochias, ex quibus corpora mortuorum ſunt ad eorum eccleſias transferenda, cum cruce proceſſionaliter ingredi, & corpora ipſa levare, ad eorumque eccleſias ſepelienda deferre; ubi hoc conſuetum foret, vel presbyteri de levatione requiſiti id facere recuſarent.

10. Si non apud fratres corpora ipſa ſepeliri contingeret, nulla canonica portio parochis debeatur; ſicuti nihil parochis debeatur de iis, quæ ad certos determinatos uſus fratribus relinquuntur de eorum bonis, quorum cadavera apud eos ſepeliri contingeret; ſic ut nihil etiam de candelis, quæ ad manus fratribus dantur, quarta aliqua quomodolibet detrahatur.

11. Nihil fratres ſolvant de legatis piis, niſi in literis apoſtolicis vera, & ſpe-

Digitized by Google

specifica mentio de fratribus habeatur, nec decimas, etiam papales, aut quæcumque alia onera solvant, nisi eadem de ipsis facta mentione.

12. Diœcesani, aliique ordinarii, ac quicumque, nequeant sibi vindicare auctoritatem, & jurisdictionem, sine speciali commissione sedis apostolicæ, in personas, domos, & loca fratrum: aut in eos censuras ferre, etiam ratione contractus, vel delicti, seu rei, de qua contra ipsos ageretur.

13. Si ecclesiarum rectores denegaverint, absque rationabili causa, seu distulerint ministrare sacramentum Eucharistiæ, vel Extremæ Unctionis, illis, qui fratribus peccata confitentur, possint fratres eisdem ipsa sacramenta ministrare, si petierint.

14. Loca monialibus ordinis destituta applicentur fratribus, qui possint de monasteriorum structuris, & ædificiis pro voluntate sua disponere, dummodo ecclesiæ ad profanos usus non redigantur, sed in illis quandoque divina celebrentur officia.

15. Cadavera eorum, qui cum habitu fratrum, vel sororum ordinis sepeliri voluerint, sepeliantur apud fratres, etiamsi alibi suam elegissent sepulturam; nec possint, etiam in loco per eos electo, sub habitu quomodolibet sepeliri, aut ad sepeliendum portari, absque fratrum ejus loci, in quo tales decesserunt, expressa licentia, & consensu.

16. In ecclesiis parochialibus conventuum possint fratres instituere capellanos, ad eorum nutum amovendos, qui fratrum libertate, & exemptione fruantur.

17. Ecclesiæ parochiales, & illarum bona gaudeant prærogativis ecclesiarum aliorum conventuum ordinis.

18. Possint minister generalis, ministri provinciales, eorumque vicarii absolvere, & dispensare cum fratribus suis, super irregularitate ex defectu natalium, adulterio, sacrilegio, incestu, & quovis alio nefario, & illicito coitu, exceptis homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione membrorum.

19. Inquisitores hæreticæ pravitatis quæstiones instituant contra eos, qui asseruerint, quod confessi fratribus, iterum parochis confiteri debeant.

20. Inter fratres ordinis minorum, & prædicatorum sit privilegiorum communicatio in omnibus, & per omnia, sine ulla differentia.

21. Facultas absolvendi, & dispensandi cum fratribus, (*vide supra num.* 18.), restringatur ad solum ministrum generalem, & vicarium ejus. *Sacri*. Anno VIII. *Edita est bulla pro minoribus, & prædicatoribus.*

22. Fratrum quilibet possit, de sui superioris licentia, eligere confessarium, qui etiam in mortis articulo plenariam absolutionem, & peccatorum remissionem ei impendat; quamvis ante professionem eum decedere contingat.

23. Monasteria ordinis minorum, & prædicatorum, eorumque abbatissæ, priorissæ, procuratores, sindici, oblati, gaudeant iisdem privilegiis.

24. Ordinarii locorum, qui impediverint, aut molestias intulerint fratribus in collectione eleemosynarum, sint interdicti ab ingressu ecclesiæ, & suspensi ab administratione suarum ecclesiarum. Ipsorum vero officiales inferiores, si id egerint, excommunicationis sententiam incurrant.

Digitized by Google

25. Si quis postulaverit sepeliri cum habitu ordinis, habitus ei dari debeat tantum a superiore loci, in quo talem decedere continget, vel a prælato superiore ordinis, vel ab alio, cui is duxerit committendum.

26. Is habitum recipienti declarare teneatur, quod sepeliri debeat in ecclesia ordinis, cujus habitum recipit.

27. Mortuorum sic indutorum cadavera discooperta, nullo pallio, vel tegumento super imposito, cum habitu hujusmodi ad tumulum deferri queant.

28. Fratres habilitati ad ecclesiastica beneficia, non gaudeant privilegiis ordinis, absque consensu prælatorum illius.

29. Possit minister generalis coercere fratres etiam inservientes officio sacræ inquisitionis illosque delinquentes corrigere, ac ab officio amovere, si id expediens judicaverit.

30. Asque speciali licentia sedis apostolicæ nequeant inquisitores minoritæ inquirere in fratres prædicatores, aut hi in illos.

31. Prælati ordinis possint commutare legata facta conventibus ad unum usum in alium, sine scandalo tamen illorum, ad quos legatorum solutio pertinet. *Ex conces ione SS.*

32. Illi, qui sunt in servitio sororum S. Claræ, & fratrum habeant indulgentiam plenariam in morte, & semel in vita de reservatis.

33. Moniales S. Claræ, & sorores tertii ordinis fratrum curæ commissæ in congregatione viventes possint tangere, & lavare sacros pannos, exceptis corporalibus, quæ etiam tangere possint, dummodo fuerint lota a fratribus.

34. Fratres, qui persolvere nequeunt divinum officium bene, & diligenter in choro, ob defectum auditus, vel visus, non teneantur repetere id, quod omissum fuerit; sed dicant unum psalmum in fine horarum.

35. Qui non possunt bono modo jejunare ob infirmitatem, vel debilitatem, ad jejunium non sint adstricti.

36. Mulieres ingredientes monasteria S. Claræ, & S. Dominici, possint absolvi ab excommunicatione a confessoribus ordinis, licet ingrediantur mala intentione.

37. Vicarius generalis, & provincialis possint dispensare cum fratribus in irregularitate homicidii, si tales homicidæ non sint certi, quod ipsi actualiter occiderint, nec pro certo sciant, quod sine ipsis homicidium patratum foret.

38. Fratres possint, tuta conscientia, & recipere paramenta argentea, & aurea, aliaque ad divinum cultum pertinentia, & habere campanas magnas, & diversas, quando a capitulo providebitur, quod sine scandalo id fieri possit.

39. In receptione habitus cujuslibet trium ordinum sit indulgentia plenaria recipienti, & similiter in die obitus.

40. Inservientes monialibus S. Claræ portent honesta, secundum dispositionem, & constitutionem vicarii generalis.

41. Quilibet catholicus episcopus possit celebrare ordines sacros, temporibus statutis, in locis fratrum de familia, pro ipsis fratribus tantum.

42. Sacerdotes familiæ possint benedicere paramenta altaris, & missalia indumenta, exceptis corporalibus. Iidemque possint, causa necessitatis ante,

Digitized by Google

ante, & post horam ab ecclesia præscriptam sacrum facere, ac in die S. Francisci, ac Stigmatum, dicere præfationem propriam in missa.

43. Possint quoque audire confessiones sæcularium undique venientium, ea auctoritate, quam habent ab episcopo, in cujus diœcesi confitentur.

44. Non teneantur fratres in conscientia ad recipienda loca, vel monasteria conventualium, etiam de novo erigenda, quamvis ipsis præcipiatur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & aliis censuris.

45. Confessores, dum sunt in itinere, & requiruntur, possint audire confessiones, sicut parochiani, etsi non fuerint præsentati, secundum formam Clementinæ.

46. Indulgentiæ stationum Romæ, & Portiunculæ, concessæ fratribus in suis locis, intelligantur quoque concessæ monialibus ordinis in earum ecclesiis ad intra, & inservientibus in ecclesia exteriori.

47. Possint fratres dicere *Credo* in solemnitatibus SS. Ordinis, & S. Claræ, ac in octava S. Francisci.

48. Sæculares laborantes in monasteriis S. Claræ possint ibi comedere in loco honesto.

49. Moniales S. Claræ non teneantur intromittere, si medicus ingrediatur clausuram, aliquem ex servitoribus suis; sed sufficiat, ut tres, vel quatuor moniales antiquiores illum comitentur.

50. Confessores monialium, eorumque socii fruantur omnibus indulgentiis ubi adesse eos contigerit, quibus fruerentur in ecclesiis suis; & similiter fratres, maxime prædicatores, & socii eorum.

51. Gratiæ omnes, & privilegia concessa fratribus, sororibus S. Claræ, & tertiariis cismontanis extendantur ad fratres, sorores, & tertiarios ultramontanos.

52. Indulgentiæ & privilegia concessa fratribus, aliisque personis ordinis, sive generalia, sive particularia, non revocentur per quascumque literas apostolicas, etiam cruciatæ, nisi fiat expressa mentio de eisdem.

53. Confessores monialium S. Claræ possint absolvere a sententiis latis contra eos, qui non malitiose, sed ex curiositate, levitate, vel ignorantia intraverint in monasteria earum, sive aliarum religiosarum inclusarum, & hoc tam passive, quam active.

54. Absolvere etiam possint omnes mulieres, etiamsi malo animo intraverint.

55. Fratres exeuntes, & inservientes monialibus pro quæstu euntes, fruantur indulgentiis, quas lucrari possent in ecclesiis suis, etiam in ecclesiis illis, in quibus adesse contigerit.

56. Possint fratres, de licentia guardiani, vel alterius prælati accedere ad ecclesias monialium S. Claræ, causa visitandi SS. reliquias, & tempore stationum, & processionum generalium.

57. Item convertere possint in paramenta, & usus alios ecclesiasticos vestes, & pannos profanos.

58. Debite præsentati prælatis ecclesiarum, & ab eis gratiose recepti, possint audire confessiones suorum subditorum, etiam extra suam diœcesim, quamvis extra montes reperiantur.

59. Clerici, ac laici possint, sine scrupulo conscientiæ, tangere calices, corporalia, & alia paramenta, cum reverentia tamen debita.

60. Con-

60. Confeſſores ordinis poſſint abſolvere omnes confitentes ab omnibus ſacrilegiis, dummodo non fiant in ſacris, ita quod ſcandala orirentur, ſi fratres abſolverent.

61. Omnes moniales, & dominæ tertii ordinis in congregatione viventes indulgentiam plenariam in articulo mortis conſequantur, ſi dicant aliqua pſalteria, ſecundum quod vicario generali videbitur.

62. In matutinis, & veſperis, quando fiunt commemorationes SS. ordinis, poſſint fratres dicere unam antiphonam, & unam orationem pro omnibus SS. ordinis.

*63.*Poſſint fratres ubique locorum miniſtrare fidelibus ſacram Euchariſtiam, excepto die Paſchatis Reſurrectionis. *Veſtris*. Anno IV.

ANNO 1484. INNOCENTIUS VIII.

1. Inquiſitores ordinis prædicatorum non poſſint procedere contra profeſſores ordinis minorum, nec hi in illos; imo eximantur ab inquiſitorum juriſdictione. *Ex debito*. Anno III.

2. Omnia indulta, gratiæ, & privilegia conceſſa fratribus familiæ ciſmontanæ intelligantur conceſſa fratribus familiæ ultramontanæ, & e converſo. *Ex conceſſione SS.*

3. Gratiæ, & indulta conceſſa fratribus, & ſororibus tertii ordinis in congregatione viventibus, extendantur ad illos, qui vivunt in particulari.

4. Sacerdotes, qui celebrant in diebus dominicis, & ſolemnitatibus Domini, ac B. Mariæ, & SS. ordinis, habeant indulgentiam plenariam, & fratres laici, quando communicant.

5. Si fratres dimittant aliquid de officio divino, non ex dolo, poſſint ſupplere, dicendo aliquem pſalmum, vel orationem dominicam, vel ſalutationem angelicam.

6. Moniales recipientes ſacram Euchariſtiam lucrentur indulgentiam plenariam.

7. Guardiani ſemel in anno ſe præſentent epiſcopo diœceſano, vel ejus locum gerenti in ſpiritualibus, vel mittant alium fratrem pro ſe, qui petat facultatem audiendi confeſſiones ſæcularium, & abſolvendi a reſervatis.

8. Quo facto, ſive epiſcopus concedat, ſive non concedat eamdem facultatem, ſtatim confeſſores ordinis habeant ipſam, exceptis caſibus a jure reſervatis epiſcopo, vel ſummo pontifici.

9. Confeſſores ordinis poſſint diſpenſare in omnibus votis, in quibus poſſunt epiſcopi, exceptis votis peregrinationis ultra duas dietas.

10. Fratres profeſſi, qui neſciunt, officium divinum per ſe plene perſolvere, non teneantur ad illud ſub pœna peccati mortalis, donec ſciverint illud perſolvere; dummodo faciant quod in ſe eſt, & dicant ſicut ſciunt; & præterea ad horas fratrum laicorum teneantur.

11. Vicarii generales, & provinciales poſſint benedicere corporalia.

12. Prædicatores, & alii, qui per obedientiam reperiuntur extra conventus, poſſint promereri indulgentias ſtationum, aliaſque eccleſiis ordinis conceſſas, dummodo dicant quinque *Pater*, & totidem *Ave* in quacumque eccleſia, aut loco, pro intentione, & propoſito illius indulgentiæ.

13. Idem conceditur infirmis in ſuis infirmariis, ac cellis, quando commode aliud fieri non poſſit.

14. Procuratores fratrum, eorum ſub-

substituti, liberi, parentes, fratres, sorores, promereantur indulgentias stationum, aliasque concessas fratribus, dicendo in ecclesiis fratrum quinque *Pater*, & totidem *Ave*, pro felici statu Romanæ ecclesiæ.

15. Moniales S. Claræ, quæ nesciunt distinguere inter primariam intentionem, quæ causa est simoniæ, & secundariam, nunquam incurrant simoniam, nisi in duobus casibus; primo, si paciscantur expresse de aliquo dando, vel solvendo pro ingressu; secundo, si recipiant inhabiles ad monasterium, propter spem aliquid habendi.

16. Eædem moniales, sine scandalo, vel conscientiæ scrupulo, possint petere ea, quæ sibi fuerunt promissa ante ingressum.

17. Confessores monialium possint ingredi monasteria illarum, tempore pestis, ad celebrandam missam, & audiendum confessiones, etiam inservientium.

ANNO 1492. ALEXANDER VI.

1. Vicarius generalis, soluto capitulo, possit ordinem regere, ut suus prædecessor. *Sacra religionis*. Anno I.

2. Superiores generales per se, & provinciales, cum consensu majoris partis capituli provincialis, habeant facultatem expellendi ab ordine fratres incorrigibiles, eosque habitu expoliandi. *Quum sicut*. Anno IX.

3. Possint vicarii generales, & provinciales sibi reservare casus de occultis. *Intelleximus*. Anno IX.

4. Fratres egressi ab observantia, & transeuntes ad conventuales, non gaudeant privilegiis conventualitatis.

5. Non habeant jus aliquod in hæreditate, vel quavis alia successione propinquorum.

6. Fratres de familia, qui tempore Paschatis navigant in partes Sclavoniæ, vel in iis degunt, possint in Paschate navigantibus confessis ministrare Eucharistiam, non impetrata licentia a rectoribus parochianis.

7. Moniales S. Claræ, & sorores tertii ordinis in congregatione viventes sub cura fratrum, quæ labore manuum victum, & vestitum recipiunt, cogi nequeant ad solutionem alicujus decimæ.

8. Moniales S. Claræ, quæ obediunt vicariis provincialibus, obediant quoque vicario generali familiæ. *Exponi nobis*. Anno I.

9. Fratres minores de observantia, qui accedunt ad conventuales, propinquis suis jure hæreditario non succedant. *Quum intellexerimus*. Anno X.

10. Confessores monialium possint, ex causa rationabili, & justa, ingredi earumdem monasteria. *Exponi nobis*. Anno II.

11. Fratres possint, tempore interdicti, celebrare solemniter divina officia in suis ecclesiis, & monasteriis, in solemnitatibus SS. Francisci, Antonii, & Claræ, etiam per suas octavas, & in diebus SS. Ludovici, Bernardini, Bonaventuræ, ac quinque Martyrum de Marochio. *Ex concessione SS.*

12. Possint, sine conscientiæ scrupulo, celebrare missas cum planellis de corio absque calcaneo.

13. Possint mittere reliquias extra Urbem pro consecratione altarium, & lapides, etsi consecratos.

14. Prælati ordinis possint percutere per alium, causa correctionis.

15. Mulieres suscipientes ante mortem, vel post ipsam habitum S. Claræ, habeant talem relaxationem peccatorum,

rum, qualem habent viri, pro habitu fratrum minorum.

16. Medici ordinarii fratrum, & ſororum, gaudeant privilegiis ſindici, & procuratoris conventuum.

17. Generalis ſuperior, & provincialis poſſint abſolvere fratres, qui exſiſtentes in ſæculo incurriſſent cenſuram eccleſiaſticam, propter delationem ligaminum, ſeu ferramentorum ad partes infidelium.

18. Prælati provinciales poſſint licentiare fratres minores ad alia monaſteria, quam S. Claræ, non ſolum cauſa eleemoſynæ petendæ, vel prædicationis faciendæ; ſed pro ſpirituali quoque viſitatione conſanguinearum, vel alia neceſſitate, in locis, quæ ſæcularibus communiter patent.

19. Fratres retinere poſſint, & uti paramentis deauratis, & pretioſis, quæ donata ſint, vel oblata.

20. Procurator conventus poſſit exercere officium procurationis pro quibuſcumque fratribus advenientibus de aliis locis, ac ſi eſſet procurator illius alterius loci, de quo eſt frater advena.

21. Mulieres voventes regulam S. Claræ poſſint diſpenſari a vicario generali, & vicariis provincialibus, quod ſtent in congregatione tertii ordinis, maxime quando nequeunt intrare monaſteria S. Claræ.

ANNO 1503. JULIUS II.

1. Immunitates omnia, & privilegia, quæ conceduntur fratribus familiæ ultramontanæ, afficiant fratres familiæ ciſmontanæ. *Exponi nobis*. Anno II.

2. Miniſter generalis poſſit applicare bona monaſteriorum S. Claræ, quæ reformari renuunt, conventibus, quorum curæ erant eadem monaſteria concredita. *Exponi nobis*. Anno V.

3. Fratres commorari nequeant extra domos ſui ordinis, ac ſe de una cuſtodia, vel provincia ad aliam transferre, abſque ſuorum prælatorum licentia, vel ſub prætextu literarum apoſtolicarum. *Romanum*. Anno V.

4. Poſſint fratres ſepelire corpora fratrum decedentium tempore interdicti ordinarii, cum funebri pompa, ac aliis, quæ in exequiis dici conſueverunt. *Exponi nobis*. Anno VI.

5. Fratres poſſint recipere locum ſibi oblatum pro habitatione a quocumque. *Hodie a nobis*. Anno I.

6. Domus fratrum extra civitatem, vel oppidum, infra duo, vel tria milliaria, non teneatur eccleſiaſtico interdicto, niſi de jure in interdicto comprendatur, vel fratres ipſi cauſam dederint interdicto.

7. Quælibet perſona de jure capax pro parte fratrum requiſita, niſi legitime impediatur, ſuſcipere teneatur conſervationem eorumdem fratrum, ſub pœna excommunicationis.

8. Porrigentes fratribus manus adjutrices, eiſque eleemoſynas dantes pro victu, & veſtitu, gaudeant indulgentiis.

9. Prælati ordinis poſſint abſolvere fratres ſuos a quibuſcumque cenſuris, etiam ſedi apoſtolicæ reſervatis.

10. Si aliquis, incœpto probationis anno, habitum dimiſerit, ac deinde ad ordinem redierit, tempus prioris receptionis habitus cum tempore poſterioris in anno probationis, ei computetur, arbitrio ſuperiorum.

11. Privilegia, immunitates, exemptiones &c., quæ conceduntur fratribus ordinis prædicatorum, habeantur ut conceſſa fratribus minoribus.

12. Vi-

12. Visitantes ecclesias fratrum minorum in die S. Bonaventuræ easdem indulgentias consequantur, quas consequuntur visitantes in diebus SS. Antonii, & Bernardini.

13. Fratres ordinis minimorum non recipiant, neque retineant eos, qui ab ordine minorum ad illos transeunt, sub pœna excommunicationis. *Exponi nobis*. Anno VII.

14. Fratres conventuales, aliique mendicantes non impediant fratres de observantia a prædicationibus, & petitionibus eleemosynarum. *Exponi nuper*. Anno IX.

15. Privilegium concessum fratribus circa suspensionem interdicti in festivitatibus SS. ordinis, extendatur ad festum sacrorum Stigmatum. *Ex concessione SS*. Anno 1506.

16. Moniales ordini subjectæ sint absolutæ a votis omnibus, juramentis, & promissionibus Deo factis, quacumque ex causa. *Ex eadem*. Anno 1504.

17. Quæ fecerunt professionem cum intentione servandi regulam S. Claræ simpliciter, & non secundum modificationem Eugenii IV., non teneantur ad observantiam, nisi secundum eamdem modificationem.

18. Nulla profiteri possit regulam S. Claræ, nisi cum modificatione eadem; secus non teneatur ad illius observantiam, nisi quatenus modificatio præscribit.

19. Indulgentias, quas habent confratres tertii ordinis, qui dicunt quinque *Pater* pro ecclesia Romana in ecclesiis ordinis, habeant quoque in aliis ecclesiis, ubi non adsunt ecclesiæ ordinis.

20. Prælati ordinis dispensare queant cum fratribus super irregularitate contracta, exceptis homicidio voluntario, aut præstatione auxilii, seu favoris hujusmodi, & bigamia.

Nota. Sixtus IV. indultum extendit etiam ad illos, qui auxilium quomodocumque præbuerint, licet sine tali auxilio homicidium perpetratum non fuisset.

21. Fratres recurrere possint ad pecuniam non solum in necessariis, verum & in non necessariis, dummodo non sint illicita, & habeatur consensus superioris.

22. Fratres regnorum Castellæ, & Legionis possint, interdicti tempore, recipere sacramentum Eucharistiæ coram illis personis, quæ habuerint facultatem audiendi divina tali tempore.

23. Sorores S. Claræ, & tertii ordinis sub fratrum cura, lucrentur plenariam indulgentiam, quoties dixerint coronam B. Virginis Mariæ.

24. Eamdem indulgentiam lucrentur fratres, si coronæ addant unum *Ave* pro summo pontifice.

25. Eamdem quoque, quoties dixerint coronam Salvatoris nostri, indulgentiam obtineant.

26. Studii causa nemo commoretur in academiis extra conventus, invitis superioribus. *In supremæ*. Anno V.

27. Tempore interdicti celebrari queant solemni ritu exequiæ fratrum defunctorum. *Exponi nobis*. Anno VI.

28. Minores gaudeant privilegio alias concesso de spatio, quod esse debet inter sua, & aliorum regularium ædificia. *Exponi nobis*. Anno VI.

29. Generalis in toto ordine, provincialis in sua provincia, custos in sua custodia possit instituere sindicos,

Digitized by Google

seu procuratores , qui nomine sedis apostolicæ bona conventuum administrent. *Exponi nobis*. Anno VI.

ANNO 1513. LEO X.

1. Possint observantes fratres habitare in conventibus magnis , & uti paramentis pretiosis. *Merentur*. Anno I.

2. Tertiarii franciscani gaudeant privilegiis ecclesiasticorum . *Exponi nobis*. Anno I.

3. Superiores , etiam guardiani possint benedicere ecclesias , cœmeteria , paramenta , corporalia , cæteraque , in quibus chrisma non intervenit , ac reconciliare ecclesias pollutas . *Religionis*. Anno I.

4. In processionibus , & aliis actibus , observantes crucem suam deferant , & obtineant semper locum digniorem super conventuales . *Licet alias*. Anno V.

Nota. Excipitur processio S. Antonii in civitate Patavina , & processio Assisii in festo Portiunculæ . In prima servetur vetus consuetudo , salvo quod decem fratres observantes cum patribus senioribus conventualium ire poterunt . In altera omnes ministri , & guardiani remaneant in societate magistrorum , & fratrum conventualium bini , & bini , si voluerint remanere.

5. Si minister generalis per sexennium fuerit cismontanus , sequenti sexennio eligatur de ultramontanis , idque alternatis vicibus observetur . *Ite & vos*. Anno V.

6. Si minister fuerit cismontanus , instituat in partibus ultramontanis commissarium generalem , eligendum a fratribus ultramontanis , & in officio mansurum per triennium , quo elapso , alius commissarius pariter ultramontanus eligatur .

7. Si minister fuerit ultramontanus , commissarius generalis sit cismontanus eodem modo tam in primo , quam in secundo triennio .

8. Si minister generalis in partibus , in quibus sex annis fuerit , ad alias partes se conferre voluerit , loco sui possit relinquere commissarium , de consilio , & assensu diffinitorum generalium dumtaxat .

9. Visitatores , & confessores monialium instituantur , & corrigantur a superioribus ordinis . *Postquam* . Anno VI.

10. Ministri provinciales non possint in suis continuari officiis ultra triennium , quo elapso , pro absolutis ab officio a cunctis fratribus habeantur.

11. Possint tamen infra triennium ipsum a suis capitulis provincialibus , si minus utiles inventi fuerint , ab officiis provincialibus absolvi . Idem judicium de custodibus per omnia habeatur .

12. Nullus in ministrum provincialem , aut custodem eligi , aut in ipsorum electione vocem habere possit , nisi vitam ducat reformatam , & in communitate reformatorum illius provinciæ , cui præficiendus est , pro tali habeatur .

13. Sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto , sedi apostolicæ reservatæ , nemo frater ordinis S. Francisci appellet alium fratrem ejusdem ordinis , malitiose , irrisorie , seu improperiose , privilegiatum , coletanum , bullistam , amadeitam , clarenum , de evangelio , de caputio , bigotum , aut alio nomine in futurum imponendo , quod sit irrisorium , injuriosum , seu improperiosum , aut quod pro improperioso a patientibus habeatur . 14

14. Fratres omnes ejusdem ordinis vocentur fratres minores, seu S.Francisci, a seipsis, & aliis omnibus.

15. Nullæ novæ sectæ, seu reformationes in ordine introducantur, aut fiant, absque ministri generalis, aut provincialium ministrorum reformatorum in suis provinciis respective expresso consensu.

16. Novæ reformationes subjiciantur ministro generali, & provincialibus per omnia, secundum regulam.

17. Minister generalis, aut quivis alius prælatus non possit mittere fratrem reformatum ad morandum in aliquo conventu non reformato, aut non habito pro reformato.

18. Si capitulis provincialibus videatur minus malum, aliquem fratrem licentiare ad nondum reformatos, quam ipsum cum reformatis retinere, tali in casu possint prælati mittere fratrem reformatum ad nondum reformatos.

19. Nemo sub pœna excommunicationis, recedat a reformatis, nisi modo prædicto. Nemo etiam conventualium, sub eadem pœna, fratrem reformatum venientem recipiat, nisi eodem modo servato.

20. Superior pro tempore electus ad regimen fratrum conventualium vocetur in perpetuum magister generalis. *Omnipotens*. Anno V.

21. Teneatur petere confirmationem suæ electionis a ministro generali totius ordinis, quemadmodum vicarii generales de familia eam petebant.

22. Provinciales conventualium, qui magistri appellentur, petant confirmationem suæ electionis a ministris provincialibus de observantia.

23. Minister generalis, & provinciales ministri de observantia, nec ante, nec post hujusmodi confirmationem, habeant ullam superioritatem in conventuales, ac fratres, & sorores tertii ordinis, qui eatenus sub ministro generali conventualium fuerunt, nec eos visitare possint, seu corrigere.

24. Si contigerit, ministrum generalem pro tempore exsistentem ad conventualium domos, & loca declinare, debeat ipse fratres paterne visitare, ipsique conventuales eumdem ministrum generalem, tamquam totius ordinis superiorem, cum omni charitate, & dilectione, recipere teneantur.

25. Attamen minister generalis nihil judicialiter exerceat circa ipsos fratres conventuales, eorumque domos, & loca, aut monasteria monialium sub eorum cura degentium, nisi id exerceat eo modo, quo minister generalis fratrum conventualium utebatur super fratres de familia, eorumque domos, & monasteria monialium.

26. Generales, & provinciales ministri, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, nec directe, nec indirecte, procurent, ut monasteria monialium, sub cura magistri generalis, conventualibus auferantur.

27. Singuli fratres conventuales ad generalem, & provinciales ministros transire libere possint, petita, licet non obtenta, licentia a suis superioribus.

28. In omnibus actibus publicis, processionibus, funeralibus, & exequiis, fratres conventuales locum relinquant digniorem fratribus de observantia.

29. At si aliqui graduati, seu antiqui patres, & guardiani domorum conventualium remanere velint cum quibusdam fratribus antiquioribus de ob-

servantia, tunc omnes simul incedere possint, ipsique conventuales semper eorum crucem, & vexillum per eos deferri solitum, deferre possint.

30. Missionarii in Indiis possint absolvere, & dispensare cum conversis ad fidem, respectu cujuscumque criminis, & inhabilitatis. *Alias.* Anno IX.

31. Item possint quæcumque vota commutare, & dispensare cum iis, qui matrimonium contraxerunt impedimento aliquo juris positivi irretiti.

32. Possint, ordines minores conferre in locis, ubi non sunt episcopi, & pontificalia exercere, ædificare, & consecrare ecclesias, easque violatas reconciliare.

33. Nemo obtineat exemptionem, aut indultum apostolicum, sub quavis forma, & expressione verborum; sine consensu superiorum generalium, aut commissarii curiæ. *Inter cætera.* Anno I.

34. Nemo, sub pœna excommunicationis, absque speciali mandato, & habita licentia in scriptis suorum superiorum, assumatur a prælatis, aut apostolicæ sedis nuntiis, exceptis legatis de latere, ad morandum secum ipsis, aut negotium aliquod procurandum.

35. Fratres minores, cujuscumque dignitatis exsistant, non ingrediantur monasteria S. Claræ, aut alia, nisi in casibus in regula contentis. *Accepimus.* Anno I.

36. Iidem fratres, & moniales S. Claræ habitantes in conventibus noviter reformatis, non teneantur ad obligationes missarum factas per conventuales. *Justum.* Anno I.

37. Expelli queant ab ordine illi, qui fuerunt maculati in sæculo gravibus delictis, & ea tacuerunt tempore professionis. *Quum sicut.* Anno III.

38. Inquisitores hæreticæ pravitatis se non intromittant de fratribus minoribus, nec testes examinent, nec processus forment, nec causas contra eos cognoscant. *Exponi nobis.* Anno IV.

39. Fratres possint recipere triticum, panem, ac frumentum, aliasque res superabundantes, & pro vino, carnibus, ac aliis victui necessariis eas commutare, ac vendere per sindicum apostolicum. *Exponi nobis.* Anno V.

40. Electio magistri generalis conventualium facta sub nomine ministri generalis, sit irrita, ac nulla. *Nunciatum.* Anno V.

41. Sorores tertiæ regulæ S. Francisci, quæ tria vota essentialia emittunt, & collegialiter vivunt, sint veræ religiosæ, & gaudeant privilegiis fratrum minorum. *Ea, quæ*, Anno V.

42. Moniales non sortiantur visitatorem, nisi datum a capitulo provinciali. *Postquam.* Anno VI.

43. Moniales, & sorores curæ fratrum subjectæ non teneantur admittere aliquas personas habentes auctoritatem apostolicam ad ingrediendum sua monasteria, ipsis invitis. *Exponi nobis.* Anno IV.

44. Moniales S. Claræ sub eorumdem cura subjiciantur statutis factis, & faciendis in capitulis generalibus, & provincialibus fratrum. *Quum sicut.* Anno VI.

45. Abbatissæ, tempore visitationis realiter renuntient suis officiis.

46. Privilegia omnia concessa monialibus S. Claræ extendantur ad sorores tertiæ regulæ. *Dudum.* Anno V.

47. Prælati ecclesiarum non molestent fratres super eleemosynis, & legatis,

Digitized by Google

gatis, ac sepeliendis corporibus defunctorum; imo potius eos defendant a molestiis aliorum, præsertim presbyterorum parochialium. *Exponi nobis*. Anno VI.

48. Moniales S. Claræ, & tertii ordinis, quorum redditus non sufficiunt ad commodam earum sustentationem, eximantur a solutione decimarum, & onerum, etsi imposita sint per sedem apostolicam. *Dudum*. Anno VII.

49. Nec fratres, nec moniales utantur bullis cruciatæ, absque suorum superiorum licentia. *Non sine*. Anno VII.

50. Ii, qui antea vocabantur visitatores monialium, de cætero vocentur commissarii provincialium. *Quum inter*. Anno VII.

51. Eorum officium duret per triennium, & non ultra; eoque expleto, ministri provinciales inquirant de eorum defectibus. Idem esto de confessoribus.

52. De consensu duarum partium monialium cujuslibet monasterii S. Claræ, & tertiariarum, possint alienari earum bona. *Cum sæpe*. Anno IX.

53. Insuper possint eædem moniales retrahere locationes factas in præjudicium monasteriorum, confirmare, & approbare permutationes, & venditiones, quæ in evidentem utilitatem, & necessitatem sunt factæ, dummodo id constet coram vicario episcopi diœcesani.

54. Fratres non teneantur celebrare nisi unicum capitulum provinciale, de triennio in triennium. *Pro parte*. Anno IV.

55. Festum S. Elisabeth reginæ Hungariæ solemniter celebrari possit, tempore interdicti, sicut festa aliorum SS. ordinis. *Quum alias*. Anno VI.

56. Ecclesiæ fratrum minorum non possint specialiter interdici, nisi causam dederint interdicto. *Cum sancta*. Anno VII.

57. Neque interdici possint, nisi ille, qui obtinuerit, ut interdicantur, provideat sufficienter fratribus de rebus victui necessariis.

58. Fratres de observantia habeant in processionibus, & aliis actibus publicis, eumdem locum, quem conventuales obtinere consueverant, antequam ab eis auferretur dignitas ministeriatus. *Etsi pro injuncta*. Anno. IX.

59. Moniales S. Claræ debeant recitare officium divinum sicut fratres minores, quorum ritui se conforment. *Quum sicut*. Anno III.

60. Illiteratæ dicant *Pater noster*, & pro defunctis dicant septem *Pater* cum *Requiem æternam*, pro matutino duodecim, tempore, quo sorores literatæ facient officium mortuorum.

61. Moniales, etiam sanæ non teneantur semper, officium divinum in choro persolvere, humana considerata fragilitate, & sexus feminei imbecilitate; sed abbatissa possit discrete cum aliquibus dispensare.

62. Lucrentur indulgentias concessas fratribus, & quoties communionem sument indulgentiam plenariam.

63. Quilibet sacerdos minorita possit ministrare sacramentum Eucharistiæ concesso tempore, non tamen in die Paschatis Resurrectionis, sine rectoris parochialis, aut diœcesani licentia. *Ex audientia SS.* Anno 1516.

64. Possint fratres, tuta conscientia, uti omnibus concessis a sede apostolica, & summis pontificibus per bullas, brevia, ac vivæ vocis oracula, prout

Digitized by Google

prout in libris ordinis reperiuntur, ac si omnia specifice exprimerentur.

65. Prælati ordinis in suis ecclesiis, & capellis exhumare possint corpora defunctorum, & ad alias sepulturas in eisdem ecclesiis suis transferre de consensu illorum, quorum interest.

66. Quod conceditur sanctis ordinis prædicatorum junctim, & cuilibet, vel aliquibus eorum, sit concessum sanctis ordinis minorum, eodem modo, quamvis isti fuerint in majori numero.

67. Privilegium de suspensione interdicti in festis SS. Ordinis intelligatur de diebus, in quibus talia festa incidunt, etiamsi propter alia majora festa occurrentia illorum officia in alium diem transferantūr.

68. Eodem modo se habeant fratres tempore cessationis a divinis, & tempore interdicti cujuscumque.

69. Quando fratres, tempore interdicti, extra chorum dicunt horas canonicas, si casu transeuntes personæ interdictæ aliquid audierint, non propterea incurratur aliqua censura.

70. Nec teneantur evitare laborantes in suis domibus, diebus, quibus laboraverint, etiamsi non sint familiares, & inservientes continui commensales fratrum, eisque solvatur salarium.

71. Non teneantur, dum officium dicunt, recitare ea, quæ ab aliis imperfecte dicta fuerint, aut ab eis non integre audita, ob distantiam localem, strepitum, vel aliam causam; sed satisfaciant præcepto ecclesiæ, & regulæ, qualitercumque audiendo quæ alii dicere debent, præsertim in choro.

72. Satisfaciant eidem præcepto, quamvis propter aliquod incommodū, vel aliam causam, officium dicant sedendo, deambulando, vel non integre proferendo verba, prout sunt scripta, ex negligentia, vel imperitia, vel defectu linguæ, aut cum mentis distractione, & sensuum vagatione, dummodo ex malitia id non faciant.

73. Non teneantur proferre vocaliter illa, quæ in ordinario jubentur dici secrete sub silentio, tam in horis canonicis, quam in missa: verum satisfaciant, dicendo ea mentaliter, aut legendo intra se per librum.

74. Idem possit facere is, qui officium dicit solus, quum prolatio verbalis sit præcipue, ut ab aliis intelligatur.

75. Si aliquis febri, dolore intenso, vel alia infirmitate fuerit gravatus, satisfaciat, dicendo pro horis canonicis psalmum, hymnum, *Pater noster*, *Ave Maria*, vel alia, judicio prælati, aut præsidentis loci, seu conventus assignanda; & hoc, quando medicus, si commode haberi queat, dixerit, recitationem officii esse noxiam infirmo.

76. In rebus dubiis conscientias fratrum tangentibus, standum sit judicio generalis, vel provincialis superioris, qui, si res fuerit maximi momenti, consulant aliquot patres.

77. Ut indulgentias lucrentur fratres, non teneantur porrigere manus adjutrices in ecclesiis, locis, & personis; sed dicant quinque *Pater*, & *Ave* pro felici statu summi pontificis, & matris ecclesiæ, in locis eisdem, aut in ecclesiis suis.

78. Qui audiunt confessiones, absolvendo excommunicatos in foro conscientiæ, non teneantur servare formam, quæ servatur in publicis absolutionibus, scilicet flagellatione cum psalmo. *Miserere*.

79.

Digitized by Google

79. Interdicti tempore, possint absolvere a censuris, in foro conscientiæ, pœnitentes, nisi ex censuris ipsis interdictum manaret.

80. Spectet ad superiores generales, provinciales, & custodes in suis capitulis, eorumque generales commissarios extra capitula, declarare, quænam sint res viles, & parvi valoris, quæ possunt dari intra, & extra ordinem, & concedere suis subditis, ut eas possint dare, ac recipere, prout eis expedire videbitur.

81. Capitulum generale dumtaxat habeat facultatem declarandi dubia, quæ occurrent in divinis officiis, & ordinandi, addendi, mutandi quidquid erit expediens, tam in regulis, quam in calendario.

82. Virtute bullarum cruciatæ, aliarumque indulgentiarum, privilegia ordinis nunquam intelligantur revocata, vel suspensa, nisi specifice, & nominatim exprimatur.

83. Eadem expressio necessaria sit ad hoc, ut interdictum non suspendatur, ut suspendi debet, in festivitatibus SS. ordinis.

84. Nemo bullas cruciatæ possit accipere, & uti privilegiis, quæ in illis continentur, nisi de licentia superioris generalis, provincialis, aut custodis, in scriptis habita.

85. Quilibet catholicus episcopus possit consecrare ecclesias ordinis, altaria, cœmeteria, calices, actusque pontificales exercere, diœcesani loci, aut cujuslibet alterius licentia non requisita.

86. Fratres absolvere possint, in foro conscientiæ, eos, qui aliquam violentiam intulerint ecclesiis, vel locis eorumdem.

87. Recitantes officium defunctorum pro animabus in purgatorio exsistentibus, vel septem psalmos pœnitentiales, easdem consequantur indulgentias, quas consequuntur recitantes coronam B. Virginis Mariæ.

88. Viri deferentes imaginem Conceptionis, & mulieres scapularium ordinis cum ea imagine, obtineant easdem gratias, quas obtinent ii, qui deferunt chordam fratrum minorum, aut corrigiam S. Augustini.

89. Ministri provinciales, in suis capitulis respective, possint de consilio diffinitorum, nominare duos, vel tres fratres, qui ordinent calendarium pro toto anno cum regulis necessariis. *Ex eadem*. Anno 1520.

90. Fratres, & moniales provinciarum respective, idem officium de eodem Sancto, festivitate, vel feria faciant, ne varietati, & discordiæ locus detur; dum tamen non multum discrepent a calendario Romano.

91. Minores de observantia, quocumque tempore diei, vel noctis, dicendo orationes, & psalmos, prout concessum est, possint consequi indulgentias, & stationes Romæ in domibus propriis. *Ex eadem*. Anno 1517.

92. Si vocentur, aut invitentur a prælatis ecclesiarum, aut aliorum ordinum, vel visitatoribus habentibus curam monasteriorum monialium, ad visitanda hujusmodi monasteria, possint eis obtemperare.

93. Item possint cum eisdem ingredi monasteria, sicut id possunt in monasteriis sibi subjectis.

94. Prælati ordinis possint dare licentiam subditis suis ingrediendi clausuram monasteriorum, etiam S. Claræ, ad faciendum sermonem de Calen-

Digitized by Google

lenda, dummodo intrantes sint senes, & vitæ exemplaris.

95. Sicuti moniales S. Claræ gaudent privilegiis fratrum minorum, ita & fratres gaudeant privilegiis monialium, quæ sunt sub eorum cura, in spiritualibus tantum.

96. Tempore interdicti, liceat fratribus facere per claustra processionem, & in illa canere: *Veni creator &c.* litanias, hymnos, aut alia devota carmina, dum tamen officium divinum non dicant. Pariter benedicere mensam, & post prandium, vel cœnam Deo agere gratias, ac si nullum esset interdictum.

97. Tam morientes, & sepeliendi in habitu fratrum minorum, quam in habitu sororum tertiæ regulæ, quæ vivunt sub obedientia ministrorum generalium, & provincialium, consequantur plenariam indulgentiam. *Ex eadem*. Anno 1517.

98. Prælati ordinis, & alii fratres, quibus id prælati commiserint, possint per se, vel manu sæcularium capere apostatas, sive portent habitum, sive non, eosque detinere, donec legitime ostendant, se esse alterius obedientiæ.

99. Eisdem permissum sit, accipere bona apostatarum, & ea exigere a quibusvis personis illa detinentibus. eisque uti, si talia sint, quorum usus fratribus est concessus.

100. Si talia non sint, possint converti in res licitas per procuratorem, seu sindicum apostolicum, vel alium amicum spiritualem ab aliquo prælato ordinis nominandum.

101. Prædicatores, & confessores, dum actu prædicant, & confessiones excipiunt, ut in adventu, & quadragesima, possint officium feriale anticipare, & festa illis diebus reservare, quibus illos amplius laborare necesse est, non in fraudem divini officii, verum ut melius consolationi spirituali fidelium studeant.

102. Fratres, qui occupati officium persolvunt extra chorum, non teneantur duplicare litanias, quæ in quadragesima post matutinum solent decantari.

103. Neque teneantur ad observantias horarum statutarum, quibus solet officium a fratribus in choro dici, si sint in itinere, vel infirmitate, sive occupatione communi præpediti.

104. Quicumque post quamlibet horam diei dixerit orationem: *Sacrosanctæ, & individuæ Trinitati &c.* cum consueto versiculo, & in fine unum *Pater*, & *Ave* pro felici statu summi pontificis, & Ecclesiæ Sanctæ Dei, consequatur remissionem omnium defectuum, in illa hora ex humana fragilitate commissorum.

105. Laici socii superiorum generalium, qui extra loca, & conventus, ubi non sunt alii fratres ad ministrandum apti, eorum missis inserviunt, possint propriis manibus tractare vasa sacri ministerii, calices videlicet, & corporalia explicare, & plicare, sicut clericus in sacris constitutus.

106. Fratres familiæ possint celebrare missas ante diem, & post meridiem, de superiorum suorum placito, & discretione.

107. Similiter celebrare possint illico post matutinum, & post meridiem, præsertim diebus, quando audienda est missa de præcepto, quando fratres debent ambulare, sive quando de via veniunt, ut non possint ante meridiem

ad

Digitized by Google

ad locum pergere, ubi commode miſſam audiant, ſive honeſte celebrent.

108. In æſtate poſſint id facere & ante matutinum chori, & infra, dummodo celebraturus illud per ſe, aut cum ſocio dixerit.

109. In caſu neceſſitatis familiæ tam fratrum, quam monialium poſſint mutari, & transferri ab uno loco in alium, locuſque prioris eccleſiæ reducatur ad humanos uſus, dum tamen materia ædificiorum ponatur in eccleſia alia.

110. Prædicatores actu prædicantes poſſint, ſervato jejunio, anticipare, vel retardare horas comeſtionis ſerotinæ collationis.

111. Indulgentiæ conceſſæ a S.Gregorio coram imagine Pietatis poſſint etiam lucrari pro animabus defunctorum.

112. Superiores provinciales obſervantium, peracta viſitatione ordinaria in conventibus ſuæ provinciæ, habeant facultatem concedendi indulgentiam plenariam fratribus cujuſlibet conventus viſitati.

113. Fratres iter agentes poſſint transferre jejunium diei itinerationis ad alium diem.

114. Scrupuloſi poſſint in omnibus dubiis ſuam conſcientiam tangentibus, ſecura conſcientia, ſtare determinationi guardiani ſui, vel alterius prælati.

115. Prælati ordinis, quum aliquem excommunicant, propter apoſtaſiam, vel cauſam aliam, in capitulo fratrum, non teneantur ferre ſententiam in ſcriptis.

116. Si, cauſa correctionis, vel abſolutionis, oporteat verberare aliquem fratrem, prælati ordinis, eorumque commiſſarii utantur ad verberandum manu vicarii, vel alterius fratris ſubditi, non obſtante capitulo de ſententia excommunicationis.

117. Legata facta ad certum uſum poſſint converti a prælatis ordinis ad uſum alium, ſecluſo ſcandalo. Idem poſſint facere in rebus donatis per viventes.

118. Fratres alterius ordinis, qui profeſſi ſunt, & nutriti inter obſervantes ordinis ſui, ſi tranſeant ad ordinem fratrum minorum, poſſint facere profeſſionem ante annum probationis completum, arbitrio prælati, qui conſulat diſcretos. Idem eſto de monialibus.

119. Poſſint fratres minores recuperare fratres ſuos, qui quomodocumque de ſua obedientia exierint, & illos ad regularem vitam reducere, non obſtante, quod dicti fratres habeant literas apoſtolicas, etiam derogantes conceſſionibus ordinis.

120. Si in literis eiſdem ſint judices deputati exſequutores, etiamſi dicti judices fulminaverint cenſuras, nihilominus dicti fratres minores poſſint recuperare, corrigere, & retinere fratres ſuos, in foro conſcientiæ tantum.

121. In foro autem contentioſo, ſi judices, ad petitionem illorum, contra fratres procederent, examinentur literæ exemptionum ſuarum, cum literis revocatoriis, & ſtandum ſit fortioribus.

122. Religioſi, qui officium divinum perſolverint per librum, conſequantur remiſſionem dimidiæ partis peccatorum commiſſorum illa die, qua prædictum officium perſolvunt.

123. Poſſint fratres, ſemel in quolibet anno, plenarie abſolvi, & plenariam indulgentiam conſequi in feſto S. Catharinæ virginis, & martyris.

124. Tam fratres, quam sæculares, qui dixerint duodecim *Pater*, & *Ave*, pro exsistentibus in peccato mortali, qualibet vice, consequantur remissionem tertiæ partis suorum peccatorum. Eodem privilegio gaudeant moniales S. Claræ, & aliæ, quæ a fratribus reguntur.

125. Prædicatores, ac cæteri, qui extra conventum non habent copiam sacerdotis sui ordinis, possint confiteri peccata sua religioso alterius ordinis, vel presbytero sæculari, dummodo non fiat in fraudem, & id dicant prælato suo.

126. Indulgentiæ pro vivis concessæ fratribus, extendi queant ad animas defunctorum, eisdemque applicari per modum suffragii.

ANNO 1522. ADRIANUS VI.

1. Nequeant fratres minores transire ad Indos, nisi assignentur a consilio regali Hispaniarum, & a prælatis suis nominentur. *Exponi nobis.* Anno I.

2. Sint probatæ vitæ, & sufficientis doctrinæ, eosque si quis impediverit, ne ad Indos pergant, postquam nominati, & licentiati fuerint, incidat in pœnam excommunicationis, ipso facto.

3. Valeant, & debeant eligere ex seipsis duos, tres, vel plures, qui in Indiis illis præsint, eo modo, quo eisdem, aut majori parti melius visum fuerit.

4. Eorum præsides, vel superiores sic electi per triennium, aut aliud majus, vel minus tempus, juxta constitutiones suas, prout in Hispania fieri consuevit, habeant prælationem, & non ultra; maneantque omnes semper in obedientia ministri, & capituli generalis; dummodo nihil eis imponant in præjudicium eorum transitus in Indias, & conversionis infidelium.

5. Fratres, qui pro tempore assumentur ad regimen aliorum fratrum in Indiis, habeant in utroque foro super fratres sibi commissos omnem auctoritatem, & facultatem, qua pollet minister generalis.

6. At generalis minister limitare queat præfatam auctoritatem, prout ei visum fuerit.

7. Prælati fratrum, & alii, quibus ipsi de fratribus suis, qui in Indiis commorantur, duxerint committendum, in partibus, ubi non fuerint episcopatus creati, vel, si fuerint, tamen infra duas dietas ipsi, vel officiales eorum inveniri non possunt, habeant auctoritatem apostolicam in utroque foro, quoad fratres suos, & quoad Indos ad fidem convertendos.

8. Eadem auctoritas extendatur quoque ad omnes actus episcopales exercendos, qui non requirunt ordinem episcopalem, donec per sedem apostolicam fuerit aliter ordinatum.

ANNO 1523. CLEMENS VII.

1. Nemo ordinis professor, postquam ad episcopatum, aut aliam ecclesiasticam dignitatem fuerit promotus, ob quam sit exemptus ab obedientia superiorum, immorari possit in conventibus ordinis, aut in officiis fratrum se immiscere, vel intromittere. *Regimini*. Anno II.

2. Fratres de observantia, moniales, & quævis personæ tertii ordinis possint assequi anni sancti jubilæi indulgentiam plenariam, & peccatorum remissionem in suis ecclesiis, & domibus. *Ex audientia SS.* Anno 1525.

3. Visitent tamen trisepties quatuor altaria, vel imagines, uno, duobus, vel pluribus diebus, intra spatium triginta

ginta dierum inclusive,ac dicant orationem dominicam, & angelicam salutationem.

4. Possint quoque eligere, ad arbitrium sui prælati, confessorem, qui eos absolvat ab omnibus casibus, & peccatis, etiam apostolicæ sedi reservatis.

5. Laici ordinis, de consilio medicorum, possint, tuta conscientia, sanguinem extrahere a venis fratrum infirmorum; non vero sæcularium.

6. Sindici, & procuratores minorum de observantia gaudeant indulgentiis, favoribus, & gratiis, quibus minores ipsi potiuntur. *Dum consideramus*. Anno II.

ANNO 1534. PAULUS III.

1.Fratres de observantia,qui arctiorem vitam ducere voluerint, se transferant, de licentia suorum prælatorum in loca ad hunc finem destinata (*recollecta*), sub eorum prælatorum obedientia, servata forma habitus, & caputii. *Regimini*. Anno III.

2.Ubi dicta loca designata adhuc ad hunc effectum non fuerint, designentur in capitulis provincialibus, juxta capacitatem, & numerum ipsorum fratrum, per generales prælatos, vel ministros provinciales respective in suis provinciis. *Utrumque statutum fuit, ut impediretur transitus fratrum observantium ad capuccinos*.

3. Capsæ omnes appositæ in ecclesiis fratrum de observantia ad colligendas fidelium eleemosynas removeantur. *Exponi nobis*. Anno II.

4.Moniales S.Claræ possint incipere jejunium adventus a festo S. Andreæ. *Ex audientia* SS. Anno 1536.

5.Sex fratres possint in Hispania ingredi claustra monasterii ad sepeliendam monialem defunctam.

ANNO 1550. JULIUS III.

1. Fratres omnes, nulla originis, seu status habita consideratione, eligi queant in guardianos, ministros provinciales &c. contra ac statuerat Clemens VII. circa descendentes a Judæis, vel hæreticis, per literas: *Officii nostri*. Anno II. *Ad hoc circa*. Anno I.

2. Item sæculares a prædictis descendentes recipi queant ad ordinem, & ad professionem. *Nota*. Revocatæ sunt literæ Julii a Paulo IV., & iterum confirmatæ literæ Clementis VII. *Quum ex apostolatus*. Anno IV. Quod etiam egit Pius IV. *Provisionis*. Anno IV., & antea vivæ vocis oraculo, ut testimonio authentico constat Rodulphi Pii cardinalis protectoris, anno 1560.

3. Minores cogi nequeant ad solutionem gabellarum. *Romani Pontificis*. Anno V. Idem statuitur circa moniales viventes sub cura minorum de observantia. *Exponi nobis*. Anno IV.

4. Neque subsint imperio inquisitorum hæreticæ pravitatis, qui in eosdem procedere non possint. *Romanus Pontifex*. Anno VIII.

ANNO 1559. PIUS IV.

1. Nec fratres, nec moniales possint sibi eligere confessorem, absque sui superioris facultate, non obstante quocumque indulto, etiam apostolico. *Exponi nobis*. Anno I.

2. Fratres Bosnæ Argentinæ eisdem fruantur privilegiis, quibus fruuntur fratres Terræ Sanctæ. *Circa religionem*. Anno V.

ANNO 1566. PIUS V.

1. Fratres ratione itineris, vel justæ occupationis, possint dicere totum officium divinum simul mane, & celebrare missam ante auroram. *Apud Rodericum in bull.*

2. Clerici sacris nondum initiati, si nesciant legere, secundum judicium superiorum suorum, satisfaciant obligationi recitandi officium divinum, dicendo officium laicorum.

3. Calceamenta desuper aperta, quæ deferunt minores, non sunt in regula prohibita, eisque in tuta conscientia cum pedibus pannicis, & caligis uti queant.

4. Sindicus apostolicus nequeant disponere de pecunia fratrum, nisi in quibus, & quando superior voluerit.

5 Ad sindicum & amicos spirituales, fratres de suorum prælatorum licentia recurrere possint, pro emendis rebus, etsi non admodum necessariis.

6. Vinum, aliæque eleemosynæ in sua specie, possint per sindicum venundari, ac pecunia converti in utilitatem fratrum, conventuum reparationem, & alias necessitates extraordinarias.

7. In locis, ubi fratres commode sustentari nequeunt, liceat congregare frumentum, vinum &c. pro uno anno.

8. Prælati, & religiosi de eorum licentia possint procurare pecuniam deponendam apud sindicum etiam pro superfluis, & curiosis, puta ornamentis, & ædificiis sumptuosis, ac pro necessitatibus quoque futuris. Pecunia vero, quæ procuratur pro una necessitate, possit impendi in aliam.

9. Fratres iter agentes possint de licentia prælatorum secum deferre famulum cum pecunia, quando alio modo iter commode peragi nequit.

10. Item possint, tempore jejunii, facere jentaculum de mane, si pedester incedant, & finito itinere illius diei, cœnare.

11. Per quæcumque statuta, etiam apostolica, fratres non obligentur ad censuras, seu pœnas ecclesiasticas, vel ad peccatum mortale, sed tantum ad pœnitentias salutares. Excipiuntur ea, quæ sub præcepto in regula continentur.

12. In jejuniis ecclesiæ, & regulæ senes, & debiles fratres possint comedere ova, seu carnes ex consilio medici, & confessoris, superiorumque dispensatione.

13. Ministri provinciales possint committere viris doctis, & juxta decretum concilii Tridentini approbatis, auctoritatem dispensandi cum viris, & mulieribus incestuosis, qui carnaliter peccaverint cum consanguineis ulterius conjugis intra quartum gradum, ad hoc ut possint petere debitum, in foro conscientiæ tantum. Insuper auctoritatem dispensandi cum iis, qui ante matrimonium voverunt castitatem, ut possint licite petere debitum in foro conscientiæ tantum.

14. Nemo prædictis concessionibus concernentibus paupertatem in ordine promissam, uti possit, absque licentia superiorum generalium; secus mortaliter peccabunt, & punientur censuris, & pœnis juxta constitutiones apostolicas, & statuta ordinis.

15. Illi tantum fratres de observantia in generalem ministrum, & reliquos superiores eligantur, qui regulam bene observare, & qui in choro, victu, & vestitu, quantum officii necessitas concesserit, cum aliis se conformare solent, ut debent. *Pastoralis*. Anno VI.

16. Electiones diffinitorum, custodum,

dum, & diſcretorum, aliorumque ſuperiorum, fiant per vota ſecreta; ſecus ſint irritæ, & inanes; electique incurrant in pœnas contentas in decretis concilii Tridentini.

17. Miniſter generalis, commiſſarius, vel procurator generales, & provinciales, in eo capitulo, in quo abſolvi debent, non ſint diffinitores, neque vocem habeant, ſed facta ſucceſſoris electione, diſcedant, ut ſi quis eos accuſare voluerit, libere agat.

18. Electio miniſtrorum provincialium fiat per vota ſecreta, & libere. Quod ſi commiſſarius generalis, vel qui electioni præſederit, formam prædictam tranſgredi, ſeu electores, quominus libere eligant, quovis modo impedire convictus fuerit, ſit privatus officio.

19. Qui in electionibus, vel ante eas per ſex menſes pro ſe, vel alio ſubornaverit, ſit excommunicatus ipſo facto excommunicatione ſummo pontifici reſervata, privatuſque voce activa, & paſſiva in perpetuum.

20. Subornatus, vel alius, etiam pro quo ſubornatio fiet, qui ſubornantem non detulerit, ſubjaceat eidem pœnæ.

21. Qui ad officium obtinendum quorumvis favorem extra religionem procuraverit, ultra pœnas prædictas, per menſem carceri mancipetur.

22. Officium miniſtri generalis duret octo annos, commiſſarii, & procuratoris generalis, ac provincialis quatuor.

23. Ipſi ſemel officio functi ad idem eligi non poſſint, niſi poſt ſexdecim annos; nec miniſter generalis in commiſſarium, vel procuratorem generales, nec procurator generalis in miniſtrum, vel commiſſarium generales, niſi poſt ſexdecim annos aſſumi queant.

24. Poſſit tamen miniſter provincialis eſſe miniſter in aliena provincia.

25. Capitulum, quod dicitur intermedium, celebrari debeat poſt quatuor annos ab electione generalis.

26. Miniſter generalis habeat ſecum duos diſcretos, unum ex qualibet familia, quorum conſilio uti debeat in gravioribus negotiis.

27. Sint ipſi immediate ſubditi miniſtro generali, & in generali, ac provincialibus capitulis habeant vocem, & præcedant omnes alios tam in loco, quam in voce, præter illos dumtaxat, qui miniſtri generalis munus obierint.

28. Horum diſcretorum quælibet familia ſuum eligat poſt electionem miniſtri generalis, & diffinitorum.

29. Si moriantur, aut occupentur occupatione longa a ſummo pontifice, vel a miniſtro generali legitime priventur, alium, ſeu alios eligat miniſter generalis, præcedente voto provincialium ejuſdem familiæ; eorumque officium cum miniſtro generali exſpiret; tametſi in capitulis generalibus officio diſcretorum functi vocem habere poſſint.

30. Miniſter generalis habeat duos ſecretarios, alterum ſcilicet ex altera familia, quibuſcum negotia cujuſlibet familiæ expediat, eiſque arbitrio ſuo uti poſſit.

31. Lector theologiæ, qui quatuor curſus abſolverit, activa voce, & paſſiva utatur in provinciali capitulo.

32. Miniſter generalis, commiſſarius, provinciales, ac alii viſitatores, domi, foriſque ita parce, & modeſte

in

in expenſis ſe gerant, ut tam conventus relevare, quam proximos ædificare procurent. Qui hoc non ſervaverit, ſi generalis fuerit, a diffinitoribus capituli generalis; reliqui a ſuperioribus condigne puniantur.

33. In recipiendis novitiis fiat inquiſitio de moribus, & vita eorum juxta regulam, & de progenitorum ſuorum defectu.

34. Iis, qui ex Maumedanorum, vel Judæorum genere deſcendunt, poſt ſuſceptum baptiſma, genus non noceat, quominus ad ordinem recipiantur, & in ordine promoveantur ad officia, ac dignitates.

35. Idem ſit de iis, qui deſcendunt ab hæreticis converſis; non vero de illis, qui originem trahunt ab hæreticis damnatis, & non converſis, vel quorum ſtatuæ combuſtæ ſunt, per lineam paternam uſque ad ſecundam generationem, per lineam maternam uſque ad primam tantum.

36. In ſingulis provinciis ordinis duo ad minus ſemper ſint loca recollecta, quæ nullatenus a recollectione ſeparari queant. *Injunctum*. Anno IV.

37. Fratres in eis degentes, etiamſi velint, transferri nequeant ad loca alia non recollecta, niſi de conſilio miniſtri generalis, provincialis, & diſcretorum conventuum ipſius recollectionis.

38. Regulares recurrentes ad S. Officium, ut in eo teſtimonium perhibeant, non poſſint per quinquennium a ſuis ſuperioribus gravari. *Ex decreto S. Officii*. Annu 1567.

ANNO 1572. GREGORIUS XIII.

1. Miniſter generalis, commiſſarius, & procurator generales, & provinciales, in eo capitulo, quo abſolvi debent, non ſint diffinitores, nec vocem habeant, ita ut ad eum actum id coarctetur, donec in officio, quod gerunt, ſucceſſor eligatur. *Conſuevit*. Anno II.

2. Iidem, facta officii renuntiatione, diſcedant; finito autem ſindicatu, juxta ſeriem ſtatutorum ordinis, in diffinitorio recipiantur.

3. Miniſter, & commiſſarius generales habeant facultatem abſolvendi a pœnis contentis num. 19., & 20. in literis Pii V. Pœna autem contra ſubornatum, & eum, pro quo ſubornatio fieret, qui ſubornantem non detuliſſet, omnino tollitur.

4. Officia miniſtri generalis commiſſarii, ac procuratoris generalis, & provincialium, reducantur ad ſeriem, & formam ſtatutorum generalium ordinis, eademque officia exercentes vacent per duplum temporis.

5. Commiſſarius generalis in miniſtrum, ſeu procuratorem generales, & e converſo, etiam immediate poſtquam aliquo ex dictis officiis functi fuerint, vacantiæ tempore non expectato, iterum eligi poſſint.

6. Generalis miniſter non teneatur ſecum habere, vel uti conſilio duorum diſcretorum, ut diſponitur num. 26., & ſequentibus.

7. Circa eos, qui deſcendunt a Judæis, Mahumedanis, & hæreticis damnatis, ſerventur literæ Pauli IV. *Cum ex apoſtolatus*. Anno IV., in quibus præſcribitur, eos aſſumi non poſſe ad officia ordinis.

8. Miniſter, commiſſarius, procurator generales, ac commiſſarius curiæ, dum is actus agitur, in quo ſindicatus ſui rationem reddere tenentur, non admittantur in diffinitorium capituli

li

li generalis, neque in eo vocem habeant. *Consuevit*. Anno VII.

9. Generalis minister, antequam successor eligatur, discedat a diffinitorio, ut, eo absente, libere agere possint contra eum ii, qui ex provinciis accusare eum velint.

10. Actu sindicatus expleto, in omnibus aliis actibus, electionibus, & diffinitoriis adsit, & vocem habeat.

11. Idem de commissario generali servetur respective, sic quod post redditum sindicatus sui rationem, in aliis actibus, & electionibus vocem habeat, in quibus eam habere potest, secundum statuta generalia.

12. Ministri provinciales post redditam sindicatus sui rationem, possint, & debeant admitti, & vocem habere in reliquis actibus, atque electionibus capituli provincialis.

13. Idem observetur de procuratore generali, & commissario curiæ, respectu capituli generalis. Hinc nemo eorum excludatur a capituli diffinitorio, nisi dum de particulari uniuscujusque accusatione, & correctione agitur, ac deliberatur,

14. Illi, qui ministri fuerint, commissarii, aut procuratores generales, vel commissarii curiæ, non possint, nisi post sexdecim a sua ab officiis prædictis absolutione finitos annos, in generales ministros, commissarios, aut procuratores, vel curiæ commissarios eligi.

15. Ministri provinciales per duplum temporis officii ministeriatus, postquam a tali officio fuerint absoluti, in ministros provinciales reeligi non possint.

16. Sit ipso facto privatus voce activa, & passiva, ac inhabilis ad omnia officia ordinis, is, pro quo sæcularis aliquis cujuscumque gradus, aut persona extra ordinem rogaverit, & petierit verbo, literis, vel nuntiis, per se, vel alios, ut aliquod officium in ordine illi detur.

17. Nullum tamen cuiquam præjudicium inferatur, si legitime constiterit, aliquem ex malitia rogatores hujusmodi subrogasse, ut illi, pro quo rogarent, aut scriberent, occasione hujusmodi statuti noceret.

18. Minister generalis habeat auctoritatem absolvendi fratres, & sorores suæ curæ commissos ab omnibus casibus summo pontifici reservatis. *Ex decreto Iulii de Ruvere cardinalis protectoris*. Anno 1573.

19. Item auctoritatem absolvendi ab omni irregularitate, præterquam ab illa, quæ incurritur ex homicidio voluntario.

20. Moniales provectæ ætatis, quæ præ senectutis infirmitate, vel caligantibus ex senio oculis, non possunt satis commode dicere divinum officium secundum novum breviarium, possint illud celebrare secundum formam veteris breviarii, dummodo in choro officium persolvatur secundum novum breviarium.

21. Vineæ intra septa conventuum jam exsistentes, ex quibus vinum singulis annis colligitur, retineri possint, quamvis id non videatur convenire puritati regulæ.

22. Sindicus apostolicus possit vendere fœnum, quod colligitur in pratis conventuum, & convertere pretium in res fratribus necessarias.

23. Confessores monialium tertii ordinis in diebus Nativitatis Domini, Paschatis, & Pentecostes, ac semel in men-

Digitized by Google

mense possint ingredi monasteria, ibique in interiori ecclesia celebrare missas, & Eucharistiam monialibus ministrare.

24. Id sit tantum licitum in illis monasteriis, quæ non habent locum commodum ad recipiendam Eucharistiam, & donec locus aptetur ad id ministerium idoneus, seu fenestella, judicio superioris generalis.

25. Prælati ordinis, & alii religiosorum confessarii possint absque licentia episcopi audire confessiones sæcularium, qui sunt de familia, & continui commensales in eorum conventibus, non vero eorum, qui deserviunt. *Ex decreto S. Congreg. Concilii.* Anno ...

26. Nemo possit appellare a prælatis ordinis ad tribunalia sæcularia, sub pœna excommunicationis, privationis perpetuæ officiorum, vocisque activæ, & passivæ. *Quoniam nostro.* Anno III.

27. Nemo audeat resistere, vel se opponere commissariis missis a ministro generali ad visitandas provincias, aut ab eis ordinata mutare, sub eisdem pœnis.

28 In iis tantum, quæ concernunt inobservantiam regulæ, protector ordinis plenam habeat auctoritatem corrigendi fratres. *Provisionis.* Anno VII.

ANNO 1585. SIXTUS V.

1. Minister, & commissarius generalis observantium possint erigere confraternitates chordigerorum. *Divinæ.* Anno III.

2. Officium ministri generalis reducatur in perpetuum ad sexennium. *Circumspecta.* Anno III.

3. Abbatissæ sint triennales, nullaque ipsis remaneat auctoritas, expleto officio. *Ex communis.* Anno III.

4. Electiones in monasteriis fiant per schedulas obsignatas, quæ non publicentur, & peracto scrutinio publice computantur.

5. Juvenes ad religionem fratrum de observantia transire volentes possint recipi extra capitulum. *Nuper.* Ann. III.

6. Commissarius generalis Indiarum in curia regis catholici habeat vocem activam, & passivam in comitiis generalibus. *Cum ad regendos.* Anno III.

ANNO 1590. GREGORIUS XIV.

1. Commissarii generales in Indiis continuent officium usque ad adventum novorum commissariorum. *Religiosorum.* Anno I.

ANNO 1592. CLEMENS VIII.

1. Fratres minores sint exempti ab observatione interdicti in festis S. Didaci, & Portiunculæ. *Sacræ.* Anno IV.

2. In Indiarum partibus nequeant assumi ad munus provincialatus, & alia officia, nisi filii, aut incorporati in illis provinciis. *His, quæ.* Anno IX.

3. Nemo prorsus accedat concionaturus ad monasteria monialium ordinis, nisi probatus, & missus a superioribus ordinis. *Cum sicut.* Anno IX.

4. Lectores, qui sine interpolatione adventus, & quadragesimæ legerint decennio theologiam, gaudeant in omnibus, & per omnia exemptionibus, & prærogativis exministrorum provincialium. *Ex actis capituli Vallisoletani.* Anno 1593.

5. Qui coram prælato in judicio quidquam falso, & scienter deposuerit, vel ad id faciendum induxerit, aut revocaverit, vel ad revocandum procuraverit id, quod vere depositum fuerat, sit ipso facto excommunicatus nec absolvi possit, nisi a ministro provinciali, satisfactione præmissa, ac præ-

Digitized by Google

præterea per semestre carceri mancipetur, infamisque perpetuo exsistat.

6. Vir ætate gravis, & religione insignis, prudentia clarus, rerum agendarum usu peritus, vitæ innocentia, & moribus castissimis eligatur in guardianum montis Syon in comiitiis generalibus de communi patrum consilio, & consensu.

7. Accedente generali ministro ad conventum aliquem campanæ omnes pulsentur.

8. Privetur actibus legitimis, & subsit pœnæ excommunicationis ipso facto subornator, sive is, qui donis, promissis, minis, obsecrationibus importunis, laudibus, aut vituperationibus falsis aliquem induxerit, vel inducere conatus fuerit, ut in electionibus sibi, vel alteri suffragium ferat, vel non ferat. Item is, qui ad eumdem finem colligationes, & inductiones fecerit.

9. Officium divinum quotidie ter sancte celebretur in ecclesia, & matutinum, si media nocte recitari nequeat, recitetur summo mane. Conventualis missa nunquam prætermittatur.

10. Hora Tertiæ, missa, & vesperæ diebus festis canantur in locis, ubi sex ad minimum sunt fratres canendi periti. Intersint tunc choro lectores.

ANNO 1605. PAULUS V.

1. Ministri fratrum de observantia, una cum diffinitorio in capitulis, & congregationibus, possint familias conventuum augere, & minuere, juxta quantitatem eleemosynarum. *Ex audientia SS.* Anno 1606.

2. Minister generalis de observantia habeat eamdem potestatem ordinariam super reformatis, quam habet super aliis fratribus ordinis. *Postulat.* Anno II.

3. Pariter ministri provinciales, qui reformati erunt, ordinariam habeant potestatem super custodibus, & reformatis.

4. Qui vero ministri erunt de familia præcedant eisdem custodibus, & reformatis, & pro eorum superioribus habeantur, & recognoscantur.

5. Custos, ejusque vocales in capitulo provinciali habeant vocem activam, & passivam; ipseque custos ibi eligatur a vocalibus suæ custodiæ, & una cum discretis familias in sua custodia disponat, quam possit visitare, quoties sibi opportunum videbitur.

6. In casu appellationis, appellatio fiat ad ministrum generalem.

7. Si aliquis, ex legitima causa, puta infirmitate, voluerit transire ad familiam, id concedatur illi in capitulo, aut congregatione provinciali, de consensu custodis, & majoris partis vocalium.

8. Horum consensu fratres de familia possint transire ad reformationem.

9. Liberum sit novitiis, qui in capitulo, vel congregatione recipiuntur, eligere, utrum ad reformationem, vel ad familiam, ad novitiatum agendum, se conferre velint.

10. Circa conventus de familia acceptandos a reformatis, observetur id, quod ordinatum fuerit a ministro generali, & ordinis protectore.

11. Eadem auctoritate, & jurisdictione polleat commissarius generalis familiæ super reformatis, quæ conceditur ministro generali. *Cupientes.* Anno XI.

12. Minister generalis, commissarius generalis familiæ, & commissarius

Digitized by Google

rius generalis nationalis in regno Galliarum, habeant auctoritatem, & jurisdictionem in fratres tertii ordinis, quos possint visitare, corrigere, reformare, & castigare, servata forma decretorum concilii Tridentini. *In supremi*. Anno IV.

13. Iidem fratres tertii ordinis familiæ ultramontanæ præsertim Galli, & Hispani, teneantur gestare habitum humilis panni, distinctique coloris ab habitu fratrum S. Francisci de Paula. *Inter graves*. Anno VI.

14. Superiores tertii ordinis in regno Galliarum, eorumque vocales in unum congregati, jussu ministri generalis, seu commissarii nationalis, ex seipsis unum eligant ministrum provincialem per vota secreta, qui a ministro generali, vel præfato commissario confirmetur, vel ab alio, qui electioni præfuerit. *Alias*. Anno VI.

15. Singulis bienniis, vel trienniis iidem celebrent capitulum provinciale.

16. Ante celebrationem capituli minister provincialis petat a ministro generali, vel commissario generali ultramontanæ familiæ, vel a commissario generali nationis, visitatorem.

17. Si visitator intra duos, vel tres menses ad summum non accesserit, procedi possit ad electionem ministri; de qua electione visitatorem postea accedentem, qui eam confirmare teneatur, certiorem faciant.

18. Si post factam electionem, & dictis superioribus notificatam, electio intra sex menses confirmata non fuerit, vel infirmata foret, censeatur confirmata, auctoritate apostolica.

19. Minister, & commissarius generales de observantia facultatem habeant erigendi, & instituendi confraternitatem chordigerorum utriusque sexus in ecclesiis eorum ordinis tantum, ac in locis, in quibus non exsistunt conventus, vel ecclesiæ minorum conventualium; ac confratribus communicare indulgentias, & gratias spirituales, quæ annexæ sunt eidem confraternitati. *Nuper*. Anno III.

20. Episcopus possit punire fratres, qui vadunt ad alloquendas moniales suæ civitatis, etiam exteros. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1618.

ANNO 1621. GREGORIUS XV.

1. Fratres reformati nequeant obtinere inter observantes aliquam dignitatem, seu officium. *Onerosa*. Anno I.

2. Si aliquis de familia, quacumque de causa, vel privilegio, transierit ad reformatos, nullum officium, vel dignitatem habere possit, nisi per sex annos laudabiliter cum eis vixerit. Nec aliquis transeat, nisi a capitulo, vel congregatione transitum obtinuerit.

3. Qui transitum obtinuerit, faciat annum integrum novitiatus.

4. Procurator reformatorum eligatur a cardinale protectore, qui debeat etiam deputare quatuor visitatores per totam Italiam de triennio in triennium, qui curent observari literas Nicolai III., & Clementis V. concernentes observantiam regularem, & delinquentes corrigant.

5. Ministri provinciales de familia nullam habeant jurisdictionem, potestatem, & superioritatem in reformatos.

6. Reformatis cismontanis detur vicarius generalis per triennium, qui habeat plenam auctoritatem, & jurisdictionem in fratres suos. *Ex injuncto*. Anno I.

7. De-

Digitized by Google

7. Debeat vicarius generalis eligi a reformatis, & petere confirmationem suæ electionis a ministro generali ordinis intra mensem, si minister fuerit in Italia, intra tres, si fuerit extra Italiam.

8. Minister infra tres dies a die petitionis, dictam electionem confirmet, alioquin censeatur confirmatus vicarius, auctoritate apostolica; atque interim vicarius exerceat suum officium a die electionis.

9. Si electio ministri generalis fiat citra montes, vicarius in ea habeat tantum vocem activam.

10. Gaudeat vicarius, expleto triennio, & electo successore, in capitulis celebrandis a reformatis, & aliis functionibus, prærogativis, quibus gaudet minister generalis.

Nota. Alia multa de hac re in præfatis literis continentur, quæ referre est inutile, quum sint abrogata. Alia pariter abrogata videre est in literis ejusdem pontificis: *Alias*. Anno II.

ANNO 1623. URBANUS VIII.

1. Fratres strictioris observantiæ, seu reformati reassumant calepodia, soleasque ubique per totam Italiam deponant, nec eas in posterum recipere debeant. *In supremo*. Anno I.

2. Qui contrafecerit, incurrat in pœnam excommunicationis latæ sententiæ, & privationis vocis activæ, & passivæ. Superiores suspendantur etiam ab officiis; & locorum ordinarii possint eosdem fratres ad id cogere, & compellere.

3. Superiores eorumdem fratrum possint concedere fratribus senio confectis, & infirmis, ut in domibus regularibus deferant soleas cum calcaneo usque ad talos circiter, superiori pedis parte unica tantum fascia usque ad digitos incirca cooperta. *Nuper*. Anno I.

4. Id etiam concedere possint itinerantibus, qui iter saltem unius diei cum calepodiis habere non possunt. Nullo autem modo id concedere possint quæstuantibus.

5. Fratres de observantia in Indiis occidentalibus possint promoveri ad ordines, etiam presbyteratus extra tempora, non servatis interstitiis. *Cum sicut*. Anno II.

6. Nulla instrumenta publica fiant a fratribus capitulariter congregatis, aut alio modo se habentibus, in quibus transferatur dominium, & proprietas alicujus capellæ, sive sepulturæ. *Ex decreto S. Congregationis specialiter a SS. deputatæ*. Anno 1628.

7. Si occasio se obtulerit, in qua oporteat satisfacere devotæ fidelium voluntati, id fiat per modos regulæ congruentes, præmissa protestatione, quod nihil juris fratribus obveniat ex legatis, aliisque bonis; sed tantummodo eleemosynas sponte oblatas ipsi recipiant.

8. Auferatur a fratribus particularibus cujuscumque rei proprietas, & omnia in communi redigantur.

9. Auferantur pecuniæ, quæ insumantur in veras, & communes necessitates conventuum per sindicum apostolicum, sic ut nihil pecuniæ mediate, vel immediate supersit in manibus, & potestate fratrum, etiam superiorum.

10. Auferatur abusus aromatariarum, quæ non retineantur, nisi ad usum conventuum, nec liceat res illarum cuiquam vendere.

11. Trunci, vel cippi non habeantur in sacristiis, vel ecclesiis ad offe-

rentium, seu donantium pecunias; nec capsulæ pro eleemosynis missarum.

12. Fratres de familia possint transire ad reformationem, etiam extra capitulum, & congregationem.

13. A conventibus, in quibus morantur, recedere nequeant, nisi prius habita obedientia a custode, vel alio superiore reformatorum, qui eam denegare nequeat, nisi constiterit, eos id facere, ut pœnas sibi injunctas subterfugiant, vel esse omnino ad reformationem inhabiles.

14. Novitii inter reformatos non recipiantur extra capitulum, vel congregationem.

15. Minister provincialis eligi possit ex familia, vel reformatione. Si eligatur ex reformatione, custos tunc non eligatur. At minister debeat aliquem excustodem, vel discretum custodialem, instuere in suum commissarium, cui suam auctoritatem tribuat ad reformationem visitandam, dum per se id facere non possit, & informationes capiendas.

16. Commissarius, qui recte officio suo functus non fuerit, removeatur ab officio a ministro provinciali, qui alium de novo instituat.

17. Si minister fuerit reformatus, custos mittendus ad comitia generalia eligatur ex fratribus de familia; & viceversa, si minister fuerit de familia, custos sit reformatus, & nominetur a procuratore generali in curia fratrum reformatorum.

18. Jus præcedendi, seu loci honoratioris inter reformatos non competat, nisi ministro, commissario, vicario, & procuratori generalibus, ministris provincialibus, commissariis, & vicariis provincialibus, si fuerint ex reformatis, custodibus reformationum, commissariis, visitatoribus, guardianis, præsidentibus, seu commissariis, & vicariis localibus. *Inter gravissimas*. Anno XII.

19. Isti, expletis eorum officiis, redeant ad locum, & præcedentiam ordinis; exceptis iis, qui officio ministri generalis, seu commissarii generalis cismontanæ familiæ functi sunt, vel fungerentur, qui post superiores actuales immediate locum habeant.

20. Possint ministri provinciales suis subditis ad ordines promovendis literas dimissorias concedere ad diœcesanum illius cœnobii, ubi promovendi ab iis, ad quos spectat, collocati fuerint. *Exponi nobis*. Anno XV.

21. Absente diœcesano, vel ordinationes non habituro, possint promovendis literas hujusmodi concedere ad alium episcopum; dummodo studiose, & de industria concessionem literarum non distulerint in tempus, quo diœcesanus episcopus vel abfuturus, vel nullas esset ordinationes habiturus.

22. In literis dimissoriis ministri exprimant causam absentiæ diœcesani, vel ordinationum ab eo præsente non habendarum, sub pœna privationis officii, dignitatis, & vocis activæ, ac passivæ ipso facto.

23. Ordinandi examinentur ab episcopo illos ordinaturo quoad doctrinam.

24. Nemo sæcularium, absque licentia in scriptis superiorum ordinis de observantia, deferat tunicam oblongam cum, vel sine caputio, & mantello, vel abutatur habitu fratrum tertiariorum S. Francisci, sub pœna carceris, aliisque, arbitrio ordinariorum. *Cum sicut*. Anno XVI.

25. Non

Digitized by Google

25. Non liceat eisdem superioribus licentiam dare, ut aliquis deferat habitum tertiariorum cum caputio, quod tunicæ, seu mantello ipsi sit adjunctum, vel consutum. Qui hujusmodi habitum detulerit privetur habitu, carcere includatur, & ab eisdem ordinariis afficiatur pœnis aliis ad arbitrium.

26. Commissarii generales Indiarum nequeant dispensare in constitutionibus generalibus ordinis, nisi ex potestate sibi attributa a capitulo generali. *Cum sicut*. Anno XIX.

27. Pueri, qui devotionis causa induuntur habitu fratrum minorum, in ingressu septennii habitu exspolientur. *Ex decreto SS. Congreg. de mandato SS.* Anno 1627.

28. In receptione, & professione puellarum in monasteriis ordinis, aliisque festivitatibus, nullæ fiant repræsentationes in cantu fracto, in modum tragœdiarum, musicis instrumentis. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1627.

29. Absque expressa licentia S. Congregationis Episcoporum nemini fratrum liceat accedere ad monasteria monialium, vel sororum, etiam alterius ordinis ad colloquendum, vel tractandum cum eis. *Ex eodem*. Anno 1623.

30. Excipiantur superior monasterii, visitator, confessarius ordinarius, ac extraordinarius suo tempore deputandus; atque etiam prædicatores, qui ad monasteria a suis superioribus mittuntur, dummodo hi cum monialibus, vel personis aliis intra claustra degentibus non loquantur.

31. Si prædicatores id fecerint, sint privati officiis, & voce activa, & passiva, ipso facto.

32. Locorum ordinarii, si expediens eis visum fuerit, licentiam concedere possint per quatuor vices ad summum, quolibet anno, cuicumque fratri, ut moniales alloquatur in primo, & secundo gradu consanguinitatis.

33. Non tamen eam concedant in diebus festis, in adventu, quadragesima, feria sexta, sabbato, & vigiliis.

34. Licentia hujusmodi assignetur, confessario ordinario monasterii, qui penes se eam retineat, sitque licentia pro die, & hora certa, atque in scriptis notanda in libro cancellariæ ordinarii loci eam concedentis.

35. Confessarius licentiatum associet, & præsens sit, & auscultatrices de more assistant.

37. Non solum superiores provinciales, sed etiam locales, quibus cura monasterii monialium incumbit, excipiantur a præfato decreto. *Ex eodem*. Anno 1640.

38. Decedente ministro provinciali, seu ex quavis causa vacante ejus officio, primo anno, fiat electio successoris, aliique superiores, & officiales, qui cum illo fuerant electi, remaneant in officio. *Creditum*. Anno III.

39. Secretarii commissariorum in Indiis, expleto sexennio, sint exdiffinitores suarum provinciarum. *Cum sicut*. Anno XI. Idem conceditur exsecretariis procuratoris, & commissarii curiæ. *Exponi nobis*. Anno XII.

40. Duo fratres germani nequeant interesse in eodem diffinitorio tam in Italia, quam in Hispania. *Exponi nobis*. Anno XII.

Nota. Id comprendit omnes, quotquot in diffinitoriis provinciarum vocem activam habent, sive sint diffinitores

tores actuales electi, vel subrogati, sive custos actualis, sive provincialis, sive diffinitores generales actuales, sive procuratores, aut commissarii curiæ actuales, vel habituales, sive patres ordinis, exceptis tantum prælatis generalibus, & eorum delegatis. Qui autem primus est in possessione, is solum intret in diffinitorium.

41. Nemo jubilationem consequatur, nisi legerit logicam, & philosophiam tribus annis, ac theologiam decem sine intermissione, aut si intermitti contigerit, annis duodecim. *Cum sicut*. Anno XV.

42. Lectio theologiæ in ordine ad jubilationem non introducatur, nisi ubi studia formata viguerint, atque a capitulo, vel congregatione generalibus instituta.

43. Nemo admitti possit ad jubilationem, per superiores etiam generales, absque his conditionibus.

44. Pro uno quoque studio in singulis provinciis duo tantum lectores jubilati admittantur, quorum uno deficiente, alius sufficiatur, qui prius lectionis cursum absolverit.

45. Lectoribus jubilatis de numero cæteris paribus, competat præcedentia supra alios quoscumque patres, qui ex privilegio personali, gratia, & benignitate majorum, fruuntur prærogativis exministrorum provincialium. *Ex sententia data per arbitros*. Anno 1636.

46. Missionariis cujuscumque ordinis a S. Congregatione de Propaganda Fide in provincias orientales destinatis sufficiat, ut ostendant literas patentes suæ missionis guardiano Hierosolymitano, aut ejus vicario, quibus ostensis, sive obtenta, sive non obtenta licentia, possint libere officium suum exsequi. *Ex decreto S. Congreg. de Prop. Fide*. Anno 1626.

47. Guardianus, vicarius, vel ministri, post illis ostensas patentes literas, non impediant missionarios, quominus in locis, ubi non sunt fratres minores de observantia, suum exerceant officium.

48. Nemini liceat præter fratres minores prædictos missiones facere in locis guardiano Hierosolymitano subjectis, nempe in civitatibus Hierusalem, Bethlem, Nazareth, & Syriæ, Ægypti, ac Palæstinæ locis, in quibus fratres ipsi habent conventus formatos cum numero fratrum a pontificiis constitutionibus præscripto. *Ex eodem*. Anno 1627.

49. Capuccini nequeant ecclesias, conventus, aut capellas, quæ tam in Syria, Ægypto, Palæstina, quam in aliis orientis partibus ad eosdem fratres minores pertinent, quovis prætextu, vel causa occupare, aut in eas se introducere, sine expressa eorumdem fratrum minorum licentia, & consensu. *Ex eodem*. Anno 1628.

50. Nequeant, absque licentia minorum de observantia, administrare sacramenta parochialia in locis, in quibus a guardiano Hierosolymitano prædicti minores ad functiones parochiales fuerint deputati.

51. Nullum præjudicium inferatur consulibus Galliæ, quominus pro functionibus ecclesiasticis in propriarum domorum capellis utantur opera missionariorum capuccinorum; dummodo sacramenta parochialia a minoribus de observantia, utpote veris parochis, si ibi fuerint, recipiant; quod si ibi non fuerint, eadem sacramenta etiam a capuccinis recipere possint. *Ex eodem*. Anno 1628.

52.

Digitized by Google

52. Guardianus Hierosolymitanus faveat missionibus, & missionariis, quos S. Congregatio miserit in Palæstinam, Syriam, Montem Libanum, Ægyptum, & vicina regna.

53. Jubent fratribus suis, qui in eisdem locis manserint, ut recognoscant literas patentes, quas S. Congregatio dederit missionariis, eosque hospitio recipiant, benigne, & perhumaniter tractent, & subsidia etiam, quæ poterunt, illis præstent.

54. In civitatibus Hierusalem, Bethlem, & Nazareth, missionarii capuccini, & aliorum ordinum, non faciant missiones, neque inibi commorentur, nisi devotionis causa, & per transitum, recepti apud minores de observantia. In aliis autem locis guardianus, & fratres sinant, ut ipsi permaneant, sed sine auctoritate administrandi sacramenta parochialia in locis guardiano subjectis, absque licentia ipsius, aut fratrum, qui a guardiano deputantur ad hoc ministerium; quamvis in literis exprimatur, quod missionarii auctoritatem habeant administrandi sacramenta.

55. Idem guardianus invigilet, notetque diligenter actiones missionariorum, & certiorem reddat S. Congregationem de eorum progressu, et defectibus in doctrina, & moribus.

56. Si quæstio aliqua insurgat inter fratres suos, & missionarios, quam prudenter dirimere nequeat, recurrat ad S. Congregationem, ac prius se dulo exquirat rei veritatem a personis nulli partium studio addictis.

57. Guardianus, singulis sex mensibus, aut quum opportuna occasio se obtulerit, certiorem reddat S. Congregationem de successibus notabilibus fratrum suorum, & missionariorum, in materiis ad religionem spectantibus.

58. Curet, ut aliqui ex suis fratribus discant linguas Arabicam, Turcicam, & Armenam, & deputet fratres ætate maturos, qui linguam Latinam juvenes locorum, in quibus manebunt, doceant.

59. Liceat missionariis capuccinis, etiam petita, & non obtenta licentia a guardiano Hierosolymitano, vel ejus vicario, omnia sacramenta, præter confirmationem, & ordinem, quibuscumque fidelibus loca prædicta incolentibus, qui illa ab eis recipere voluerint, ministrare. *Ex eodem*. Anno 1630.

60. Item eis liceat, uti facultatibus concessis, & concedendis in eorumdem fidelium profectum, & utilitatem spiritualem.

61. Item verbum prædicare in domibus, ecclesiis, & oratoriis propriis, &, de rectorum licentia, in alienis, fidelibus, & infidelibus, hæreticis, & schismaticis, in eisdem locis degentibus, aliaque omnia pro salute animarum facere, quæ ad missionarii munus, & fidei propagationem pertinent.

62. Item liceat ipsis, petita, quamvis non obtenta licentia a guardiano, & vicario prædictis, omnibus fidelibus sacramenta parochialia administrare; hoc est communionem in Paschate, matrimoniis celebrandis assistere, extremam unctionem, & viaticum infirmis præbere, in locis omnibus, in quibus non erunt minores de observantia ad curam animarum a prædicto guardiano deputati.

63. Si post præsentium decretorum publicationem guardianus ad loca, in

in quibus capuccini interim hospitia receperint, fratres suos ad curam animarum deputare voluerit, eo in casu liceat capuccinis per annum integrum sacramenta, etiam parochialia, administrare, petita, & non obtenta, ut supra licentia, ea tamen conditione, ut capuccini de adventu fratrum de observantia ad loca illa moneant S. Congregationem, quæ decernet, apud quos, elapso anno, jus esse debeat administrandi sacramenta parochialia.

64. Guardianus missionariis eisdem petentibus licentiam præbendi viaticum infirmis, qui illud ab eis recipere voluerint, eam concedat; alioquin, etiam licentia non obtenta, id eisdem missionariis intelligatur concessum.

65. Missionarii, qui viaticum contulerint, schedulam collati infirmo viatici quamprimum fratribus ad curam animarum destinatis, in utroque concessæ, vel non concessæ licentiæ casu, tradere teneantur.

66. Literæ patentes missionariorum tunc censeantur legitimæ, & legales, quum illæ per testimoniales literas a superioribus missionum fuerint approbatæ.

67. Guardianus Hierosolymitanus nullam habeat auctoritatem, potestatem, aut jurisdictionem in missionarios, sed officium ejus sit, de iis, quæ circa vitam, mores, & progressus missionariorum noverit extrajudicialiter a personis fide dignis, certiorem facere S. Congregationem.

68. Vigeat decretum editum in favorem consulum Gallorum, ut scilicet, si voluerint, possint, (parochialibus sacramentis exceptis, cum declaratione, de qua supra, quoad viaticum), in suis capellaniis uti opera missionariorum, non obstante, quod in illis locis exsistant minores de observantia.

69. Fratres de observantia, & missionarii, alter alterum, mediate, vel immediate, per se, vel alios, præcipue infideles, hæreticos, vel schismaticos, quovis prætextu, non impediant, aut molestias inferat, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, aliisque, arbitrio S. Congregationis.

70. Missionarii cappuccini, quum primum ad loca suarum missionum pervenerint, semel tantum teneantur petere licentiam a guardiano Hierosolymitano, aut ejus vicariis, & postea, sive illa obtenta, sive non obtenta, possint munia sua exercere.

71. Petitio hujusmodi licentiæ fiat coram testibus, ut de ea legitime constare possit. *Ex eodem*. Anno 1630.

72. Missionarii præfati præsentent superioribus suarum missionum literas patentes ex Europa allatas; ipsique superiores cum literis suis testimonialibus easdem patentes, coram duobus testibus, præsentent guardiano Hierosolymitano, vel ejus vicariis; aut, si absentes fuerint, curent, ut ab aliquo, coram duobus testibus, eisdem guardiano, vel vicariis præsententur. *Ex eodem*. Anno 1630.

73. Idem missionarii capuccini in locis, ubi non fuerint minores de observantia, nequeant eorumdem literas patentes recognoscere.

74. Neque missionarii capuccini, nec minores de observantia possint esse vicarii prælatorum, seu patriarchæ Maronitarum officium suscipere, si id importet jurisdictionem, non autem si solam protectionem dicat.

75. Con-

Digitized by Google

75. Commissarii Terræ Sanctæ in regnis Neapolis, & Siciliæ habeant duos socios ordinarios, & duos alios extraordinarios; qui omnes tamen sint omnimode subjecti, quoad disciplinam, & mores, superioribus localibus, & quando non sunt in servitio commissariorum, possint superiores locales uti eorum opera; ita tamen, ut commissarii, quum opus eis fuerit, illos ad suum servitium vocare valeant. *Ex eodem*. Anno 1636.

76. Commissarius generalis Terræ Sanctæ omnino Romæ retineatur, quo cedente, aut quomodolibet deficiente, alius instituatur, cum participatione S. Congregationis de Propaganda Fide. *Ex eodem*. Anno 1637.

77. Commissarius prædictus habeat unum socium, & resideat ubi eadem S. Congregatio præceperit, nec inde discedere possit, nisi cum participatione S. Congregationis.

78. Gaudeat omnibus privilegiis, gratiis, prærogativis, & immunitatibus, quibus gaudent cæteri Terræ Sanctæ commissarii.

79. Ejus munus sit I. Præesse commissariis particularibus in diversis christianitatis locis constitutis. II. Eorum negotia tractare cum quibus opus fuerit, & præsertim in curia Romana, cum eadem S. Congregatione, ac generalibus superioribus ordinis. III. Rationes dati, & accepti ab eis exigere, & eidem S. Congregationi, & superioribus communicare. IV. Omnia, & singula ad Terram Sanctam, conventum Hierosolymitanum, ejusque familiam, & fratres spectantia gerere, & expedire.

80. Commissarii Terræ Sanctæ non teneantur ad petendam benedictionem a superiore locali, dum a conventu egrediuntur, nisi prima tantum vice. *Ex eodem*. Anno 1637.

81. In casu defectus fidelis sindici, missionum præfecti possint habere usum pecuniæ, eorumque etiam socii, cum dispensatione præfectorum; atque id quando urgeat necessitas, seclusis fraude, ac dolo. *Ex eodem*. Anno 1638.

82. Guardianus Hierosolymitanus nequeat uti privilegio Calixti III., per quod ad ipsum pertinet, literas patentes, seu obedientiales, fratribus sui ordinis in Terram Sanctam proficisci volentibus concedere. *Ex eodem*. Anno 1641.

83. Provinciæ reformatorum retineant proprium nomen, addito solummodo, quod sunt reformatæ, & locum, ac præcedentiam habeant, juxta consuetudinem ordinis, post provincias jam erectas, ita ut eo loco permaneant, quo erant, dum custodiæ nominabantur. *Injuncti*. Anno XVI.

84. Habeant hæ provinciæ procuratorem generalem eligendum per protectorem ordinis, qui procurator in capitulis, congregationibus, ac diffinitoriis generalibus, sedeat immediate post procuratorem, & commissarium generalem curiæ de familia, & in eis votum, seu suffragium habeat, quemadmodum habeat procurator, & commissarius generalis curiæ.

85. Expleto officio, remaneat pater ordinis perpetuus, cum omnibus privilegiis, exemptionibus, & præcedentia, quæ conceduntur procuratori generali, & commissario curiæ observantium.

86. Quando minister generalis erit

Digitized by Google

ex ultramontana familia, commissarius generalis eligatur ex familia cismontana; & idem servetur in electione vicarii generalis, quando minister generalis ex cismontana familia discessurus est ultra montes.

87. Diffinitores generales eligantur ex diversis provinciis, quorum tamen quatuor ex familia, & duo ex reformatis esse debeant.

88. Fratres reformati, & eorum conventus, non nisi per patres provinciæ reformatæ visitari possint. Gubernari vero debeant cum solis statutis reformatorum, quæ nec a capitulo, nec a ministro generali, possint alterari, seu immutari; ipsique reformati ad peculiaria illius mandata, quæ diffinitorum provinciæ judicio, dictorum reformatorum reformationi, & observantiæ non fuerint congruentia, non teneantur.

89. Quoad visitatores, & negotia reformatorum, non possint deputari fratres de familia, sed solum ipsimet reformati.

90. Transitus ab observantia ad reformationem concedatur, prout hactenus observantes habuere; ita ut provinciæ reformatæ inserviant pro reformatione observantium, sublata eisdem observantibus in perpetuum novam reformationem erigendi, seu instituendi facultate.

91. Reformati possint etiam transire ad observantes ex causis in constitutione Pauli V. expressis. Et sic transeuntes nequeant ab observantibus rejici.

92. Libri omnes impressi, & qui inconsulta S. Congregatione imprimentur, tractantes de vera, & non interrupta successione filiorum S. Francisci, & de vera forma caputii ejusdem, sint prohibiti, sub pœnis in indice contentis. *Ex decreto S. Congreg. Indicis*. Anno 1638.

93. Nullus in guardianum, diffinitorem, aut magistrum novitiorum in conventibus recollectorum familiæ ultramontanæ assumi queat, quin prius habitum per eosdem recollectos gestari solitum susceperit, & inter eos per sexennium ad minus vixerit, juxta illorum constitutiones. *Cum sicut*. Anno XIV.

94. Nemo ex fratribus de observantia ad eosdem recollectos transire possit, absque majoris partis ejus conventus assensu, ad quem transire voluerit; atque illi, qui ultra tres vices transitum fecerint, inter recollectos amplius admitti non possint.

95. Si diffinitor, & quatuor guardiani recollectorum institerint apud ministrum provincialem de observantia pro amotione alicujus fratris ex recollectis, & transmissione ad fratres de observantia, minister provincialis teneatur eorum votis absque mora satisfacere. *Cum sicut*. Anno XV.

96. Fratres discalceatis sive soli per se, & sub propria cruce, sive sub cruce, & cum familia de observantia incedant, & sive discalceati, reformati, aut alio quovis nomine nuncupentur, dummodo sint vere reformati ordinis S. Francisci, præcedant in partibus Hispaniæ, & Indiarum in omnibus actibus publicis, processionibus, & functionibus, supra alios regulares. *Ex incumdentis*. Anno VII. *Alias*. Anno XX. *Cum sicut*. Anno XXI.

97. Discalceati Hispaniarum, & Indiarum non possint assumere titulum lectoris jubilati. *Religiosos*. Anno XIII.

98. Nemo

Digitized by Google

98. Nemo eorum, qui miniſter provincialis non fuerit, gaudeat titulo, & exemptione patris, etiam ſi fuerit vicarius provincialis.

99. Diſcalceati provinciæ S. Joannis Baptiſtæ Valentiæ poſſint quoſcumque eorum ordinem ingredi, & profiteri volentes, dummodo in quolibet conventu tam fratres profeſſi, quam novitii numerum trigeſimum non excedant, ad habitum, & profeſſionem recipere, & cum aliis religioſis profeſſis incorporare. *Cum ea*. Anno XVI.

100. Non teneantur ad obſervanda ſtatuta generalia a capitulis, vel congregationibus ordinis facta, vel facienda, nec ad ſpecialia ſuperiorum generalium mandata, quæ miniſtri provincialis, cuſtodis, & diffinitorum judicio, fuerint diſſentanea eorumdem diſcalceatorum reformationi, aut commodo.

101. Superiores generales nequeant impedire, immutare, aut dilatare ea, quæ in congregationibus diffinitorialibus miniſter provincialis cum diffinitorio fecerit, circa electiones guardianorum, cauſas civiles, & criminales, cæteraque negotia ad provinciam ſpectantia, dummodo facta ſint juxta formam ſacrorum canonum, regularium ſtatutorum, & conſtitutionum provincialium.

102. Poſſit miniſter cum diffinitorio eaſdem congregationes libere celebrare quando, & ubi commodius ſibi viſum fuerit.

103. Conventus, & fratres non viſitentur, niſi per viſitatores alterius provinciæ diſcalceatorum deputandos a ſuperiore generali.

104. Viſitatores provinciam non ingrediantur, nec in ea aliquam juriſdictionem exerceant, niſi poſt duos annos, & ſeptem menſes provincialatus cujuſlibet miniſtri provincialis tranſactos.

105. Nequeant viſitatores, ſine conſenſu majoris partis diffinitorii, diſpenſare in ſtatutis provinciæ, quamvis id a ſuperioribus generalibus, vel aliis, fuerit illis conceſſum.

106. Poſt incœptam viſitationem nulli guardiani, aut vicarii poſſint, ante celebrationem capituli, removeri ab officio, vel privari voce activa, & paſſiva; ſed ſi puniendi ſint, puniantur aliis pœnis.

107. Si capitulum provinciale, & plenum diffinitorium non conſentiant, nequeant fratres per quoſcumque ſuperiores mitti ad Indiarum provincias, vel alias partes.

108. Superiorum nemini liceat, fratribus ipſis licentiam concedere, ut in domibus ſæcularibus, ſeu extra clauſtra habitent, niſi ex graviſſima cauſa approbanda a ſede apoſtolica.

109. Poſſint iidem fratres intra ſepta domus regularis ſuæ libros a bibliothecis, de licentia prælati, abſtractos habere, & illis uti, dummodo, poſtquam illis uſi fuerint, eiſdem bibliothecis eos reſtituant.

110. Poſſint recipere, & fundare conventus, ſervata canonum forma, & decretorum concilii Tridentini, in Hiſpaniæ partibus, de ſola loci ordinarii licentia.

111. Nemo, etiam ſuperior generalis, eoſdem fratres in præmiſſis moleſtet, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & privationis officiorum, ac dignitatum, ipſo facto. *Eadem conceſſa ſunt ab eodem pontifice aliis fratrum diſcalceatorum provinciis tum in*

Digitized by Google

Hispania, *tum in Indiis*. *Alias*. Anno XXI., *& ab Alexandro VII. Exponi nobis*. Anno II.

112. Minores observantes, de licentia superioris generalis, possint eleemosynas, quæ pro concionibus sibi obvenerint, erogare in necessitates matris, & sororum pauperum, dummodo eleemosynæ deponantur in manibus sindici conventus, ubi ipsi sunt de familia, et residuum in communes conventus ipsius necessitates erogetur. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1634.

113. Fratribus eisdem prorogetur tempus legendi decreta de celebratione missarum ad octo dies, a die præscripto in decreto, in eventu, quod ea non legerint. *Ex eodem*. Anno 1637.

114. Qui a familia ad reformationem transierit habeat unum annum ad deliberandum a die suæ receptionis, quo expleto, superior reformatorum, custos videlicet, aut provincialis, se transferat ad conventum, in quo dictus frater de familia commoratur, ibique simplicem informationem a guardiano, vel alio superiore locali, discretis conventus, vel aliquo patre principaliori, aut antiquiori fideliter capiat de vita, & moribus ipsius. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1628.

115. Si per informationem cognoverit, eum bene vixisse, & statui, ac professioni reformatorum se accommodasse, ipsum ad reformationem incorporatum declaret, & incorporationem notet in libro custodiæ.

116. Si id per se personaliter facere nequeat, alium substituat, qui idipsum exsequatur, dummodo non sit de familia illius conventus, in quo frater incorporandus reperitur.

117. In transitu fratris reformati ad familiam non requiratur annus deliberationis. At expleto primo anno, si tentet redire ad reformationem, id facere debeat in capitulo, aut congregatione provinciali, & exponere se ad annum deliberationis. *Ex eodem*. Anno 1642.

118. Secretarii generalis ministri nequeant eligi in ministrum, seu commissarium generalem, aut vicarium ordinis, nisi transacto sexennio ob officii expletione. *Prospero*. Anno XVI.

119. Sub excommunicationis pœna ipso facto prælati ordinis non promoveant aliquem ad dignitates, & officia, ad instantiam personarum extra ordinem, etiam cardinalium, & regum. *Admonemur*. Anno XVI.

120. In eamdem pœnam incurrant ii, qui personarum hujusmodi favorem quæsiverint, aut ab eis procuratas, ac oblatas dignitates, & officia receperint.

121. In singulis provinciis ultramontanis assistant semper in diffinitorio pater antiquior, seu dignior, & pater exprovincialis immediatus. *Onerosa*. Anno XVI.

122. Liceat ministris provinciarum Indiarum mittere ad capitulum generale suos commissarios, qui, si in itinere decedant, nemini ab eisdem ministris suffragium committatur. *Circumspecta*. Anno XVII.

123. Procuratores, commissarii curiæ, diffinitores tam generales, quam provinciales, ministri provinciarum, & custodes officio functi in familia cismontana habeant solam præcedentiam, & socium, omni alio jure penitus obrogato circa dispositionem conventuum, collocationem fratrum, aliaque hu-

Digitized by Google

hujusmodi. *Militantis*. Anno XVII.

124. Eleemosynæ pro concionibus non recipiantur a prædicatoribus ab offerentium manibus, nec quidquam de eis disponatur; bene vero integræ tradantur ministro provinciæ, sub pœna proprietatis, privationis officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad illa.

125. Nemo, etiam in necessitate positus, equitet, absque licentia sui ministri, vel in casu urgenti superioris localis in scriptis obtenta, de consilio trium discretorum conventus, sub eisdem pœnis.

126. Patres ordinis, & provinciarum legitime non impediti intersint choro, & faciant hebdomadam, vitamque in omnibus communem sequantur.

127. Commissarii generales Indiarum nequeant dispensare super constitutiones generales, nisi facultate a capitulo generali impetrata. *Cum sicut*. Anno XIX.

128. Fratres familiæ ultramontanæ, dum in cismontana commorantur, sint sub obedientia, & directione commissarii generalis pro tempore. *Inter multiplices*. Anno XIX.

129. In singulis provinciis Italiæ reformatorum erigantur unum, vel duo professoria, in quibus fratres clerici post emissam professionem collocentur per unum annum sub magistro, qui eos instruant in vita spirituali. *Militantis*. Anno XIX.

130 In his professoriis clerici nullam scientiam edoceri possint, excepta grammatica, & logica, si in eis rudes fuerint.

131. In singulis reformatorum conventibus fiat lectio theologiæ mysticæ, & regulæ, semel saltem in hebdomada, ad quam accedant omnes, etiam laici. Et in duobus, vel tribus conventibus habeatur lectio theologiæ moralis bis in hebdomada, coram sacerdotibus, & clericis.

132. Fratres reformati non recipiant legata perpetua cum, vel sine onere, quocumque prætextu, eorumque procuratores careant facultate cogendi hæredes judicialiter ad legata præstanda.

133. Prædicti fratres accedere teneantur tantum ad processionem Corporis Christi. Defunctorum vero corpora, exceptis iis, quæ in eorum ecclesiis sepeliuntur, ad sepulturam non comitentur.

134. Altarium ornamentis aurum, vel inauratio non adhibeatur, imaginumque, seu picturarum coronides ex nuce, seu alio ejusdem coloris ligno fiant, nec candelabra ænea recipiantur, ant emantur, sed tantummodo lignea de nuce.

135. Novitii in provinciis reformatorum recipi possint infra annum cum interventu ministri, duorum diffinitorum, & duorum guardianorum.

136. Exceptis illis, qui indiguerint in infirmaria, nemo ex reformatis deferat patientias lineas, etiam in itinere. Patientias ex panno laneo illi deferre possint, qui eis loco tunicæ uti voluerint.

137. Electiones ministrorum provincialium, custodum, guardianorum fiant per suffragia secreta, & ballottationes, & in paritate votorum præsidens habeat votum decisivum *Religiosos*. Anno XX.

138. Fratribus de familia non concedatur transitus ad reformatos, nisi in capitulis, seu congregationibus provincialibus, de utriusque ministri pro-

vin-

Digitized by Google

vincialis,vel miniſtri generalis licentia.

139. Exminiſter, & excommiſſarius generales uni tantum ſuperiori actuali ſubſint. *Alias*. Anno XX.

140. Commiſſarii provinciales Indiarum ad capitulum generale gaudeant honore, & præcedentia exdiffinitorum, immediate poſt ſuos cuſtodes. *Alias*. XIX.

141. In provinciis diſcalceatorum Hiſpaniæ, & Indiarum non admittantur duo provinciæ patres, antiquior, & immediatus, ſicut fieri ſolet in provinciis obſervantium. *Alias*. Anno XX.

142. In provinciis reformatorum non recipiantur ad ordinem ſæculares ultramontani, aut ultramarini, excepta provincia Romana, quæ eis indiguerit. *Alias*. Anno XX.

143. Non recipiantur religioſi alterius ordinis, niſi afferant teſtimonium ſuorum ſuperiorum de vita, & moribus, receptique peragant annum probationis. Quod etiam capuccini peragant, ſi recipiendi ſint, auctoritate apoſtolica, ſine qua nec ipſis ad reformatos, nec reformatis ad ipſos tranſitus pateat.

144. Receptio fiat a miniſtro, & diffinitorio in capitulis, aut congregationibus, vel a miniſtro, & duobus diffinitoribus, totidemque guardianis, ſi duo diffinitores præſentes non fuerint. Secus miniſter, & diffinitores priventur officiis, & graviter puniantur.

145. Novitii ſtatim ac habitum ſuſceperint, faciant confeſſionem generalem, & educentur in conventibus determinatis, extra quos licitum eis non ſit, longius immorari.

146. Magiſter novitiorum eligatur in capitulis, aut congregationibus. Quod ſi vacet ejus officium, alius eligatur a miniſtro de conſenſu diffinitorii, & per ſexennium privetur voce activa, & paſſiva is, qui, abſque cauſa a diffinitorio approbanda, officium renuerit.

147. Magiſter, qui non eſt guardianus, nequeat pœnitentiam publicam imponere novitio in communi menſa, præſente guardiano; ſed ejus defectus referat guardiano, qui per ſe pœnitentiam imponat, vel eam imponendam committat eidem magiſtro.

148. Inſtruat novitios clericos, & laicos verbo, atque exemplo, eoſque doceat doctrinam chriſtianam, præcepta regulæ, modum recitandi divinum officium, pietatis opera, & orationem. Jubeat, ut bis ſaltem in hebdomada confiteantur peccata ſua, nec per totum novitiatus annum ſtudiis ſcholaſticis operam navent.

149. Abſque aſſiſtentia magiſtri, guardiani, vel alterius ab illis deputati, cum nemine etiam religioſo novitii colloquantur, neque domum egrediantur ſine ſocio, quem ſuperior eis aſſignaverit, gravi, atque exemplari, cui obediant.

150. Non intrent in cellas aliorum novitiorum, aut profeſſorum, exceptis cellis guardiani, & magiſtri, quæ a parte anteriori libere aperiri poſſint. Contrafacientes prima, & ſecunda vice comedant genuflexi panem, & aquam, & faciant diſciplinam. Tertia vice expellantur ab ordine.

151. Præter guardianum, & magiſtrum, nemo intret in cellas novitiorum. Si quis ſecus fecerit, prima, & ſecunda vice ſubſit præfatæ pœnitentiæ. Tertia vice mittatur a guardiano ad miniſtrum, qui eum collocet in alio con-

Digitized by Google

conventu privatum voce activa, & passiva per triennium, aut, si ei hæc pœna non competat, multatum caputio probationis per unum mensem.

152. Petiæ, quæ pendent a caputio novitiorum, sint longitudinis unius palmi.

153. Si novitius moratus fuerit circiter sex menses in conventu novitiatus, & infirmitatis causa, vel alia urgente, alio transferri debeat, exquirantur vota fratrum, qui si ei majori ex parte non suffragentur, omnino expellatur.

154. Tertiarii inservientes in conventibus nequeant recipi ad ordinem, nisi agatur de persona aliqua excellenti, a qua utilitas, & honor religionis sperari possit.

155. Transitus fratrum familiæ ad reformatos non fiat, nisi in capitulis, aut congregationibus, cum obedientia ministri provincialis reformati; petita tamen, licet non obtenta, licentia ministri observantis ab illo, qui transire voluerit; neque aliquis recipiatur, nisi in propria provincia.

156. Anno, quo hujusmodi fratres transeuntes probantur, donec deliberetur an sint retinendi, non habeant votum in electionibus, publicisque actionibus, nec audiant confessiones fratrum, aut sæcularium. Interim res ad eos spectantes conserventur apud sindicum, si sint superfluæ, iisque discendentibus, reddantur ministro observantiæ; remanentibus, vertantur in usum reformatorum.

157. Nemo eorum recipiatur, qui rem aliquam retinuerit apud sæculares, receptusque expellatur. Nemo etiam, qui reformationi utilis futurus non fuerit, aut ad eam venerit pœnas declinandi gratia.

158. Qui sæpius transierit a reformatis ad observantes, non amplius recipiatur inter reformatos; nisi aliud judicaverit capitulum provinciale.

159. Clerici, & laici emissa professione per unum annum morentur in professoriis; duobus annis sequentibus teneant eumdem vitæ rigorem, quem tenebant antea; sub pœna inhabilitatis per quinquennium ad idem officium guardiano, qui contrafecerit.

160. Clerici, antequam ad presbyteratum ascedant, quolibet mane dicant culpam, & singulis sextis feriis faciant disciplinam in refectorio, in eisdemque exercitiis versentur etiam longiori tempore juxta consuetudinem.

161. Idem faciant laici per quiquennium integrum post emissam professionem; qua in re tollatur omnino abusus contrarius, sub pœna suspensionis ab officio guardianis infligenda, provincialis arbitrio.

162. Nec clerici, nec laici hujusmodi alloquantur sæculares, præsertim mulieres, sine licentia, & assistentia guardiani, vel alterius patris gravioris. Subditi contrafacientes qualibet vice comedant genuflexi in pane, & aqua; guardianus puniatur a ministro.

163. Sub eadem pœna non scribant, neque recipiant epistolas, absque licentia superiorum.

164. Clerici studeant literis in suis provinciis, extra quas eos nemo ex superioribus mittere queat ad studendum.

165. Nemini clericorum concedatur licentia suscipiendi ordines, absque testimonio in scriptis guardiani, & discretorum conventus de ejus moribus, & examinatorum provinciæ de doctrina.

166. Nemo ascendat ad subdiaconatum,

Digitized by Google

natum, nisi post triennium a professione, aut ad presbyteratum, nisi post sexennium completum. Minister, qui secus fecerit, suspendatur officio ad arbitrium superioris.

167. Si cum aliquo dispensandum sit circa sexennium, apponatur in dispensatione hæc clausula: *Dummodo per tempus dispensatum ab eis, ad quos spectat, in exercitiis a clericis præstari solitis detinearis*. Superiores locales in hoc negligentes eidem pœnæ subjaceant.

168. Laici transeuntes ad statum clericalem cum licentia capituli generalis habeant præcedentiam a die transitus.

169. Laici in cellis non retineant alium librum, præter regulam, & librum aliquem spiritualem, absque expressa licentia ministri provincialis.

170. Qui sine licentia tacita, vel expressa prælati sui egressus fuerit a conventu, & per unum diem naturalem extra illum manserit, carcere includatur per tres dies, & careat voce activa, ac passiva per triennium.

171. Qui egressus fuerit sine licentia ejusdem prælati, eodemque die redierit, carcere includatur per unum diem, & careat voto per annum.

172. Qui egressus fuerit cum licentia, & pernoctaverit extra conventum, etiam si manserit in aliquo conventu ordinis, carcere includatur per duos dies, & careat voto per biennium.

173. Si alicui non competat privatio voti, is deferat per unum mensem caputium probationis.

174. Qui sine licentia manserit octo dies extra conventum, carcere includatur per tres menses, quibus jejunet in pane, & aqua in refectorio diebus tribus in hebdomada, sextisque feriis faciat disciplinam, & careat voto per sexennium.

175. Si idem denuo admiserit, privetur in perpetuum voce activa, & passiva, maneat in carcere per annum, deferat caputium probationis per tres menses, omni sexta feria faciat disciplinam in refectorio, teneat ultimum locum, lavet scutellas, & non exeat a conventu, nisi causa processionum, vel publicæ utilitatis. Tertio recidivus mittatur ad triremes, arbitrio diffinitorii.

176. Qui relicto habitu, non redierit spatio duorum mensium, aut, retento habitu, non redierit post duos menses, prima vice includatur carcere per tres menses, deferat caputium probationis per triennium, quo omni sexta feria jejunet in pane, & aqua in refectorio sine caputio, privetur voto per biennium, teneat ultimum locum. Secunda vice, pœnæ duplicentur, gravioresque reddantur, arbitrio diffinitorii. Tertia vice, expellatur ab ordine, vel damnetur ad triremes per decennium.

177. Si is fuerit in sacris, & supravixerit, sit perpetuo suspensus. Quod si ei privatio voti non competat, in apostasia gravi dicat culpam, novitii more, per duos annos, in gravissima per quatuor, & faciat disciplinam singulis sextis feriis per idem tempus.

178. Qui, sine licentia, manserit extra conventum per tres dies, etiam sub prætextu eundi ad superiores, prima vice, carcere includatur per tres dies, privetur voto per triennium, & jejunet in pane, & aqua in refectorio, quamdiu manserit in carcere. Secunda vice, pœnæ duplicentur, deferat caputium

caputium

Digitized by Google

putium probationis per tres menses, & teneat ultimum locum. Tertia, & quarta, subjaceat pœnis apostasiæ gravioris, ac gravissimæ, &, si ei privationis voti pœna non competat, dicat culpam more novitii per unum annum, aut ultra, juxta rationem apostasiæ.

179. Literæ obedientiales ministri provincialis, ante discessum, ostendantur superiori locali; generalis vero ministro provinciali, qui si longius absit, & judicio superioris localis discedendi causa urgeat, scribatur ad ministrum ipsum, & ad calcem literarum notet superior localis discessus diem. Reditus quoque sui certiorem reddat ministrum. Qui secus fecerit, sit apostata. Provincialis etiam, qui dolose distulerit responsum, puniatur arbitrio generalis.

180. Nomina eorum, qui aufugerint a provinciis, deferantur statim a ministris provincialibus ad procuratorem generalem. Nemo autem alienarum provinciarum apostatas in sua provincia retineat, sed absolutos remittat eos ad propriam provinciam cum literis testimonialibus, sub pœna privationis officii.

181. Apostatæ redeuntes absolvantur solemniter in communitate fratrum, faciant disciplinam, comedant in pane, & aqua in refectorio, & gravius quoque puniantur, arbitrio superioris. Si quis præfatas pœnas subire noluerit, compellatur, invocato etiam auxilio brachii sæcularis.

182. Licentia superioris generalis eundi extra provinciam nulla sit, nisi exsequutioni demandetur infra duos menses.

183. Nemo incorporari possit, nisi in provincia patriæ suæ, de consensu utriusque ministri, & nisi in provincia, in qua incorporari petit, manserit ad minus per biennium, salva auctoritate prælati generalis.

184. Fratres incorporati habeant præcedentiam a die incorporationis. Capitulum tamen provinciale dispensare possit cum aliquo gravi patre, si id expediens judicaverit.

185. Nemo, qui commiserit apostasiam, promoveatur ad officia ordinis, nisi laudabiliter vixerit per decennium. At provinciale capitulum dispensare possit post quinquennium, si agatur de aliquo patre spectabili.

186. Privetur officio superior localis, ad arbitrium ministri, qui fratrem advenam receperit in conventu, sine inspectione literarum obedientialium, exceptis patribus gravibus, & bene cognitis, de quibus nulla oboriatur suspicio.

187. Materià pannorum sit vilis, & humilis, sintque ipsi *cordellati*, nec quisquam aliis pannis utatur, quam iis, quos proprius minister approbaverit, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ per sexennium. Minister etiam, qui contrafecerit, privetur officio.

188. In provinciis instituantur lanificia a ministris, qui si subsidiis indiguerint, capitulum provinciale jubeat, ut singuli conventus solvant suam rationem, prout in eodem capitulo fuerit determinatum.

189. Habitus pertingant ad partem superiorem pedis, neque ordinarie excedant latitudinem tredecim palmorum, aut sint minus duodecim, exceptis illis, qui inserviunt vestiendis fratribus pinguioribus.

Digitized by Google

190. Latitudo manicarum ad humeros sit minor duobus palmis, prope manus minor palmo, absque latitudine extraordinaria ad cubitum. Longitudo non excedat primam juncturam manuum. Tunicæ vero sint habitu breviores, & minus amplæ in manicis.

191. Caputium uno digito pertingat ad juncturas humerorum, nec sit brevius. A parte humerorum non pertingat ad cingulum per tres digitos. A parte pectoris sit contractum, & rotundum proportionaliter ad humeros, excedatque frontem decenti modo.

192. Non deferatur caputium aliud sutum mantello, sintque in habitu duæ tantum plicæ ante pectus, & duæ ad humeros.

193. Longitudo mantelli pertingat ad genua; non autem excedat. Qui in his contrafecerit, si fuerit minister, sit officio suspensus per unum annum; si subditus, sit privatus per triennium voce activa, & passiva, quæ pœna si ei non competat, deferat caputium probationis per tres menses.

194. Cingulum sit simplex, & crassum ex chorda, talesque sint corrigiæ calceorum ligneorum, sub pœna disciplinæ. In itinere utantur fratres pileis tantum ex palea confectis, aliis quibuslibet interdictis.

195. Nemo absque necessitate, & expressa licentia, deferat soleas cujuscumque generis, aut birecta etiam in locis privatis, sub pœna comedendi panem, & aquam genibus flexis, apposito ante ipsum corpore delicti, et, si non resipuerit, privetur per biennium voce activa, & passiva.

196. Femoralia, & sudariola serventur in communitate, singulis sabbatis, vel tempore magis opportuno, fratribus distribuenda. In conventibus, ubi hic usus non viget, guardianus det cuilibet fratri tria femoralia, & quatuor sudariola, quæ si quis mundari fecerit extra conventum, subjaceat pœnæ privationis voti per unum annum, vel, si ei hæc pœna non competat, puniatur caputio probationis per tres dies.

197. Curent minister, & guardianus, ut nihil necessarii desit in communitate pannorum, puniantque in pane, & aqua communitatis præfectum, quem negligentem repererint.

198. Qui sine licentia ministri dederit personæ alicui extra ordinem pannos ad communitatem spectantes, vel sibi assignatos, si fuerit guardianus, privetur officio; si subditus, declaretur proprietarius. Possint tamen guardiani, de consensu discretorum, concedere aliquem habitum veterem devotis personis, præsertim morti proximis.

199. Fratres radantur ad minus infra tres hebdomadas. Tonsura tam clericorum, quam laicorum distet ab auriculis per unum digitum. Corona clericorum, & sacerdotum non excedat magnitudinem trium digitorum, neque sit minor duobus digitis, sub pœna tam iis, qui raduntur, quam barbitonsori, unius disciplinæ.

200. Ad primum campanæ sonitum religiosi omnes legitime non impediti conveniant in choro divina officia persoluturi. Negligentes puniantur a superioribus localibus, & superiores locales a ministris, & visitatoribus.

201. In choro nemo disputet de rubricis, sed in dubio standum judicio vicarii chori, qui pro conventibus principalioribus eligantur in capitulis,

aut

Digitized by Google

aut congregationibus. In aliis hujusmodi officium exerceant guardiani, vel vicarii, arbitrio diffinitorii.

202. Officia devotionis recitentur, ubi recitari solent, voce submissa, sed intelligibili, & prætermitti poterunt in aliquibus festis, præcipue in locis studiorum, superioris arbitrio. Litaniæ B. Mariæ Virginis dicantur secundum consuetudinem.

203. Matutinum neque ante quintam noctis horam, neque post septimam dicatur, sub pœna privationis officii superiori locali infligenda, omnesque laici intersint choro initio ipsius, & dum canitur hymnus Ambrosianus, aut, si is non dicatur, initio laudum, secus in refectorio puniantur.

204. Hora primæ, æstatis tempore, persolvatur ad ortum Solis; tempore hyemis ad auroram, si locorum dispositio aliter non requirat.

205. Singulis diebus oratio mentalis fiat duabus horis, una post completorium, quæ incipiat a cantico: *Nunc dimittis*; altera post nonam a die Inventionis S. Crucis usque ad Nativitatem B. Mariæ Virginis, & ante nonam diebus jejunii.

206. Possit minister cum diffinitorio ejusmodi horas orationis mutare ad commoditatem, & satisfactionem populi. Sed ante ipsam primus accolytus legat aliquem librum devotum.

207. Nemo sit exemptus ab oratione, nisi gravissimo impedimento detineatur. Hortamur quoque lectores, & prædicatores actuales, ut, quantum fieri potest, eidem intersint. Qui defuerit, puniatur in refectorio:

208. De fratrum obitu superior localis certiores reddat per epistolas alios superiores conventuum provinciæ, ministrum. Clerici pro quolibet defuncto dicant officium mortuorum, laici centum *Pater*, centum *Ave*, & totidem *Requiem*. Celebrentur missæ in singulis conventibus.

209. Fratres omnes hora serotina post primam salutationem angelicam pergant in ecclesiam, ubi faciant examen conscientiæ, gratias reddant Deo de acceptis beneficiis, & lucrentur indulgentiam.

210. Qui fuerint minores annis viginti quinque non intrent cellas aliorum fratrum, præterquam magistrorum, aut superiorum, neque alios in suas admittant, etiamsi fores aperiri possent, sub pœna disciplinæ; quod si id fecerint ostiis clausis, puniantur ut rei suspecti consortii.

211. Sub pœna a ministro infligenda, nemo admittat intra conventum sacerdotes sæculares, maxime juniores, sub quovis prætextu, etiam pietatis, vel consanguinitatis.

212. Contumaces, & *banniti* non recipiantur in conventibus, sub pœna superioribus localibus privationis voti per triennium; & ii, quibus hæc pœna non competit, puniantur alia.

213. Si quis jejunii tempore manducaverit ova, vel lacticinia in refectorio, superiores locales priventur officiis.

214. Guardiani teneantur providere de cibis quadragesimalibus eos fratres, qui voluerint jejunare in quadragesimis Benedictæ, Spiritus Sancti, Assumptionis, & S. Michaelis Archangeli.

215. Mundæ sint ecclesiæ supellectiles, vasa sacra, libri chorales &c. SS. Eucharistiæ Sacramentum servetur in pyxide argenti inaurati, & qualibet

Digitized by Google

feria quinta, vel dominica die renovetur. Oleum Sanctum servetur loco decenti in vasculo argenteo, vel stamneo. Qui contrafecerit, puniatur a ministro, aut visitatore provinciæ.

216. Qui furatus fuerit reliquiam aliquam ecclesiæ incidat in pœnam excommunicationis latæ sententiæ, & legitime convictus includatur carcere per unum mensem, privetur voto per quinquennium, aut per unum mensem deferat caputium probationis. Nemo autem reliquias conquirat, sine licentia ministri, & discretorum conventus.

217. Paramenta holoserica, aut ex tela auro, vel argento illita, aliaque hujusmodi pretiosa non recipiantur, etiam sponte oblata a patronis sacellorum, sub pœna recipienti, vel consentienti, privationis vocis activæ, & passivæ per triennium, aliisque gravioribus, arbitrio prælati.

218. Non habeantur vasa aurea, & argentea, præter calices, patenas, & pyxides, & si quæ sunt in conventibus vendantur, aut commutentur per manus sindici, sub pœna privationis officii superioribus localibus, & provincialibus secus facientibus.

219. Non pulsentur in ecclesia, & conventibus instrumenta musicalia, & cantu firmo divina officia peragantur. Neque adsint plusquam duæ campanæ paupertati respondentes. Qui autem curaverit, ut organa introducantur in ecclesiis, subjaceat excommunicationi.

220. Qualibet hebdomada tribus vicibus fiat disciplina in ecclesia, post matutinum, & in majori hebdomada, saltem tribus ultimis noctibus.

221. Ter quoque in hebdomada habeatur capitulum culparum; qua in re si superior fuerit negligens, puniatur pœna suspensionis ab officio per trimestre.

222. Nemo in infirmitate, vel necessitate equitet, aut vehatur quadriga, nisi de licentia in scriptis guardiani, & discretorum localium, qui, si absint, debeant etiam postea examinare causam, ob quam aliquis equitavit. Qui contrafecerit, si sit superior, privetur officio; si subditus, privetur voce activa, & passiva per triennium.

223. Qui pedester ire non poterit, nequeat eligi in ministrum, vel custodem provincialem, neque ad prædicandum mittatur, alias prædicatione privetur per quinquennium.

224. Si quis per se, vel alium receperit pecuniam etiam pro eleemosyna contemplatione missarum, aut eam retinuerit quocumque in loco, ut proprietarius, carcere includatur per sex menses, & privetur actibus legitimis per sexennium. Recidivi carcere includantur per annum integrum, & in perpetuum sint privati actibus legitimis, &, si hæc pœna eis non competat, ferant per sex menses caputium probationis.

225. Qui sine licentia ministri emi aliquid fecerit, prima vice comedat genuflexus in pane, & aqua, privetur per biennium voce activa, & passiva, & ferat caputium probationis per duos menses. Secunda vice, pœnæ duplicentur. Tertia vice, carcere includatur per quindecim dies, privetur voto per sex annos, aut per sex menses ferat caputium probationis. Excipiantur ab hoc statuto guardiani, quibus liberum sit, recurrere ad amicos spirituales pro necessitatibus fratrum suorum.

226. Priventur voce activa, & passiva

ſiva guardiani, qui non depoſuerint eleemoſynas pecuniarias apud ſindicos apoſtolicos conventuum, niſi forte benefactores vellent eas apud ſeipſos retinere. Subditi quoque, qui ſecus fecerint, priventur voce activa, & paſſiva per triennium, vel per tres menſes dicant culpam, ſicut novitii.

227. Sindici poſſint recipere res mobiles, & immobiles fratribus relictas per benefactorum teſtamenta, eaſque, quibus uti fratres licite nequeunt, vendere nomine ſedis apoſtolicæ, & erogare pretium in fratrum neceſſitates veras, & reales, quibus niſi ſuccuratur, vitæ damnum aliquod impenderet.

228. Licitum non ſit recurrere ad amicos ſpirituales pro pecuniis habendis, ut aliquid ematur; ſed tantum liceat ab eiſdem petere res, quibus aliquis indiget, in propria ſpecie.

229. Eleemoſynæ indifferentes non recipiantur pro miſſis, concionibus, operibus artefactis &c.; alias, ſi fuerit ſuperior removeatur ab officio; ſi ſubditus, privetur voce activa, & paſſiva per triennium, aut portet caputium probationis per tres menſes.

230. Sub eadem pœna, eleemoſynæ acceptæ non inſerviant ad emendas *pietantias* pro fratribus ſanis, niſi talis ſit intentio dantis.

231. De eleemoſynis, quas vel locorum communitates, vel peculiares benefatores voluerint prædicatoribus erogare, diſponat miniſter provinciæ, ex qua fuerit prædicator, pro neceſſitatibus conventuum viciniorum, magiſque indigentium. Quod ſi eas miniſter impenderit in veſtitum fratrum, infirmorum commodum, emptionem librorum &c., rationem reddat de omnibus in capitulo, vel congregatione coram diffinitorio provinciæ, ſub pœna privationis officii.

232. Non commutetur ulla res in aliam, quantumvis neceſſariam, ſine opera ſindici, & niſi is, qui rem dederit, conſentiat, ſub pœna proprietarii.

233. Nullæ res ſuperfluæ quærantur, etſi neceſſariæ ad victum, & veſtitum fratrum, niſi forſan ſubveniendum foret conventibus pauperioribus, ſub pœna privationis per triennium vocis activæ, & paſſivæ, aut probationis per quindecim dies.

234. Puniatur tamquam perturbator pacis ſubditus, qui non ſteterit judicio ſuperioris in æſtimandis veris neceſſitatibus.

235. Nemo, abſque licentia miniſtri ſui, quærat denarios, aut alias res hujuſmodi, etiam ſub prætextu pietatis, aut conſanguinitatis, ſub pœna privationis voti, aliiſque arbitrio miniſtri.

236. Non permittantur oblationes pecuniariæ in miſſis novellis, prædicationibus, ſolemnitatibus, aut in eccleſiis capſulæ pro eleemoſynis, etiamſi non ad fratres, verum ad confraternitatem aliquam ſpectarent, ſub pœna carceris, & privationis actuum legitimorum.

237. Non retineantur in conventibus muli, aut equi; ſed, ſi neceſſe fuerit, fratres jumento utantur ad eleemoſynas conquirendas.

238. Fratres notabiliter otioſi, ſi admoniti, non emendentur, careant per biennium voce activa, & paſſiva, aut alias puniantur pro negligentiæ modo.

239. Laici occupentur in officiis infirmariæ, quæſtuationis, coquinæ, horti, aliiſque ſibi per obedientiam im-

impositis, & contrafacientes faciant disciplinam, graviusque puniantur arbitrio superioris.

240. Nemo construat pileos, sportas, flores sericos, coronas, ornamenta pro *Agnis Dei*, parvas cruces, thecas reliquiarum, & similia, absque prælati sui licentia, sub pœna disciplinæ pro prima vice; secunda autem jejunii in pane, & aqua, & pœnæ duplicentur. Si vero aliquis emi fecerit, aut quæsiverit materiam pro his artificiis, puniatur, tamquam proprietarius.

241. Sacerdotes teneantur ad missas celebrandas juxta voluntatem superioris, alias sint proprietarii voluntatis.

242. Non recipiantur denarii, vel pecunia pro missis, & rebus artefactis, nisi in casibus, pro quibus licet recurrere ad amicos spirituales, & tunc pecunia administretur per sindicum, sub pœna proprietarii.

243. Comestibilia donata fratribus tradantur officialibus conventus, ut in communitatem ea distribuant; aut, si eorum usus haberi possit, tradantur superiori.

244. Sacerdotes non addicti studiis, prædicationi, confessioni, teneantur operam præstare in sacristia, horto, refectorio. Quod si alicujus officii sint periti, ipsum non exerceant, nisi ex jussu superioris, qui graviter puniat contrafacientes.

245. Fratres non vadant ad associanda funera, nisi in casu, quod ad ecclesias nostras deferantur, neque litigent cum parochis; sed modeste semper, & humiliter jus suum tueantur.

246. Non exerceant medicinam, aut chirurgiam, sub pœna privationis actuum legitimorum per biennium, & carceris etiam arbitrio ministri.

247. Se non immisceat negotiis sæcularium, non sint arbitri in eorum quæstionibus, neque nuptiis conciliandis impendant operam, sine licentia ministri; secus priventur actibus legitimis.

248. Qui dejecerit, aut dejici fecerit arborem fructiferam, vel positam ad ornatum viridarii, aut sylvæ, sine licentia in scriptis ministri provincialis, privetur per biennium voce activa, & passiva, aut gravius.

249. Ministri in provinciis suis instituant studia logicæ, philosophiæ, theologiæ, & etiam grammaticæ, in quibus, de licentia superioris generalis, possint esse lectores alumni alterius provinciæ, si in propria lectores desint. Studentes vero præsertim clerici non mittantur extra provinciam ad studendum, habeantque libros, & cætera necessaria.

250. Non exeant a conventu studentes, nisi de quindena in quindenam ad animum recreandum, & guardianus, qui contrafecerit, puniatur arbitrio ministri.

251. Nemo sit habilis ad titulum prædicatoris, nisi fuerit sacerdos, & studuerit theologiæ per tres continuos annos, aut lectoris, nisi per quatuor annos eadem studia peregerit, & fuerit bene moratus. Hæc constent testimoniis authenticis lectorum subscriptis a ministro, guardiano, & discretis. Examinentur etiam ii, qui titulos hujusmodi consequi voluerint. Tempus studiorum nequeat dispensari, nisi cum fratribus ingenii excellentis, judicio provincialium, per quatuor, vel sex menses, sub nullitate institutionis.

252. Qui non absolverit integrum cursum logicæ, & philosophiæ, exclu-

Digitized by Google

cludatur ab officio legendi theologiam.

253. Sit privatus voce activa, & passiva per triennium is, qui grammaticam pertinaciter legere recusaverit.

254. Privetur actibus legitimis per triennium quicumque intra, vel extra conventum docuerit aliquam scientiam pueros, vel alios sæculares.

255. Nemo renuat in conventum pergere, quem sibi superiores ex obedientia destinaverint, nec ob id recurrat ad favorem sæcularium, aut communibus rebus utatur tamquam propriis, aut exerceat aliquem jurisdictionis actum, repetendo in judicio eleemosynas sibi datas, sub pœna expulsionis confusibilis a conventu.

256. Qui id fecerit, prima vice faciat disciplinam, secunda, jejunet in pane, & aqua, tertia, sit per triennium privatus voce activa, & passiva. Si vero rem aliquam notabilem absconderit prælato suo, declaretur proprietarius, et, si talis moriatur, careat ecclesiastica sepultura.

257. Fratres, qui ab uno conventu in alium mittuntur de familia, nihil secum deferant, sine licentia ministri, exceptis rebus, quas regula permittit, insuper scriptis suis, si fuerit prædicator, lector, vel confessarius, dummodo res hujusmodi in alio conventu reperiri facile non possint; sub pœna disciplinæ, jejunii in pane, & aqua, & obligatione remittendi ad conventum res ipsas.

258. Puniatur pœna proprietarii is, qui, sine licentia ministri, & discretorum localium, aliquid deposuerit apud sæculares, aut vendiderit hortorum fructus, vel rem aliquam usui fratrum destinatam, nisi forsan dantis consensus accesserit; quo in casu venditio fiat, mediante sindico.

259. Non serantur legumina in hortis ad ea conservanda per annum, neque vites ad vinum colligendum, sub pœna privationis officii superioribus; subditi vero dicant culpam per unum mensem, & qualibet sexta feria faciant disciplinam.

260. Non fiant congregationes frumenti, & vini, nisi in locis, ubi quotidiana mendicatio panis, & vini non sufficit, sub pœna superioribus privationis officii.

261. Nemo habeat clavem cellæ suæ, exceptis superioribus, & officialibus conventus. Lectores, & prædicatores possint habere parvas claves, quibus scripta custodiant.

262. Non acceptentur capellaniæ extra conventum, nec mittantur fratres ad missas celebrandas extra ipsum, nisi occasione alicujus solemnitatis.

263. In quolibet conventu sint bibliothecæ, in quibus serventur libri omnes publici, & privati, quorum fiat inventarium. Bibliothecarius exigat cautelam in scriptis ab eo, qui librum acceperit.

264. Instituantur in capitulo duo præfecti fabricæ, quorum unus sit sacerdos, eosque consulat minister in rebus, quæ ad fabricas pertinuerint, sub pœna privationis officii, eidemque pœnæ subsint superiores locales, qui, inconsultis ministro, & præfectis, aliquid in fabricis innovaverint, quod excedat singulis annis expensas sex scutorum.

265. Non ædificentur novi conventus sine modulo peritorum subscripto a patribus diffinitorii, nec modulus alteretur, sub pœna privationis officii superioribus; subditis vero privationis voti per triennium, aut probationis per tres menses. 266.

266. Non ædificentur conventus instar turrium, seu arcium, nisi piratarum instet periculum.

267. Conventus, ubi ex quotidianis eleemosynis duodecim fratres ali non possunt, minime acceptentur. Neque acceptentur sine licentia superioris generalis, consensu capituli, aut patrum; sub pœna privationis actuum legitimorum per sexennium.

268. In his conventibus non instituantur guardiani, nisi in aliqua parte ecclesiæ servari queat SS. Eucharistiæ Sacramentum,& adsint refectorium,atque octo saltem cellæ habitabiles. Alias electio guardianorum hujusmodi sit nulla, & electores a visitatore puniantur.

269. Si numerus fratrum professorum sit sufficiens pro conventibus provinciæ, non recipiantur novitii; secus patres diffinitorii puniantur a superioribus.

270. Instituantur in singulis provinciis, in capitulo, vel congregatione, unum, aut duo loca infirmariæ, in quibus ægri excipiantur, & curentur expensis conventuum, in quibus instituta fuerint, & aliorum etiam, si eleemosynæ non sufficiant. Ministri, qui id facere neglexerint, puniantur arbitrio visitatorum.

271. Semel, aut pluries in die, guardiani,& vicarii, ac fratres alii visitent infirmos, quibus sacerdos a ministro deputatus sacramenta ministret, cum facultate eos absolvendi a casibus, & censuris.

272. Guardiani deputent unum, aut duos fratres, qui infirmi curam gerant, statim ac in infirmitatem inciderit, invigilentque, ut omnia recte fiant, sub pœna privationis officii.

273. Præfecti infirmariæ non permittant, ut aliquis comedat in cella, iis exceptis, qui refectorio infirmariæ interesse nequeunt; nec cibos pro infirmis quæsitos dent fratribus sanis, præter modicam aliquam rem, videlicet vini calicem, & similia. Si correcti non emendentur, expellantur ab infirmaria.

274. Sub eadem pœna, aromatarii nihil dent fratribus, qui non indiguerint, multoque minus sæcularibus, exceptis rebus parvi momenti, quæ benefactoribus notabilibus, sicuti & pauperibus, dari queant, de licentia guardiani.

275. Deputetur sacerdos modestus, ac devotus, qui excipiat fratres hospites, etiam alterius ordinis, quibus, si sint excalceati, & pedester adveniant, lavet pedes, more consueto; secus tam guardianus, quam sacerdos ipse deputatus, graviter puniantur.

276. Minister in capitulo, & congregatione, in visitationibus etiam, aliisque occasionibus, instituat in quolibet conventu unum, vel plures pœnitentiarios, pro conventuum ipsorum amplitudine, qui, sicuti guardianus, & vicarius, possint absolvere a reservatis; non tamen complices suos.

277. Si pœnitentiarius aliquis inde discedat moraturus in alio conventu, succedat ipsi antiquior confessarius conventus, donec minister provideat.

278. Infames sint inhabiles ad omnia officia, & dignitates. Qui autem commiserit crimen, cui in sæculo annexa est pœna mortis, damnetur ad triremes, aut ad carcerem perpetuum.

279. Qui antequam accusetur, prælato suo fassus fuerit crimen, absolvi possit, imposita minus confusibili, & salu-

Digitized by Google

salutari pœnitentia, dummodo crimen commiſſum non ſit cum publico ſcandalo. Si denuo idem crimen commiſerit, puniatur tam pro uno, quam pro altero.

280. Qui ſcienter, & cum deliberatione non peccaverit, non incurrat in pœnas excommunicationis, carceris, ſuſpenſionis, aut privationis; neque pœnis ipſis etiam *ipſo facto* comminatis aliquis ſubſit, niſi poſt ſententiam judicis.

281. Miniſtri non continuent officium ultra triennium. Si capitulum prorogandum ſit per aliquem menſem, poſſint provinciam regere tamquam commiſſarii provinciales.

282. In fine tertii anni miniſtri petant a ſuperiore generali commiſſarium, qui provinciam viſitet, & celebret capitulum, ſitque vel exminiſter, vel exdiffinitor generalis, aut provincialis, vel theologiæ lector, vel prædicator generalis.

283. Ante viſitationem commiſſarius præſentet vel per epiſtolam, vel coram, literas patentes miniſtro provinciæ, easque deinde publicet in aliquo conventu, & mittat encyclicas literas per provinciam, quibus viſitationem peragendam denuntiet, & prohibeat fratribus, ne conventuum limites egrediantur.

284. Commiſſarius non habeat, niſi duos ſocios, qui pedeſter cum ipſo incedant; viſitetque ſingulos conventus, cum auctoritate ſubdelegandi ſecretarium ſuum ad eorum aliquem viſitandum.

285. Nequeat pœnas judicialiter infligere, abſque voto diffinitorii, aut, ſi diffinitorium ipſum puniri deberet, vel ſuſpenſum foret, abſque voto patrum graviorum, & peritorum provinciæ.

286. Non habeat votum in electione miniſtri, & guardianorum, licet poſſit excludere indignos, nec celebrare capitulum ſine licentia ſuperioris generalis, nec immutare conſtitutiones provinciæ his ſtatutis non repugnantes, ſine conſenſu diffinitorii, patrum provinciæ, & majoris partis capituli, nec in patres animadvertere, niſi conſentiat diffinitorium, & major pars patrum. Quod etiam miniſter obſervet.

287. Officium ejus duret tres menſes, habitoque capitulo, non remaneat in provincia, pluſquam viginti dies, niſi ſuperior generalis aliter juſſerit.

288. Non mittatur commiſſarius ad cauſas particulares, niſi ex cauſa urgenti, & ad inſtantiam majoris partis provinciæ; neque commiſſarius hujuſmodi habeat præcedentiam ſupra miniſtrum, aut guardianum, niſi pro ipſis fuerit deſtinatus, aut præcedentia exprimatur in literis patentibus.

289. Conventum, in quo habendum erit capitulum, determinet ſuperior generalis, vel commiſſarius cum diffinitorio. Convocentur vero miniſter, cuſtos, diffinitores actuales, guardiani, procurator, & diffinitores generales reformati, patres perpetui ordinis, atque hi tantum habeant votum in capitulo.

290. Si miniſter, judicio ſuperioris generalis, & patrum reformatorum, dimiſerit ſponte officium, habeat votum in capitulo, & actis capitularibus.

291. Spectet ad vocales, guardianis exceptis, in capitulo electio guardianorum, vicariorum, magiſtrorum novitio-

Digitized by Google

novitiorum ; præterea familias disponere, instituere lectores, prædicatores, confessores, examinatores, & discutere res graviores provinciæ ; quod etiam fiat in congregatione capitulari, quæ singulis annis celebretur in secunda, vel tertia hebdomada post Pascha Resurrectionis, si id fieri possit.

292. Nemo eligatur in ministrum, sub pœna nullitatis electionis, qui non habuerit XXXV. saltem ætatis annos, & XV. religionis completos, qui non sequatur vitam communem in victu, & vestitu, pedester incedere non possit, aut non fuerit actu lector, vel prædicator, sine quibus non sufficiat, ut bis guardianatus officium exercuerit laudabiliter, vel ad majores gradus promotus fuerit. Nemo etiam, qui non sit provinciæ filius, aut in ea incorporatus a decennio. Super ætate dispensare possit superior generalis, si anni non sint completi.

293. Minister visitet provinciam saltem bis in anno, non mittat fratres, nisi ob negotia in provincias viciniores, notet in libro peculiari negotia determinata in capitulis, & congregationibus, nomina, causas, sententias per extensum, carcerationes, punitiones, monitiones canonicas ; quæ si non fecerit, privetur voce activa, & passiva per triennium.

294. Si egredi debeat extra provinciam suam, & alibi commorari plusquam octo diebus, instituat loco sui commissarium, de consilio diffinitorii.

295. Habeat duos tantum socios probos, & vitæ exemplaris. Nequeat autem privare guardianos, aut confessarios monialium, sine diffinitorio, sed possit tantum illos suspendere ab officio per duos, vel tres menses ad summum.

296. Custos, & diffinitores eligendi sint præditi eisdem qualitatibus, quæ necessariæ sunt electioni ministri provincialis.

297. Custos teneatur accedere ad capitulum, & congregationem generalem ; quod si, legitime non impeditus, id agere recusaverit, privetur actibus legitimis a superiore generali. Si legitime impediatur, aut renuntiaverit officio, alius eligatur a diffinitorio, & patribus provinciæ, primusque habeatur officio suo absolutus.

298. Loco ministri, qui ob legitimum impedimentum nequit accedere ad capitulum generale, eligatur a ministro ipso, custode, diffinitoribus, & provinciæ patribus, commissarius, qui nequeat alium pro se delegare ; quemadmodum neque custos id possit.

299. Minister pergat ad capitulum generale pedester cum uno socio. Socium alium ducat custos itidem pedester incedens.

300. In consultationibus, & votis dandis ultimus omnium incipiat.

301. Ordo præcedentiæ sit. I. Præcedat minister provinciæ.

II. Exgenerales, qui unum tantum habeant superiorem.

III. Exprocuratores, & exdiffinitores generales.

IV. Exministri provinciales propriæ, vel alienæ provinciæ.

V. Excustodes, qui suam, vel alienam custodiam rexerint.

VI. Exsecretarii generales secundum bullam unionis.

VII. Exguardiani Hierusalem.

VIII. Custos, & diffinitores actuales.

IX. Mi-

Digitized by Google

IX. Miniſter actualis præcedat etiam extra provinciam exminiſtros.

X. Lectores actuales theologiæ.

XI. Guardiani in conventibus propriis præcedant omnes, exceptis ſuperioribus actualibus.

XII. Vicarii præcedant omnes, præter patres ordinis, & provinciæ. In refectorio ſedeant immediate poſt guardianos, & in horum abſentia, præcedant omnes prædictos.

XIII. Sacerdotes, clerici, & laici juxta antiquitatem habitus.

302. Non eligatur in guardianum, qui non habuerit triginta ætatis annos expletos, & decem religionis. Prima vice duret per annum; ſecunda vice poſſit continuare per tres annos, ita ut per duos regat unum conventum, altero alterum, niſi juſta ex cauſa diffinitorium diſpenſaverit. Expleto vero triennio vacet per annum, nec poſſit inſtitui præſidens ullius conventus.

303. Præſidentes non poſſint eligi in guardianos, niſi vacent per annum, ſub nullitate electionis.

304. Guardiani, & confeſſores monialium teneantur renuntiare officiis in ſingulis capitulis, & congregationibus; alias conſiderentur, veluti ſi renuntiaſſent.

305. Semel privatus guardianatu, aut majori aliquo officio, nequeat rurſus eligi, niſi a capitulo per vota ſecreta habilis reddatur.

306. Si guardianus moriatur ante feſtum S. Franciſci, miniſter cum diffinitorio eligat alterum. Si mors contingat poſtea, miniſter eligat præſidentem uſque ad capitulum, in quo præſidens votum non habeat.

307. Miniſtri provinciales in capitulis, in quibus officio abſolvuntur, nequeant eligi in guardianos, vicarios, aut confeſſores monialium, ſub pœna nullitatis. Neque ad eadem officia poſſint eligi cuſtos, & diffinitores actuales.

308. In quolibet conventu collocetur de familia unus prædicator, aut vir doctus ad ſatisfactionem populi.

309. Nemo poſſit eodem tempore exercere munus lectoris, & guardiani, aut vicarii.

310. In locis principalioribus inſtituantur vicarii guardianorum qualitatibus præditi, ipſique guardianis obediant reſpectu rerum agendarum, guardianis etiam abſentibus, niſi fortaſſe guardiani pergerent extra provinciam longo temporis ſpatio, vel alia ex cauſa, quo in caſu libera conventuum adminiſtratio ipſis relinquatur.

311. Qui ſine his conditionibus devenerit ad electionem cujuſlibet, privetur officio, & voto, ad arbitrium generalis.

312. Procurator generalis reformatorum gaudeat omnibus privilegiis, & gradibus procuratoris ordinis, & provinciarum ſuarum negotia tractet, excepta provincia Romana. Si quis, abſque ejus placito, negotium aliquod peragerit ſpectans ad eaſdem provincias, carcere includatur per duos menſes.

313. Nequeat procurator negotia ad totum ordinem, vel ad familiam reformatam tractare, ſi redoleant ſpeciem aliquam diviſionis, vel novitatis, abſque conſenſu in ſcriptis majoris partis miniſtrorum, ſub pœna inhabilitatis ad officia inter reformatos, niſi diſpenſationem obtineat a capitulo generali.

314. Nequeat literas obedientiales expedire, niſi pro apoſtatis in provin-

cias suas recto tramite remittendis, postquam, arbitrio suo, & juxta leges, fuerint in carcere. Possit tamen fratrem aliquem hospitem retinere in conventu provinciæ Romanæ, in quo eum collocaverit minister, donec negotia conficiantur.

315. Hospites Romam advenientes ei subsint per tres dies; deinde subsint guardiano S. Francisci Transtiberim; sed possit semper eorum opera uti, prout opportunum judicaverit.

316. In qualibet provincia sit unum studium theologiæ scholasticæ, alterum theologiæ moralis, aut casuum conscientiæ, duo studia logicæ, & philosophiæ; secus ministri priventur officiis. Studentes quoque desidiosi priventur studiis, & aliis pœnis subjaceant.

317. Lectores theologiæ moralis faciant repetitiones, & disputationes, more lectorum theologiæ scholasticæ, & ab officio chori sint immunes.

318. Nemo transeat a studio logicæ ad studium philosophiæ, aut a philosophia ad theologiam, nisi examinatus coram diffinitorio judicetur dignus a tribus examinatoribus.

319. Non instituantur lectores, prædicatores, & confessores tam fratrum, quam sæcularium, nisi in capitulis, & congregationibus; nec post institutionem exerceant munus, aut gaudeant titulo, nisi probentur a tribus examinatoribus, & ministro una cum ipsis, vel seorsum.

320. Nemo institutus ad legendum, aut concionandum obtineat titulum lectoris, aut prædicatoris, nisi actu legerit artes, vel theologiam scholasticam, aut moralem, vel mysticam, vel regulam, saltem per annum capitularem, legendo ad minus ter in mense; aut concionatus laudabiliter non fuerit per integram quadragesimam.

321. Qui sine his conditionibus titulos hujusmodi sumpserit, privetur per sexennium voce activa, & passiva; super quo solus superior generalis queat dispensare. Subditi, qui titulos dederint, careant voce passiva per triennium capitulare. Si id fecerint superiores provinciales, suspendantur ab officio ad tempus bene visum superiori generali. Lex extendatur quoque ad illos, qui titulum *Admodum Rev.* tribuunt custodibus, diffinitoribus, & guardianis, & aliis, quibus de jure non competit.

322. Examinatores eligantur in capitulis, aut congregationibus a diffinitorio, & durent per triennium, nisi in congregatione alii eligantur. Ipsi examinent lectores, prædicatores, confessores, & clericos mittendos ad ordinationem, quorum notent etiam morum probitatem.

323. Lectores theologiæ conferant cum ministro materias studentibus tradendas. Lectores logicæ, & philosophiæ utantur libris philosophorum probatiorum, eosque accommodent ad doctrinam Scoti voce, aut scripto.

324. Lectores negligentes priventur officio a ministro provinciæ, vel a superiore generali, si ab eo fuerint instituti.

325. Studentes theologiæ sint exempti ab horis Primæ, & Tertiæ, diebus, quibus habetur lectio, ac ab aliis horis, & matutino, si eo die habendæ sint conclusiones publicæ, vel mensiles, vel annuales.

326. Lectores theologiæ in conventibus a diffinitorio, vel discretorio pro-

Digitized by Google

provinciali designandis post sexennium locum cedant aliis lectoribus: ipsi vero in studio inferiori possint suum complere duodennium. Nemo tamen lecturæ studii principalioris succedat, nisi per oppositionem, vel examen coram judicibus, inter optimos reperiatur.

327. Completo duodennio habeant paternitatem, & præcedentiam; non vero jus suffragandi, vel subrogandi, exceptis provinciis Germaniæ.

328. Nec lectores, nec prædicatores emeriti instituantur, nisi constiterit per legitimas attestationes totius diffinitorii, & discretorum conventus, eos munus suum laudabiliter antea explevisse.

329. Prædicatores non obtineant emerentiam, nisi prædicaverint in ecclesiis cathedralibus, collegiatis insignibus, & locis, ubi in quadragesima adest concurrentia plurium prædicaexpletorum.

330. Qui, sine licentia ministri, personarum sæcularium opera concionem aliquam quæsiverit, privetur illa.

331. Nemo audiat confessiones sæcularium, nisi habuerit triginta annos completos, etiamsi fuerit superior localis, sub pœna privationis actuum legitimorum superiori ipsi infligenda, si consenserit. Superior autem, qui minor ea ætate confessiones audierit, puniatur arbitrio ministri.

332. Non audiantur confessiones sæcularium, nisi ab illo, qui in tabula capituli, vel congregationis in conventu collocabitur ut confessarius, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ per decennium, & suspensionis ab officio confessarii. Possit tamen minister de consensu diffinitorii instituere aliquem confessarium infra annum.

333. Omnes emittant confessionem bis in hebdomada, & confessarii noti sint guardiano. Clerici, & laici juniores habeant pro confessario magistrum, eisque guardianus permittat, ut ter saltem in anno possint in confessarium eligere sacerdotem alium approbatum in ordine. Idem faciant fratres advenæ.

334. In cubicula confessorum monialium non introducantur mulieres, sub pœna carceris, arbitrio superioris.

335. Nemo faciat exorcismos super energumenos, sine licentia ministri de consensu diffinitorii in scriptis, sub pœna privationis voti, arbitrio superioris, aut probationis.

336. Nemo obligetur ad peccatum, nisi in iis, quæ concernunt legem divinam, constitutiones apostolicas, regulam, & alia, in quibus adsit contemptus.

337. Pœna probationis commutari possit in aliam a ministro pro arbitrio diffinitorii.

338. Superiores locales curent, ut singulis sex mensibus hæc statuta legantur in refectorio, sub pœna privationis officii.

Anno 1644. INNOCENTIUS X.

1. Qui non vacaverit ab officio vicarii provincialis per triennium non possit eligi in ministrum. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1645.

2. Eadem vacatio in ministro requiratur, ut eligi possit in vicarium, vel commissarium provincialem. Eadem pariter in vicario, ut eligi possit iterum in vicarium, vel commissarium.

3. Cessiones, seu renuntiationes officiorum

Digitized by Google

ficiorum fieri nequeant, nisi cum expressione causæ a diffinitorio cognoscendæ, & approbandæ.

4. Causa semel admissa, eaque durante, ad dimissa officia neque per electionem, neque per subrogationem, aut quamcumque aliam viam, resignantes, seu cedentes assumi possint, aut munia exercere.

5. Dum sententia proferenda est, si judices sint suspecti, aut inquisitores publica diffamatione laboraverint, procedendum sit juxta dispositionem juris communis, ubi constitutio particularis non providet.

6. Fratres recurrentes ad S. Officium, ut in eo testimonium perhibeant, possint etiam per quinquennium a suis superioribus gravari. *Ex decreto Assessoris S. Officii*. Anno 1646.

7. In Cayro conducatur domus in via Gallorum pro hospitio, & manutentione missionariorum minorum strictioris observantiæ in Æthiopia, tam in eorum profectione in Æthiopiam, dum est necessarium expectare tutum transitum, quam in reditu. *Ex decreto S. Congreg. de Propaganda Fide*. Anno 1644.

8. Missionarii commendentur protectioni guardiani Hierosolymitani, qui facultatem habeat eos visitandi, corrigendi, & a missione amovendi in casu imminentis scandali, vel ob alias causas graves, dummodo statim de eorum remotione S. Congregationem certiorem faciat.

9. Commissarii in principalibus christianitatis partibus, ad colligendas eleemosynas pro locis Terræ Sanctæ, instituantur a superiore generali. *Ex eodem*. Anno 1646.

10. Electio commissariorum hujusmodi irrita sit, & invalida, nisi a superioribus ordinis proponantur S. Congregationi. Cæteri vero commissarii particulares cujuslibet provinciæ eligantur ab ipsis superioribus generalibus, ex probatis religiosis. *Ex eodem*. Anno 1647.

11. Electio guardiani Hierosolymitani, ac ejus familiæ ex religiosis moribus, & doctrina probatis, relinquatur superiori generali.

12. Sacra congregatio de Propaganda Fide non mittat ullum regularem missionarium in loca Terræ Sanctæ, nisi prius habita relatione a generali, vel procuratore, vel superiore illius, qui petit missionem, agnoverit eum esse, quoad vitam, mores, scientiam, & prudentiam, ad illam idoneum. Et ideo generalis aliquem deputet, qui in ejus absentia approbet missionarios. *Ex decreto S. Congreg. de Propag. Fide*. Anno 1647.

13. Studium linguæ Arabicæ omnino Romæ retineatur, sub immediata gubernatione generalis, vel commissariorum generalium, qui illud provideant de bonis religiosis.

14. Commissarius Terræ Sanctæ in Urbe non amplius deputetur, & guardianus Hierosolymitanus proxime officio functus, sive alius informatus, sine titulo, retineatur pro informatione.

15. Nullam guardianus Hierosolymitanus habeat auctoritatem, aut jurisdictionem inquirendi de iis, quæ ad vitam, mores, & progressus missionariorum aliorum ordinum spectant, sine expresso mandato S. Congregationis de Propaganda Fide. *Ex decreto ejusd. Congreg.* Anno 1651.

16. Possit tamen idem guardianus, sive

Digitized by Google

sive ejus officialis, S,Congregationem in casibus particularibus consulere, eamque certiorem reddere, si missionarii in aliquo delinquant.

17. Eleemosynæ, quæ erogari solent a capitaneis, vel ductoribus navium pro bono itinere, ut ajunt *di tre piastre*, in futurum intelligantur, & reputentur cedere in utilitatem, & ad beneficium S. Montis Syon.

18. In locis, ubi sunt episcopi, administratores, vel vicarii apostolici, personaliter in propria diœcesi residentes, missionarii teneantur eorum tantum, & non aliam recognoscere jurisdictionem. In aliis locis jurisdictionem guardiani recognoscant.

19. In omnibus locis a parochis, vel iis, qui parochi, seu missionarii officium exercent, publicentur dies festi, juxta formam, & dispositionem Urbani VIII., & non aliter, sub pœnis in bulla contentis, aliisque, arbitrio S. Congregationis.

20. In casibus alicujus difficultatis, controversiæ, seu declarationis præteritorum, præsentium, & futurorum decretorum, & in quibuscumque aliis occasionibus, & causis, recurrendum sit ad solam S. Congregationem, privative quoad alios.

21. Serventur hæc decreta, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, privationis vocis activæ, & passivæ, inhabilitatis ad omnes, & singulos gradus, & religionis officia, contra non observantes, & non obedientes, aut contravenientes, sive in totum, sive in partem. *Ex audientia SS.* Anno 1651.

22. In subrogationibus faciendis non requiratur vacatio legalis a die expleti officii. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1651.

23. Superior generalis de observantia non possit dispensare super ætate, & aliis requisitis, ut aliquis ad diffinitoratus, aut custodiatus munus assumatur. *Ex eodem*. Anno 1652.

ANNO 1653. ALEXANDER VII.

1. Nemo ab ordine ejici possit, ut incorrigibilis, anno carcerationis nondum completo. *Ex decreto S. Congreg. Concilii*. Anno 1653.

2. Non sufficiat ad expulsionem fratris incorrigibilis annus carcerationis interpolatus, sed requiratur spatium unius anni continuum, & integrum.

3. Superior generalis nequeat delegare facultatem ejiciendi ab ordine provincialibus pro eorum provinciis, seu commissariis, vel vicariis generalibus. *Vide inferius de hac lege exceptionem*.

4. Patres sex, de quorum consilio, & assensu ejectio fieri debet, eligi possint in unaquaque provincia, seu regno.

5. Si hujusmodi sex patres non fuerint electi in capitulo, vel congregatione generali, recurratur ad S. Congregationem Concilii in singulis casibus.

6. Processus conficiantur juxta stylum, & constitutiones ordinis, & illorum transumptum authenticum transmittatur ad singulos sex patres electos, qui per literas possint votum dare.

7. Sententia ejectionis fiat saltem de voto majoris partis sex patrum electorum.

8. In Indiis occidentalibus, orientalibus, nec non Germaniæ, & Flandriæ ex delegatione superioris generalis, possint commissarii, & visitatores ejicere fratres incorrigibiles, una cum sex patribus gravioribus pro unaquaque

Digitized by Google

que provincia eligendis in singulis capitulis, vel congregationibus. *Ita decretum anno 1625. ab eadem S. Congregatione.*

9. Tam in electionibus faciendis, quam in negotiis decidendis, ministri provinciales, deficiente præside, ad evitandam paritatem suffragiorum, quibus constant diffinitoria provincialia, habeant votum decisivum. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum.* Anno 1653.

10. Ministri provinciales, & diffinitores examinent diligenter eos, qui religionis habitum suscipere petierint, & per vota secreta approbent idoneos, non idoneos rejiciant; neque aliquis approbetur pro clerico, qui XV., nec pro laico, qui XX. ætatis suæ annum non expleverit. *Ad propagandam.* Anno II.

11. Examen, seu scrutinium scripto fideliter exaratum, & juramento firmatum, obsignatumque, transmittatur ad *commissarium generalem*, qui consultis procuratore curiæ, & aliquibus patribus gravioribus, & tam per eos, quam per literas familiares, & secretas inquisitiones a patribus provinciæ antiquioribus, & probioribus, investiget, an adversus examinatos, & approbatos inveniatur aliqua exceptio.

12. His peractis, superior generalis, consultis supradictis, eligat meliores, habita præsertim ratione indolis, morum, fervoris spiritus, acuminis ingenii, & conditionis natalium, & præelectorum nomina mittat ad ministrum provincialem, qui eos tantum ad habitum probationis suscipiat.

13. Novitii, qui a communitate fratrum conventus novitiatus, a duobus saltem mensibus ibi actu de familia exsistentium, quarto quoque mense, per secreta majoris partis suffragia, habiles inventi fuerint, elapso anno, post susceptum habitum ad professionem a ministro admittantur.

14. Si quis clericus, vel laicus, postquam receptus fuerit, ante professionem a religione discedat, vel expellatur, alius subrogari possit in ejus locum, servata forma præscripta.

15. Novitii post emissam professionem, si in conventu pro novitiatu assignato adsit locus secundi novitiatus, seu professorii, distinctus, & segregatus ab ea, quæ novitiorum est, atque antiquorum professorum habitatione, ibi collocentur, dummodo conventus eos alere possit.

16. Si eos alere non possit, transferantur in alium conventum ex designatis pro professorio, seu secundo novitiatu, ubi is locus cum requisitis ad novitiatum ipsum præscriptis repeniatur, vel accomodetur, vel de novo construatur.

17. In professoriis maneant sub regulis, & modo vivendi strictiori, quousque ad ætatem sacris ordinibus suscipiendis sufficientem pervenerint, saltem per triennium, quo etiam tempore possint literarum studiis operam navare sub directione, & regimine superioris, qui eas qualitates habeat, quibus magistrum novitiorum præditum esse oportet.

18. Guardianum, magistrum novitiorum, ac religiosorum familiam in conventibus novitiatus, & professorii constituat minister provincialis una cum diffinitoribus, ita tamen, ut antequam eam ibi collocet, certiorem reddat *commissarium generalem*, qui, con-

consultis supradictis, eamdem vel in toto, vel in parte confirmet, vel infirmet.

19. Non liceat ministro provinciali, aliquem ex dicta familia mutare, vel amovere, nisi ex magna, & urgenti necessitate, de consensu diffinitorii; quo in casu teneatur protinus de mutatione hujusmodi edocere *commissarium generalem*, cujus erit, eam approbare, vel reprobare.

20. In his conventibus non collocentur, nisi religiosi graves, devoti, exemplaris, ac regularis observantiæ, & puritatis regulæ studiosi, quique consentiant servare vitam communem exacte, ad regulæ præscriptum.

21. Qui in his contrafecerit, subsit pœnæ privationis officiorum, quæ obtinet, perpetuæ inhabilitatis ad alia obtinenda, & privationis vocis activæ, & passivæ, juxta decretum Clementis VIII. *Sanctissimus*. Anno 1599.

22. Non liceat fratribus reformatis missionariis missiones fundare, vel munus missionarii exercere in locis, in quibus fratres de familia habent conventum, domum, seu hospitium, & præcipue in tota planitie Albaniæ. At id possint in Albania montana. *Ex decreto S. Congreg. de Propaganda Fide*. Anno 1654.

23. Nullus archiepiscopus, episcopus, abbas, seu vicarius, vel persona alia quantumvis privilegiata, possit exercere aliquem actum jurisdictionis, seu superioritatis in locis, seu personis guardiano Hierosolymitano subjectis, ejusque curæ demandatis, absque licentia sedis apostolicæ, aut S. Congregationis decreto. *Ex eodem*. Anno 1655.

24. Nulli alterius ordinis religioso, præter fratres ordinis S. Francisci de observantia, liceat, occasione peregrinationis ad loca sancta, habitum seraphicæ religionis gestare, absque expressa licentia guardiani Hierosolymitani, sub pœna excommunicationis ipso facto, cæterisque, arbitrio S. Congregationis.

25. Omnes incedant sub proprio, aut peregrinorum habitu, ne exceptis quidem episcopis, & prælatis.

26. In conventibus tam primi, quam secundi novitiatus possint minister provincialis, & diffinitores eligere guardianos, & magistros, absque obligatione certiorem reddendi superiorem generalem de eorum nominatione. *Ex epist. protectoris ordinis*. Anno 1655.

27. Capitula provincialia provinciæ S. Antonii in regno Portugalliæ, ordinis minorum reformatorum, celebrentur, ac celebrari debeant in conventu S. Antonii de Castagnera, aut in alio ad id idoneo, extra tamen civitates. *Nuper*. Anno II.

28. In provinciis regni Galliarum omnes patres gaudeant voce activa, & passiva in omnibus capitulis, & congregationibus, non obstantibus literis Gregorii XV., & Urbani VIII. *Nuper*. Anno III.

29. Vicarius generalis Portugalliæ minorum de observantia, sit solummodo commissarius generalis provinciarum ejusdem regni, ad instar commissariorum nationum. *Alias*. Anno IV.

30. Superioribus sufficienti facultate ad id suffultis (capuccinis exceptis) liceat mulieres ad habitum tertii ordinis de pœnitentia S. Francisci recipere, atque ad ipsos eis habitum dandi officium pertineat. *Emanavit*. Anno II.

Digitized by Google

31. Missionarii minorum observantium in Hollandia (quod statuitur de aliis quoque regularibus, & patribus societatis Jesu) , quoad sacramentorum pastoralium , nimirum baptismi, matrimonii , & extremæ unctionis administrationem , subsint vicario apostolico specialiter delegato sedis apostolicæ, cujus ordinationi in functionibus pastoralibus se accommodent. *Dudum*. Anno IV.

32. Missionarii prædicti administrare possint sacramenta pastoralia simul cum sacerdotibus sæcularibus , sine aliqua restrictione ad casus necessitatis , vel dependentia ab illis; sed æqualiter , & cum sola facultate vicarii apostolici.

33. Vicarius eam facultatem tribuat iis , qui illam nondum habent, & iis , qui soli sunt, permittat, a superioribus adjungi socium , cui concedat similem facultatem administrandi pastoralia vel absolute , vel saltem in casu , quo alter ægrotaret, vel legitime impediretur , & libere in pagis vicinis , ubi major est necessitas . Si circa hæc difficultas oriatur , apostolicus nuntius in Belgio eam dirimat.

34. Superiores , si velint mutare aliquem fratrem , teneantur id indicare vicario, & , si velint submittere alium , ipsum quoque vicario , vel ejus subdelegato præsentent , saltem per literas cum descriptione qualitatum , si minus commode se sistere possint. Neque , sine evidenti necessitate , loca deserant; sed tum statim vicario cum causis significent.

35. Si vicarius expedire judicaverit , aliquem missionarium mutari ; significet ipsius superiori , ut avocetur, cum causis , quæ eum ad hoc movent ; & superiores in eo faciles se præbeant. Si inter eos conveniri non possit , penes nuntium sit determinatio.

36. Missionarii , qui a suis superioribus in illas provincias destinantur, se sistant vicario , aut ejus subdelegato , si commode fieri possit ; sin minus , saltem per literas admoneatur vicarius de eorum qualitatibus ; ipseque eos admittat , & destinet ad loca, quæ spirituali auxilio maxime indigere judicabit, in quibus tamen possint habere alimenta necessaria ; atque id sine ullo humano respectu , vel partialitate. In casu gravaminis , recurrantur ad nuntium .

37. Vicarius permittat, ut , si superiores missionariorum id petant , missionarii bini in singulis civitatibus, pagis, vel oppidis , ad quæ ab ipso mittentur , vivere possint. Si vicario non videatur expedire, ut ambo habeant facultatem administrandi sacramenta pastoralia , saltem id concedat alteri , in casu , quo prior sit legitime impeditus .

38. Non impediat vicarius , quominus ambo reliqua sacramenta administrent, & alia obeant consueta munia concionandi , catechizandi , confessiones audiendi &c.

39. Missionarii reverentiam , & respectum debitum exhibeant vicario , qui illos e contra paterno amore complectantur .

40. Sit , pro necessitate locorum , facilis vicarius in admittendis missionariis ad effectum excurrendi in vicinos pagos ; ideoque plures , uti in Domino videbitur , in illis civitatibus , & oppidis admittat, ex quibus facile in pagos excurrere possint, si in his ma-

Digitized by Google

manendi non detur commoditas.

41. Missionarii, singulis annis saltem, doceant vicarium per superiores suos, vel per literas proprias, de statu, & progressu religionis locorum illorum, in quibus laboraverint. Item ei mittant nomina baptizatorum, & patrinorum, ac eorum, quos matrimonio conjunxerint.

42. Vigeat pax, & fraterna charitas inter missionarios regulares, & sæculares. Neque ullus ex sæcularibus sacerdotibus aliquem regularium, neque e contra, in obeundis muniis ecclesiasticis, vel administrandis sacramentis impediat; omnesque inter se conferant de occurrentibus necessitatibus circa administrationem sacramentorum, & animarum salutem.

43. Si nihilominus iis inter eos oriatur, quoad muniorum pastoralium administrationem, prima instantia sit penes vicarium. In reliquis si regulares sint actores, similiter penes vicarium; si rei, penes nuntium.

44. Si superiores regulares velint mittere missionarios ad conciones faciendas, confessiones audiendas, catechizandum &c. præcipue si a catholicis vocentur, vel petantur, qui suis expensis eos alere velint; id concedatur, cum scitu vicarii, eoque magis, si a talibus petantur, qui ruri, vel in castellis morantur.

45. Vicarius non impediat, quominus missionarii publicent indulgentias suo ordini specialiter concessas. Si taliter concessæ non sint, eas missionarii non publicent, nisi de expresso consensu vicarii, & in casu difficultatis, judicium sit apud nuntium. Indulgentias universales curet vicarius, ut publicentur.

46. Permittat vicarius, ut missionarii instituant fraternitates approbatas, & eorum ordini assignatas, ita tamen, ut nemo adstringatur ad particulares confessarios, vel sacramenta ab eodem ordine solum percipienda.

47. Missionarii competenti sustentatione contenti sint, & abstineant ab exportatione eleemosynarum; neque exportent ornamenta, paramenta, indumenta, vasa, vel aliam ecclesiasticam supellectilem, aut sacras reliquias.

48. Quoad doctrinam, depositis altercationibus, omnes se accommodent ordinationi vicarii.

49. Iidem missionarii in Hollandia non possint cadavera catholicorum ante sepulturam benedicere, pro eorum animabus orare, & alias devotiones facere, nisi a parochis sint specialiter requisiti. *Ex decreto S. Congreg. de Propaganda Fide.* Anno 1653.

50. In locis, in quibus exsistunt missionarii apostolici unius ordinis, novam missionem aliorum religiosorum fundare non liceat, absque expressa licentia S. Congregationis, sub pœna privationis officii, privilegii, & facultatis, ipso facto. *Ex eodem*. Anno 1656.

51. Secretarii generales curiæ habeant præcedentiam super secretarium provincialem provinciæ Romanæ. *Alias*. Anno V.

52. In provinciis fratrum de observantia familiæ ultramontanæ nullus conventus aliorum regularium erigi possit infra spatium quatuor, vel quinque leucarum a jam erectis. *Alias*. Anno IX.

53. Fratres, & conventus tertii ordinis in Castellæ, Galleciæ, & Legionis regnis degentes sint exempti a ju-

Digitized by Google

risdictione ministri provincialis de observantia S. Jacobi, & subsint immediate ministro, & commissario generali familiæ ultramontanæ. *Nuper*. Anno IX.

54. Fratres de familia, & reformati familiæ cismontanæ vacantes exercitiis spiritualibus per octo dies, gaudeant plenaria indulgentia. *Cum sicut*. Anno V.

55. Commissarii visitatores tertii ordinis in Hispania nequeant assumi ex fratribus de observantia; sed assumantur ex fratribus ipsius tertii ordinis. *Exponi nobis*. Anno X.

56. Fratres familiæ ultramontanæ, qui ex domibus non recollectis transire voluerint ad recollectas, teneantur prius habere consensum in scriptis guardiani, & conventus, ad quem transire voluerint, qui consensus per vota secreta exquiratur, eoque obtento, licentiam petant a ministro provinciali, qui eam concedere non teneatur, nisi quando secundum Deum judicaverit expedire. *Alias*. Anno VII.

57. Procurator generalis de observantia legitime in comitiis electus præcedat actualem commissarium curiæ legitime pariter in eisdem comitiis electum. Habitualis vero commissarius prius electus præcedat habitualem procuratorem posterius electum; sic ut dicti procuratores, & commissarii habituales, inter se præcedant juxta antianitatem, sive institutionis, sive electionis in diversis comitiis. *Ad pastorale*. Anno V. *Huic legi derogatum est alia lege ejusdem pontificis*: Alias. Anno XI., *in qua statuitur, procuratorem generalem tam in actu, quam in habitu præcedentiam, cæteris paribus, habere super commissarium curiæ, non obstante prioritate, vel posterioritate electionis, vel institutionis*.

58. Religiosi, qui in provinciis S. Thomæ apostoli, & SS. Dei Genitricis Indiarum orientalium fuerunt parochi per tres annos, possint per aliud triennium subsequens in officio continuare, & diffinitores etiam valeant eligi in parochos, illarum ecclesiarum contra ac statutum fuit alias. *Debitum*. Anno V.

59. Nemo, qui, finito triennio patris modernioris, electus fuerit in custodem, vel diffinitorem, possit iterum eligi in ministrum provincialem, nisi ad minus per triennium vacaverit ab ingressu diffinitorii. *Alias*. Anno VI.

60. Sententiæ privationis vocis activæ, & passivæ, ac decreta inhabilitatis, quæ a superioribus ordinis feruntur, non promulgentur, aut pronuntientur in ipso electionis actu; ac eæ promulgatæ vocales non afficiant, nisi per mensem antea fuerint intimatæ. *Exponi nobis*. Anno VII.

61. Unus diffinitor generalis in capitulis eligatur alternatim ex provinciis recollectorum Galliæ. *Exponi nobis*. Anno VII.

62. Novitii conversi minorum de observantia possint agere annum probationis in conventibus assignatis pro professoriis. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1659.

63. Vetitæ sint inscriptiones omnes imaginum SS. Francisci, & Antonii, in quibus dicitur formam habitus, qua depicti sunt, esse eamdem, in qua ipsi fuerunt, vel in quibus asseritur, in hoc, vel illo ordine S. Francisci esse veram, legitimam, & non interruptam ejusdem Sancti in filios succes-

ceſſionem. *Ex decreto SS.* Anno 1663.

64. Actualibus vicariis minorum reformatorum, etiam præſente guardiano conventus, detur præcedentia ſupra lectores actuales theologiæ. *Ex decreto judicum deputatorum a miniſtro generali*. Anno 1657.

65. Minores conventuales teneantur jejunare in vigilia S. Antonii de Padua, quæ ſi inciderit in feſto Corporis Chriſti, jejunent feria quarta immediate feſtum hujuſmodi antecedente. *Ex decreto S. Congreg. Rituum*. Anno 1659.

66. In alloquutione prohibita cum monialibus comprehendatur etiam abbatiſſa. *Sacroſancti*. Anno IV.

67. In familia ciſmontana obſervantium, & reformatorum nulli eligantur diſcreti, qui votum habeant in capitulis provincialibus. *Sacroſancti*. Anno IV.

68. Procurator generalis reformatorum, præter ſecretarium, poſſit habere duos ſocios ejuſdem ordinis profeſſos, unum ſacerdotem, qui ei deſerviat pro ſcriba, alterum converſum, qui perſonæ ipſius procuratoris curam gerat, ipſique ſocii eum recognoſcant immediatum ſuperiorem, non miniſtrum provincialem, aut guardianum S. Franciſci Tranſtiberim. *Illius*. Anno V.

69. Spectet ad procuratorem generalem retinere, vel dimittere fratres forenſes, qui Romam eunt ad negotia peragenda, eiſque obedientias dare, quando aliqua ex cauſa commorari debent in aliquo conventu provinciæ Romanæ. Conventum vero aſſignet miniſter provinciæ, qui guardiano injungat, ut eoſdem forenſes recipiat.

70. Forenſes infra triduum ſui ingreſſus in Urbem ſubſint in omnibus procuratori generali. Elapſo triduo ſint ſubjecti guardiano conventus prædicti in iis, quæ correctionem, & regularem diſciplinam concernunt, ab eodemque guardiano, quemadmodum a procuratore licentiam petant, ſi a conventu exire voluerint.

71. Si procurator ſecum ducere voluerit extra conventum fratres forenſes, pro negotiis ad officium ſuum ſpectantibus, ii non teneantur petere licentiam a guardiano.

72. Fratres diſcalceati in Hiſpaniis nequeant tranſiere ad aliam religionem etiam arctiorem, niſi prius licentiam tranſeundi petierint in pleno diffinitorio, eamque obtinuerint per majorem partem ſuffragiorum. *Cum ſicut*. Anno IV.

73. Minores obſervantes provinciæ Valentiæ nequeant tranſire ad recollectos, niſi de licentia miniſtri provincialis, qui eam non concedat, niſi quando ſecundum Deum judicaverit expedire. *Alias*. Anno V.

74. Si in provinciis ſtrictioribus non remaneant ſeptem ſaltem fratres ex duodecim, ex quorum numero cuſtos, & diffinitores actuales eligi debent, eo in caſu eligi poſſint etiam reliqui, qui per ſolum triennium vacaverint. *Ex eodem*. Anno 1653.

75. Miniſter provincialis, deficiente præſide, habeat votum deciſivum in electionibus, ubi contingit paritas votorum. *Ex eodem*. Anno 1653.

76. Vacatio ſexennii ad electionem miniſtri provincialis, & diffinitorum intelligatur de annis capitularibus, ita ut tempus intercedens duo capitula ſit integra vacatio. *Ex eodem*. Anno 1653.

77. Ne-

77. Neque vicarius provincialis in miniſtrum, neque miniſter in vicarium, vel commiſſarium provincialem, neque vicarius in commiſſarium, vel vicarium provincialem eligi poſſint, niſi vacaverint ſaltem per triennium, *Ex eodem*. Anno 1654.

78. Si diffinitor reformatorum poſſit, & nolit intereſſe electionibus, nemo alius ſubrogetur in ejus locum. *Ex eodem*. Anno 1655.

79. Procurator generalis tam de obſervantia, quam reformatorum, & commiſſarius curiæ, poſt triennium, habeant perpetuo votum conſultivum, electivum, & deciſivum in quibusvis capitulis, & congregationibus ſuarum provinciarum. *Ratio juſtitiæ*. Anno VIII.

80. Pro receſſu reformatorum provinciæ Romanæ deſtinetur conventus S. Mariæ de Gratiis Ponticelli. *Eccleſia*. Anno VIII.

81. Cupientes eo ſe recipere, teneantur humiliter petere facultatem a miniſtro provinciali, qui eam non deneget, niſi ex cauſa rationabili.

82. Nemo ad id cogi poſſit, aut impediri, dummodo guardiano, & diſcretis poſt diligens examen videatur idoneus.

83. Cuſtodiat unusquisque regulam ſine gloſſa, vivatque obediens guardiano, provinciali, & ſuperioribus generalibus.

84. Nullus poſſit ad præſulatum, dignitatem, gradumve intra, vel extra religionem aſpirare, vel electus ad dignitatem aliquam illam ſuſcipere, ſine conſenſu guardiani, & diſcretorum ſui conventus; ſub pœna perpetuæ expulſionis ab illo.

85. Nemo ex conventu, ſine guardiani, diſcretorumque conſenſu, removeatur, abſque juſta cauſà; neque ſponte diſcedat, citra neceſſitatem, niſi poſt menſem a die, in quo primum abeundi facultatem a ſuperiore petierit. Et interim experiantur fratres de ipſorum ſocio, an inſtabilitate, vel alia tentatione ducatur, ut digredi velit, illumque Deo commendent.

86. In guardianum eligatur unus ex fratribus ejusdem conventus a provinciali cum diffinitorio, ſuffragiis ſecretis, approbandus a protectore ordinis, & miniſtro generali.

87. Fratrem diſcedere volentem, vel guardiani, & diſcretorum judicio minime idoneum, aut pacis perturbatorem, patres poſſint ad provincialem mittere, et apud eum inſtare, orantes, ut a conventu eum amoveant, aliumque in locum transferat. Provincialis pro ſua charitate provideat, & petentibus ſatisfaciat, niſi eidem aliud videatur ex rationabili cauſa.

88. Nemo in ſermonibus tum publicis, tum privatis, ſe, vel alios fratres conventus præferat cæteris in ſanctitate, probitate, & regulæ cuſtodia, eoque detrahat proximo. Sed humiliter vivat, ſervetque unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Prævaricatores ſeverius puniantur.

89. Liceat guardiano, cæterisque ſancire nova ſtatuta pro ſtrictiori vivendi ratione, dummodo non adverſentur ſacris canonibus, apoſtolicis conſtitutionibus, & generalibus ſtatutis reformatorum, eademque ſecretis ſuffragiis probari debeant, & ab omnibus obſervari.

90. In

90. In familia ultramontana electiones guardianorum, custodum, & proministrorum, fiant per secreta suffragia, & ballottationes, & in paritate votorum præses habeat votum decisivum. *Creditæ*. Anno VIII.

91. In provincia Romana reformatorum nemini competat jus præcedendi, nisi superioribus actualibus, & iis, qui officio ministri, vel commissarii generalium functi sunt. *Pastoralis*. Anno XI.

ANNO 1668. CLEMENS IX.

1. Decem saltem religiosi strictioris observantiæ in conventu S. Petri in Monte Aureo collocentur a superiore generali, qui linguæ Arabicæ, & controversiis vacent, curetque idem superior, ut eorum denarius numerus indiminutus semper remaneat. *Crediti*. Anno V.

2. Nonnisi fratres regulari disciplina, probitate morum, ac zelo gloriæ Dei præditos eligat, quique lectores, aut concionatores sint, aut saltem in morali theologia bene versati, utque validius labores missionum sustinere possint, nec minores sint annis XXV., nec trigesimum quintum excedant, firmaque gaudeant corporis valetudine.

3. Quo vero apostolicus missionum spiritus in totum prædictum ordinem diffundatur, non ex sola Italia, sed ex omnibus reformatæ familiæ provinciis eos accersere curet.

4. Ultra decem prædictos conceditur provinciæ Romanæ ministro, ut duos alios ex hac provincia possit adjungere, dummodo præfatis conditionibus sint prædit.

5. Post octo dierum lapsum a primo eorum in præfatum studium ingressu, intra quos ipsis è conventu egredi minime liceat, in manibus generalis, aut ab eo absente, ipsius vicarii, vel alterius ab eo deputandi juramentum emittant, illudque ad S. Congregationem transmittant.

6. In hoc studio ultra duos annos non morentur, nisi fortasse cum aliquo ob insignis spem præfectus censuerint lectores, protrahendam esse moram ad triennium, idque cum dispensatione in scriptis patris generalis, & S. Congregationis.

7. Habeatur de studentibus, dum in studio permanserint, eadem ratio, ac si hujus provinciæ fratres essent, tum circa præcedentiam juxta susceptionem habitus, tum circa reliqua eorumdem religiosis necessitatibus convenientia, de quibus guardianus non secus, ac reliquos sui conventus fratres eos providere tenebitur sub eisdem pœnis, quæ contra guardianos id ipsum suis fratribus præstare negligentes a statutis generalibus reformationis decretæ sunt.

8. Vestiarium curet generalis a propriis provincialibus eis tempore debito subministrari.

9. Restituantur studentibus duodecim cellæ alias ipsis assignatæ, videlicet decem, quæ sunt in dormitorio, quod respicit aquam Paulam; loco autem primæ, & ultimæ ejusdem dormitorii, quæ ob oscuritatem studio minus aptæ sunt, aliæ duæ idoneæ assignentur prædictis, quo fieri poterit propinquiores.

10. Concedat guardianus studentibus parvum hortum cum sua sera, ubi sejuncti ab aliis fratribus honeste refici, ac invicem in lingua cum lectoribus exercere queant.

11. Duo

Digitized by Google

11. Duo semper adsint in hoc studio lectores, alter Arabicæ linguæ, controversiarum alter a generali, vel ejus vicario electi, itaut nonnisi prævio examine, & confirmatione S. Congregationis admittantur.

12. Serio autem injungitur iisdem sedulitas, & assiduitas in lectionibus, repetitionibus, & exercitiis.

13. Fruantur lectores sic electi, & confirmati præcedentia, præeminentia, ac privilegiis, quibus lectores actuales theologiæ potiuntur.

14. Lector controversiarum binas singulis hebdomadibus tradat in scriptis lectiones controversiarum orientalium, & post vesperas earumdem habeat conferentias, frequentibusque exercitiis studentes instituat; singulis vero mensibus traditæ doctrinæ disputationes habeantur.

15. Lector linguæ Arabicæ ter in hebdomada legat, & rerum quas studentes docuerit repetitionem ab eisdem exigat, ac singulis diebus, quibus legere tenetur, per horam post vesperas auditores suos exerceat.

16. Prohibetur æque lectoribus, ac studentibus diebus lectionum e conventu egredi quacumque ex causa, etiam sub prætextu alium fratrem, tametsi superior sit, associandi, nisi expletis integre lectionibus, ac exercitiis ea die, quæ fieri debebant, aut consueverat.

17. Quod si guardianus viderit, vel minimum ea de causa iis detrahi, aut minus diligenter peragi, prohibeat prorsus egressum e conventu per totum diem lectionum.

18. Diebus vero festis, aut vacationum, liceat guardiano studentes devotionis, aut alia honesta causa, si ita expedire videbitur, foras mittere, dummodo ea die theses non habeantur, nec omnibus eadem die licentia concedatur.

19. Poterit itidem guardianus aliquando etiam diebus lectionis, si necessitas urgeat, eosdem studentes ad celebrandum extra propriam ecclesiam mittere, dummodo non omnes, sed aliqui tantum mittantur, nec frequenter fiat, nec ullo modo lectionis, aut exercitiorum tempore; eo autem casu illico expleta functione redire teneantur.

20. Ut lectores distractionibus submotis diligentius suis incumbant studio, ac lectionibus, prohibetur iisdem visitatoris, aut cujusvis alterius muneris onus assumere, aut quadragesimalium concionum tum intra, tum extra urbem cursus aggredi, quod etiam studentibus, durante studio interdicitur, tametsi non idcirco prohibeatur eisdem sermonem aliquem, aut concionem interdum infra annum habere ob aliquam occurrentem festivitatem, aut quadraginta horarum orationem.

21. A lectionibus, repetitionibus, ac exercitiis utriusque studii nemo prorsus ex studentibus quocumque titulo, aut colore eximatur, aut unquam permittatur abesse, & si quis neglexerit, a guardiano corrigatur, idemque fiat si prætermiserit exscribere ea, quæ a lectoribus traduntur, utque omnis plane tollatur excusationi locus tempore, quo scholæ, & exercitiis intersunt, nemini liceat eos inde evocare, & si aliquis evocetur, eum lector abire non permittat.

22. Lectiones tum contraversiarum, tum Arabicæ linguæ fiant de mane ad pri-

primam per integram horam juxta morem religionis.

23. Senis quibuscumque mensibus theses theologiæ Arabico, ac latino idiomate habeantur, uti prius consueverat; quibus sicut & controversiarum thesibus conventus guardianus interesse teneatur ad animos studentibus addendos, dignoscendosque eos, qui proficiunt, utque generalem ordinis monere possit de iis, qui forsan minus studio ejusmodi vacaverint, quo valeat, eis submotis, alios subrogare.

24. Removeatur omnino e conventu studium theologicum nuper illuc invectum; sub ejusmodi vero prohibitione minime intelligatur comprehensum artium studium, quod pro clericis inibi antea viguisse supponitur.

25. Quoniam vero parum prodest alumnis linguam ipsam addiscere, nisi in eisdem missionum, ac pietatis spiritus foveatur; ideo religiosus aliquis magni spiritus, ac zeli deputetur, qui ad ipsos coram aliis fratribus singulis mensibus concionem habeat, de missionariorum muneris præstantia, deque peculiaribus ejusdem functionibus, quo spiritus apostolicus in eis succendatur, ac maneat, & erudiantur in iis omnibus, quæ ad illud congrue, & cum Dei gloria peragendum pertinent.

26 Generalis ordinis, vel ejus vicarius, vel commissarius generalis singulis quatuor mensibus saltem studium istud omnino visitet, & si studentem aliquem minime proficientem invenerit, aliqua pœnitentia injuncta, qua alii ab assumpto munere negligendo abstineant, eum ad propriam provinciam redire jubeat, & eamdem sacram congregationem de remotione moneat, aliumque in remoti locum, quam primum subroget.

27. Ultra prædictam generalis visitationem secretarius itidem S. Congregationis ejusdem nomine idem studium omnino visitet bis in anno, se solo absque superiorum interventu, quo visitare liberius queat statum, & necessitates collegii exponere, adhibito secum dumtaxat aliquo Arabicæ linguæ perito, per quem possit alumnos examinare, & de eorum progressu certiorari.

28. Completo studio abeant studentes quo a S. Congregatione destinati fuerint; quod si nullus tunc temporis sit in promptu missionis locus, mittantur a generali ad inserviendum terræ sanctæ, quo magis firmentur in Arabica lingua, parati quum opus fuerit, S. Congregationi inservire, si eadem illos legitime impeditos non existimaverit.

29. Qui propria ipsorum culpa submovebuntur a studio, remittantur ad suas provincias cum privatione utriusque vocis, quæ nonnisi per S.Congregationem remitti poterit.

30. Ad hanc tamen pœnam non procedatur, nisi habitæ ipsius culpæ, ac causarum prudenti, ac discreta consideratione.

31. Discedentium post completum studium, aut quavis alia de causa teneatur guardianus infra dies octo notulam ad S. Congregationem trasmittere, sicut etiam eorum, qui de novo advenerint, & juramentum admiserint cum expressione diei, ac loci ad quem diriguntur.

32. Ut autem hujus ordinis religiosi aliquo etiam temporali præmio alliciantur, animosque fortius intendant, ad

Xx

ad libentius semetipsos dicandos sacro missionum ministerio, & consequenter etiam studio prædicto, veluti ad missiones ipsas directo, missionarii, ac respective studentes iis, qui sequuntur, potiantur privilegiis.

33. Studio Arabicæ linguæ peracto, si studentes lectorum suorum, aliorumque a S. Congregatione deputandorum judicio proficisse compertum fuerit, nec tunc temporis pro eis missionis occasio sese obtulerit, aut ob aliquam momenti causam loca sancta petere nequiverint, ad proprias remeant provincias, ibique morentur, donec S. Congregationis servitio adhibeantur, & interim minister provincialis eos collocet in principali aliquo provinciæ conventu eisdem grato, ex quo ipso generali inconsulto dimoveri nequeant.

34. Quod si interim a S. Congregatione missioni alicui destinati fuerint, vel a superiore generali missi ad loca sancta, illico vigore juramenti parere teneantur, alias plectantur arbitrio S. Congregationis.

35. Iis, qui in missione aliqua præfecti munere per sexennium laudabiliter perfuncti fuerint, liceat in reditu aliquem ex principalibus propriæ provinciæ conventibus sibi deligere, ac inter exprovinciales præcedentiam habere, dummodo saltem per duos annos ante, vel in eadem missione, vel in alia in statu simplicis missionarii inservierint.

36. Liceat pariter iis, qui commendabiliter duodecim annorum spatio S. Congregationi in missionibus inservierint, post reditum unum ex principalibus propriæ provinciæ conventibus sibi deligere, eorumque locus sit post ultimum definitorem, cæterosque, (si ibi adfuerint), qui alias missionis alicujus præfecti extiterint.

37. Facultate demum eligendi sibi conventum in reditu gaudeant. Insuper fratres ii, qui per annos quindecim terræ sanctæ inservierint, eodem gaudeant privilegio.

38. Missionarii, qui cum licentia S. Congregationis, vel præfecti ex locis missionum discedentes ad urbem se conferunt, propter negocia earumdem missionum, remaneant in conventu sancti Petri in Monte aureo, in quo habeantur tanquam si essent fratres de familia quoadusque per S. Congregationem expediti fuerint, quod quamprimum fieri curabit.

39. In eodem conventu commoretur procurator missionum durante ejus officio, qui habeat duos socios sibi gratos, ut eum adjuvent in gerendis negotiis missionum cum facultate illos mittendi extra conventum propter ipsarum missionum negocia, petita prius solita benedictione a superiore locali.

40. Ad munus procuratoris missionum in posterum nemo aligatur, nisi prius in eisdem missionibus laudabiliter inservierit per sexennium completum cum titulo præfecti, vel per decennium cum titulo missionarii.

ANNO 1670. CLEMENS X.

1. In conventibus S. Francisci Transtiberim, & S. Petri in Monte Aureo fratres exteri non commorentur ultra quindecim dies, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ a contrafacientibus subeunda tam subditis, quam superioribus, Quoad laicos vero, & conversos sub pœna carceris. *Cum felicis*. Anno II.

2. Præcedentia inter observantes computetur a tempore emissæ professionis,

Digitized by Google

ſionis, non a ſusceptione habitus. *Ex decreto S.Congr.Concilii*. Anno 1673.

3. Fratres de obſervantia, etiam presbyteri, medicinæ, & chirurgiæ periti, de licentia ſuorum ſuperiorum, poſſint artes hujusmodi exercere, ad commodum, & utilitatem Christianorum in locis Terræ Sanctæ. *Cum ſicut*, Anno I.

4. Iidem fratres in provinciis Hiſpaniarum poſſint eligere conſervatores non deſignatos in ſynodo diœceſana, in civitatibus, & locis; in quibus nulli ſunt judices ſynodales; ita tamen, ut conſervatorum facultas eo ipſo expiret, quum primum ſynodus celebrata fuerit, & in ea judices deſignati extiterint. *Nuper*. Anno II.

5. Fratres tam de obſervantia, quam reformati declarentur expoliati, & privati, omnibus indultis, & gratiis contra, aut præter ordinis conſtitutiones conceſſis, (exceptis confeſſariis, & concionatoribus imperatoris, ac regum). Quod ſi ſuperiores generales, ac provinciales prælati exſequutioni non mondaverint, ſubjaceant pœnæ excommunicationis, privationis officiorum, ac vocis activæ, paſſivæ. *Sacroſancti*. Anno III.

6. Superiores generales minorum de obſervantia habeant facultatem erigendi in eorum eccleſiis, confraternitates chordigerorum utriusque ſexus, dummodo in iis locis non exſtent conventus, vel eccleſiæ minorum conventualium. *Dudum*. Anno IV.

7. Confratres, & conſorores vere pœnitentes, confeſſi, & a ſacra communione refecti, qui aliquam eccleſiam eorumdem fratrum in feſtis ſacrorum Stigmatum S. Franciſci, S.Didaci, S.Petri de Alcantara, SS. Martyrum ejusdem ordinis, S. Ludovici Francorum regis, & S. Eliſabeth reginæ Hungariæ, a primis veſperis usque ad occaſum Solis diei ſequentis, ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi &c. lucrentur ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis.

8. Si miſſionarii non oſtenderint guardiano Hieroſolymitano, vel ejus vicario literas patentales, quum primum appulerint ad loca eidem guardiano ſubjecta, non liceat illis exercere munus parochiale, vel miſſionarii. *Ex Decreto S. Congreg. de Propaganda Fide*. Anno 1668.

ANNO 1676. INNOCENTIUS XI.

1. Omnes fratres de corpore obſervantiæ teneantur in conſcientia obſervare regulam, & præcepta a Nicolao III., & Clemente V. expoſita, & numerata; ac præcipuæ ad capitale præceptum de non recipiendis denariis per ſe, vel interpoſitam perſonam. *Sollicitudo*. Anno IV.

2. Aliarum rerum neceſſariarum poſſint ipſi habere uſum, licet non dominium; denariorum autem nec dominium, nec uſum.

3. Quæcumque contrectatio pecuniæ, ſeu denariorum, quæ non ſit pure naturalis, ſeu quæ ſit quovis modo politica, cujuscumque domini ſint denarii, vel pecunia, fratribus de obſervantia ſit omnino prohibitus.

4. Non prohibeatur tamen apud ipſos uſus ſindici apoſtolici, quum id non ſit diſpenſatio in regula.

5. Nemo admittatur ad profeſſionem regularem, niſi prius examinatus ſit de intellectu regulæ, & præceptorum ejus; & niſi deinde immediate coram tota communitate fiat ei proteſtatio,

Digitized by Google

statio, quod ad observantiam regularem obligetur in professione, eamque protestationem is admittat.

6. Electio in prælatum ejus, qui communem observantiæ vitam non sequitur, irritetur a superiore generali, capta informatione extrajudiciali pro sua conscientia, sine strepitu judicii, de consilio, & assensu trium fratrum, qui ministri provinciales, seu saltem diffinitores provinciæ sint, vel fuerint.

7. Superiores nemini permittant administrationem bonorum, redituum &c. cujuscumque domini illa sint, & signanter administrationem bonorum temporalium monasterii alicujus monialium, sub quovis prætextu.

8. Nemo possit se intromittere in parochiis, seu capellis ad patres Terræ Sanctæ spectantibus, aut aliquid in ipsis tentare, seque immiscere in jurisdictione guardiani, & functionibus parochialibus, tam circa baptismum, matrimonium, ejus publicationes, extremam unctionem, quam administrationem viatici, publicationem festorum, exequias &c. *Ex decreto S. Congreg. de Propaganda Fide*. Anno 1681.

9. De consensu parochorum, in parochiis, & jurisdictione fratrum Terræ Sanctæ, possint alii crucem erigere, & cum cotta, & stola incedere.

10. Idem consensus requiratur, ut missionarii, aut capellani possint conservare, aut exponere S. Eucharistiam in eorum domibus, vel oratoriis.

11. In festo Corporis Christi nulla alia fiat processio, quam in parochia, ubi debent intervenire omnes ecclesiastici latini ritus; & tollatur abusus capucinorum Cypri, qui eodem die, & tempore illam faciebant, transferendo eamdem in diem aliam infra octavam.

12. Si missionarii aliquem convertant ad fidem, ipsum intra mensem notificent parocho, qui ipsum describet in libro parochiali, ut deinceps subsit jurisdictioni parochi, & ab eo sacramenta parochialia recipiat.

13. Tempore, quo in ecclesia parochiali conciones habentur, vel fiunt aliæ functiones parochiales a patribus Terræ Sanctæ; non possint missionarii prædicare verbum Dei, vel aliam devotionem congregatim facere.

14. Si contingat, aliquem sacerdotem advenam velle missam celebrare, vel confessiones audire, patres Terræ Sanctæ servent in his decreta, & privilegia custodiæ concessa.

15. Commissarius curiæ, seu procurator generalis respective, nullam habeat jurisdictionem in commissarium generalem Terræ Sanctæ, ejusque socium in Urbe. *Ex eodem*. Ann. 1686.

16. Quoad disciplinam regularem subsit commissarius Terræ Sanctæ superiori generali, & illo absente guardiano conventus, gaudeatque privilegiis sibi antea concessis.

17. Nemo recipiatur ad habitum, nisi prius plene informatus sit de præceptis regulæ obligantibus in conscientia, & prævia hac notitia velit probationem subire. *Solicitudo*. Anno IV.

18. Lectores jubilati possint recipere, aperire, & exsequutioni mandare quascumque literas per officium pœnitentiariæ apostolicæ expeditas, gaudeantque privilegiis, quibus gaudent doctores artium, & magistri aliorum ordinum regularium. *Exponi nobis*. Anno IV.

19. Electionibus abbatissarum nequeant

Digitized by Google

queant interesse, nisi superior ordinis, & vicarius generalis episcopi, exclusis omnino notariis curiæ episcopalis, qui, durante scrutinio ne in ecclesia quidem manere possint. *Ex decreto S.Congr. Concilii*. Anno 1677.

20. Guardianus principalioris conventus provinciæ suæ post biennium officii, præcedat omnes sacerdotes, etiam habitu antiquiores, qui trigesimum annum religionis non compleverint, aut qui illum, incœpto quinquagesimo ætatis anno non attigerint, habeatque præcedentiam in singulis suæ provinciæ conventibus. *Ex decreto ministri generalis*. Anno 1679.

21. Eleemosynæ confessariorum monialium pertineant ad conventum, in quo ipsi reperiuntur de familia. *Ex decreto commissarii generalis*. Anno 1679.

22. Proventus ex custodia salariæ in urbe pertineant ad conventum Aracælitanum, in beneficium signanter communitatis pannorum lineorum, & guardianus dicti conventus, sub pœna privationis officii, provideat occurrentia patri deputato salariæ. *Ex eodem*. Anno 1679.

23. Superiores provinciales, locales, eorumque subditi, sub pœna privationis officiorum, non permittant, aut consentiant, ut sæculares ingrediantur septa conventuum, exceptis sindicis apostolicis, deferendo per sylvas, hortos, & prata sclopos ad venandum, seu alia armorum genera, vel illa deponendo apud superiores, aut subditos, pariterque eos ludere per claustra, aliaque loca publica, seu privata, & convivere, ac pernoctare in conventibus ultra triduum, tantum piæ hospitalitatis titulo. *Ex decreto S. Congr. Episcop.* Anno 1679., & anno 1699. approbato ab eodem pontifice: *Emanavit*. Anno 1685.

24. Nemo sive superior, sive subditus, sub pœna privationis officiorum, mutuas dare possit supellectiles ecclesiasticas, sine consensu saltem ultra duarum partium totius capituli cujuslibet respective conventus, singulis vicibus per secreta suffragia præstando, & confirmando a ministro provinciæ. *Ex eodem*. Anno 1680.

25. In conventibus recollectionis exacte observentur ab omnibus constitutiones generales. *Militantis*. Anno IV.

26. Officium divinum persolvatur indispensabiliter statutis horis, graviter, & devote, & matutinum media nocte semper dicatur.

27. Oratio mentalis fiat quotidie per unam horam post matutinum, per dimidiam horam post primam, per unam horam post completorium. Hora orationis faciendæ post matutinum a Resurrectione usque ad Exaltationem S. Crucis fiat post sextam ante prandium.

28. Lectio spiritualis, & silentium in refectorio nulla causa unquam dispensetur. In dormitoriis vero, claustris, & sacristia, si opus fuerit, fratres loquantur submissa voce.

29. In claustro inferiori honeste disponatur camera, in qua recipiantur sæculares pro rebus necessariis, qui non admittantur ad interiora conventus, nisi fuerint ipsius conventus officiales.

30. Sine expressa licentia guardiani, nemo sit exemptus a communitate chori, & refectorii.

31. Tribus diebus in hebdomada,

nempe

Digitized by Google

nempe feria secunda, quarta, & sabato, post vesperas immediate, assistentibus prælato, & cæteris fratribus, habeatur lectio expositionis regulæ, aut theologiæ mysticæ, ita ut ex prædictis diebus, duobus exponatur regula, altero de theologia mystica, aut vita spirituali tractetur.

32. Lector harum facultatum sit exemptus ab hora primæ, & oratione post ipsam. Poterit etiam post expositionem regulæ explicare decalogum pro instructione juvenum.

33. Semel ad minus in mense feria sexta post completorium guardianus habeat capitulum culparum, juxta methodum constitutionum generalium, habita ad fratres spirituali collatione.

34. Guardianus provideat de omnibus necessariis fratres suos, qui nihil retineant ad usum sine expressa ejus licentia, nec recurrant ad benefactores, atque amicos spirituales.

35. Aditus cellæ singulorum pateat semper superiori, qui non permittat, ut fratres habeant aliquid clausum, aut supellectilem non necessariam.

36. Religiosi omnes habeant usum duarum tunicarum talarium, unam cum, alteram sine caputio, exclusis omninò sudariis, & aliis in regula non concessis.

37. Nemo causa recreationis, vel cujuscumque negotii, divertat ad prædictos conventus, nisi aliquis ad spiritualia exercitia per aliquot dies facienda, cum sequela omnium communitatum, & rigoribus vitæ recollectæ, admitti voluerit.

38. Præter officiales pro interiori gubernio necessarios, collocentur in easdem conventibus laici spirituales, & devoti, qui eleemosynas petant.

39. Fratres choro addicti raro exeant extra conventum, nec unquam, nisi duo extra ipsum esse possint. Novitiis vero, & clericis non permittatur licentia exeundi, nisi in communitate, sub pœna privationis officii eam concedenti.

40. Si disciplina regularis exacte non observetur in iis conventibus, provinciæ careant facultate induendi novitios. Eademque facultate careant provinciæ reformatorum, nisi indubie constiterit, reformationis regulas in iisdem adamussim observari.

41. In provinciis reformatorum guardianatus, aliaque officia distribuantur juxta rationem meritorum, & bonum provinciæ, nullo habito respectu ad patres quoscumque, sub pœna provinciali aliter proponenti suspensionis ab officio per semestre, patribus autem sive de corpore diffinitorii, sive extra illud, exigentibus guardianatum, aut aliud officium suæ satisfactionis, sub pœna proprietarii.

42. Nemo eorum sive prælatus, sive subditus, sub pœna privationis actuum legitimorum per sexennium, habeat ad usum suum plusquam unam cellam, & guardiani, sub pœna privationis officii, assignent alteri religioso subdito cellas patrum, qui in conventu suo de familia non morantur. Minister provincialis hæc observari non faciens, sit officio suspensus per sex menses.

43. Nemo eorum eligatur in prælatum, qui communem vitam non sequatur in omnibus, vel sequi non possit, vel is, qui aliquando visus sit contrectare pecuniam, nisi saltem in hoc per triennium sit emendatus. Electio aliter facta irritetur a prælato generali,

Digitized by Google

nerali, capta informatione extrajudiciali, cum consilio, & assensu trium patrum, qui provinciales, aut ad minus diffinitores provinciæ sint, vel fuerint.

44. Electores, sub pœna non suffragandi, ante electionem ministri, custodis, & diffinitorum, jurent sigillatim coram imagine Crucifixi, præsente præside, se electuros digniorem.

45. Guardiani provideant subditos de singulis necessariis; alias in congregatione, aut capitulo proximo, amoveantur ab officio.

46. Non concedatur eisdem reformatis licentia induendi novitios, nisi ministrorum testimonio constiterit, in provinciis plures fratres non reperiri, quam qui ex consuetis elemosynis in unoquoque conventu sustentari possunt.

47. In conventibus S. Mariæ de Gratiis Ponticellorum, S. Angeli de Montorio, SS.Cosmæ, & Damiani de Vicovario, & S. Bonaventuræ de Urbe, serventur constitutiones generales reformatorum, & insuper statuta particularia. *Debitum*. Anno VI.

48. Iidem conventus sint perpetuo inseparabiles a provincia Romana, & subsint ministro provinciali, qui nequeat immutare statuta recollectionis, aliasque laudabiles consuetudines.

49. Fratres, qui ab iisdem abire voluerint, redeant in provincias, quarum sint filii vel susceptione habitus, vel incorporatione. Qui habitum susceperunt in conventibus recessus nequeant discedere, absque dispensatione protectoris ordinis.

50. Guardianus conventus S. Bonaventuræ de Urbe, ut primus director conventuum aliorum, possit, independenter a ministro provinciali, semel, vel pluries in anno, visitare præfatos conventus, absque præjudicio auctoritatis ministri ipsius, qui & ipse visitationem peragat ad arbitrium.

51. Possit guardianus in sua visitatione corrigere abusus, & punire leves culpas. Graviores, præsertim si judicii formam exigant, puniantur a ministro, & diffinitoribus.

52. Si religiosus aliquis mittendus sit ab uno conventu in alium, guardianus prædictus licentiam petat a ministro provinciali, qui eam non deneget.

53. Si mitti debeat extra conventus recessus, minister eum amoveat, nisi secus ei videatur ex rationabili causa, & in dubio standum sit judicio protectoris ordinis.

54. In conventu S. Angeli de Montorio octo sint sacerdotes, & clerici, ac quatuor laici. In conventu SS. Cosmæ, & Damiani de Vicovario decem sacerdotes, & clerici, ac sex laici. In conventu S. Mariæ de Gratiis Ponticellorum octo sacerdotes, & clerici, ac quinque laici, exceptis novitiis.

55. Absque licentia speciali protectoris ordinis, nemo a provincia reformata Romana admittatur supra hunc numerum in conventus, eidemque protectori relinquatur judicium de causa, quam minister habuerit denegandi transitum iis, qui transire voluerint ad recessum a præfata provincia.

56. Pro novitiatu inserviat conventus S. Mariæ de Gratiis Ponticellorum. Receptio autem novitiorum fiat, tempore a protectore ordini determinando, a diffinitorio provinciæ, juxta notam, quam exhibebunt guardianus, & di-

Digitized by Google

& discreti conventus S. Bonaventuræ, dummodo præsentati habiles inveniantur secundum constitutiones apostolicas, & statuta reformatorum.

57. Eadem statuta observentur, dum novitii admittendi sunt ad professionem, vel dimittendi. Quod si probationis tempore novitius notabiliter deliquerit, ejiciatur arbitrio discretorum, & magistri.

58. Non recipiantur alumni aliarum provinciarum, absque expressa licentia superoris generalis, aut protectoris ordinis.

59. Præcedentia inter fratres recessus, sit generatim loquendo, inter sacerdotes, & clericos, inter clericos, & laicos, vel conversos. *Ibidem*.

60. Qui acceptaverit per se, vel alium in ecclesia, vel conventu aliquo præfati recessus eleemosynas pecuniarias, puniatur ad normam statutorum generalium ordinis. *Ex decreto cardinalis protectoris*. Anno 1685.

61. Tertiarius, qui receperit pecuniam, expellatur a conventu. Si id egerit, fratris alicujus, vel superioris consilio, puniantur hi, ut proprietarii.

62. Superior, qui permiserit, ut fabricæ determinatum modum excedant, aut sumptuosiora convivia parentur pro fratribus, vel sæcularibus, suspendatur ab officio.

63. Qui quæstus causa missas celebraverit, vel conciones habuerit, aut unum, vel alterum permiserit, eidem suspensionis pœnæ subjaceat.

64. Superior localis, qui fecerit congregationes frumenti, vel in cœnobium introduxerit dolia ad vinum conservandum, etiam pro sæcularibus, ab officio suo sit suspensus, arbitrio guardiani S. Bonaventuræ.

65. Ejiciantur a conventibus recessus fratres inquieti, pacis perturbatores, inepti vitæ communi, vagantes sæpius per conventum, & officinas absque necessitate, sub pœua suspensionis officii guardiano, & discretis, qui id exsequi neglexerint.

66. Item ejiciantur qui nimium vini biberint, & apposita vini portione non contenti, biberint extra mensam. Qui vero missas, & divina officia non persolverint, vel permiserint, ea persolvi contra receptum ritum, vel expellantur, vel a celebratione suspendantur; quod si sit superior, ab officio suspendatur ad tempus, arbitrio guardiani S. Bonaventuræ, de consilio discretorum.

67. Item ejiciantur fratres indevoti, queruli, ad superiorum nutum non obedientes, quique sæpius admoniti de culpis suis se non emendaverint.

68. Mulieres non admittantur in ecclesia ad comedendum, vel in ipsa, aut sacristia ad pernoctandum, sub pœna suspensionis ab officio, si fuerit superior; si subditus, faciat disciplinam, & comedat in terra.

69. In conventu S. Angeli de Montorio non audiantur confessiones mulierum; præterquam in festis S. Michaelis Archangeli mense Majo, & Septembri; in die indulgentiæ Portiunculæ, & in casu veræ necessitatis judicandæ a superiore in sacra visitatione; sub pœna suspensionis officii, si fuerit superior; si subditus, puniatur disciplina, vel gravius, juxta excessus modum, arbitrio prælati.

70. Qui supplices libellos exhibuerit ad habendas eleemosynas panis, vini, aliarumque rerum, absque consensu guardiani, & discretorum, si ad-

Digitized by Google

admonitus se non correxerit, & agatur de re gravi, ejiciatur a recessu; secus, officio absolvatur.

71. Guardianus S. Bonaventuræ, qui sepulturam dederit sæcularibus defunctis in ecclesia sua, privetur officio. Si vero miserit sacerdotes ad celebrandum, audiendasve confessiones extra conventum, contra præscriptum harum constitutionum, sit suspensus ab officio, donec peragat spiritualia exercitia. Quod si se non correxerit, sit absolute suspensus.

72. Qui, favore alicujus, electus fuerit in guardianum, vel ascenderit ad alium gradum, dejiciatur officio. Pariter qui domicilium procuraverit in aliquo conventu, ad ipsum non mittatur, vel, si in eo jam fuerit, alibi collocetur.

73. Provideat de rebus necessariis infirmariæ tam conventum suum, quam alios extra urbem; necnon de candelis pro missis, de portione aliqua piscium sale conditorum, de vestiario, aliisque rebus, quæ extra urbem non reperiuntur.

74. Non sinat, ut religiosus alius pernoctet, etiam semel in conventu, absque inevitabili necessitate, de consensu discretorum; idemque consensus requiratur, si religiosus alius velit peragere spiritualia exercitia. Attamen possit notabilis, & insignis pater admitti ad prandium in communitate, si admitti postulaverit.

75. Superiores locales aliorum conventuum mittant ad conventum S. Bonaventuræ lanas, legumina, & ligna in usum fratrum.

76. Si refocillationem aliquis petat ab ostiario, hic superiorem consulat, qui jubeat, ut refocillatio ei detur, aut in refectorio extra communitatem, aut in cubiculo inferiori; secus, si guardianus fuerit, suspendatur officio ad arbitrium provincialis; si subditus, puniatur a guardiano.

77. Guardiani conventuum extra Urbem exhibeant hospitalitatem omnibus tam religiosis, quam sæcularibus, & in id incumbant sedulo, ut non introducantur abusus, & corruptelæ; alias puniantur a guardiano S. Bonaventuræ, vel a ministro provinciali in sacra visitatione.

78. Nemini liceat, alio nomine fratres appellare, quam proprio, & patriæ suæ, sub pœna publicæ correctionis, pro modo culpæ.

79. Guardianus S. Bonaventuræ, una cum discretis, possit diffinire difficultates omnes, si occurrant, in his statutis; nisi quæstio aliqua judicialis emergat, quo in casu mittat fratres, qui deliquerint, ad ministrum provincialem.

80. Sub pœna privationis officii, discreti teneantur charitative monere guardianum, si aut ipse, aut, ejus causa, alii fratres non vixerint ad normam horum statutorum. Si se non correxerit, certiorem reddant ministrum provincialem, qui nisi provideat, recurrant ad superiorem generalem, ac tandem, eo nihil agente, ad protectorem ordinis.

81. Unusquisque bis in anno peragat exercitia spiritualia, opemque, & favorem singulis præstent superiores locales.

82. Discretorium conventus S. Bonaventuræ componant guardianus, vicarius, & tres alii digniores, idest illi, qui post guardianum, & vicarium præcedunt aliis. In aliis conventibus

discretorium componatur a guardiano, vicario , & duobus aliis pariter dignioribus.

83. Neque superiores locales, neque subditi Romam accedant, absque licentia guardiani S.Bonaventuræ, cui omnino vetitum sit,fratres mittere extra conventum ad missas celebrandas,confessiones audiendas, aut assistentiam præstandam morti proximis. Neque id liceat guardianis aliorum conventuum, nisi in casu inevitabilis necessitatis, juxta prudens eorum judicium.

84. Possint tamen superiores locales fratribus suis licentiam dare exeundi interdum ad spiritualem recreationem. Guardianus vero S. Bonaventuræ singulis octo, vel quindecim diebus mittat fratres suos ad nosocomia, ut ægrotis inserviant, eos doceant doctrinam christianam, & confessiones audiant.

85. Nemo superiorum localium permittat, ut fratres sui comitentur alios fratres advenas, aut deferant literas prælatorum ad conventus; sed literæ hujusmodi deferantur a tertiario, vel sæculari aliquo devoto.

86. Superior generalis non det licentiam fratribus recessus adeundi aliquem locum, inconsulto guardiano S. Bonaventuræ, aut ab uno conventu in alium migrandi extra tempus capituli, vel congregationis.

87. Nemo aliarum provinciarum frater recipiatur in recessu, nisi postquam per integrum annum vitæ, quæ in eo ducitur, rigorem expertus fuerit, & idoneus habeatur eidem vitæ ducendæ. Præterea, si sit sacerdos, vel clericus, dispositionem ostendat excipiendi confessiones sæcularium, vel saltem inserviendi sacristiæ.

88. Si horum aliquis recipiatur, renuntiet, coram tota communitate, titulis omnibus, & appellationibus honorificis paternitatis.

89. Missæ omnes, (excepta illa, quæ singulis subbatis, die non impedita, celebrabitur in honorem SS.Conceptionis, itemque pro summo pontifice, cardinali protectore, aliisque benefactoribus), dicantur pro necessitatibus S. Matris Ecclesiæ, extirpatione hæresum, concordia inter principes christianos, & benefactoribus vivis, ac defunctis.

90. Pro aliqua peculiari persona devota possint dici tres, vel quatuor missæ in anno gratis, & amore, absque ulla temporali retributione. Et quilibet sacerdos, de licentia superioris toties quoties, possit pro seipso, ad spiritualem tantum consolationem, applicare duas missas, quolibet mense.

91. In obitu summi pontificis dicatur una missa solemnis defunctorum in singulis conventibus. Sacerdotes dicant quinque missas. Clerici, & laici communionem sumant, & lucrentur quinquies indulgentiam consuetam, applicandam per modum suffragii; nec ad aliud obligentur.

92. Idem fiat in obitu cardinalis protectoris, superiorum generalium, cujuslibet fratris de recessu, ac fratris hospitis, qui auctoritate superiorum generalium manserit in conventibus recessus.

93. In obitu patris, aut matris fratrum, cantetur una missa in singulis conventibus, quilibet sacerdos dicat unam missam, clerici nocturnum mortuorum, & laici centum *Pater*.

94. Singulis mensibus canatur una missa pro animabus fratrum decedentium

tium in conventibus receſſus, eorumque parentibus, & conſanguineis.

95. Diebus feſtis canatur miſſa, & officium divinum perſolvatur voce ſonora, idemque fiat diebus feriatis, excepto caſu, quod ſex fratres in choro non reperiantur; tunc enim miſſa, quamvis ſit dies feſtus, & officium dicantur ſubmiſſa voce.

96. Non exeant fratres ad funera, neque ad capellanias eccleſiarum, niſi in aliqua ſolemnitate, quæ peragitur in oppidis, & locis conventui proximioribus, ſi neceſſe fuerit ad prædicandum, vel excipiendas confeſſiones, &, ſi contigat, ut parochus ſit infirmus, aut alia de cauſa munus ſuum exſequi nequeat; quo in caſu poſſint mitti fratres bis, vel tertio tantum ad ſacrum faciendum.

97. Si quis voluerit, nudis pedibus incedere, ſomnumque capere ſuper tabulas, additis pellibus, aut ſacco paleis referto, id facere queat. Calceos ligneos ii ſumant, qui hortis, aut alibi occupantur, vel exire debent de conventu, ſi ſuperiori ita viſum fuerit.

98. Fratres omnes radi poſſint ſingulis tribus hebdomadis. Tonſura laicorum ſit altior digito ſuper auriculas; clericorum vero, duobus digitis, nec duorum digitorum latitudinem excedat, ſub pœna publicæ correctionis.

99. In conventibus adſint ſtudia præſertim theologiæ moralis. Nemo tamen ſeu ſtudens, ſeu lector, ſit exemptus ab officio chori, orationis mentalis, vel exercitiis aliis communitatis. Nec diſputationes fiant publice, vel cum ſtrepitu.

100. Non admittantur ſæculares ad comedendum in refectorio, niſi perſonæ qualificatæ, quibus id denegari non poſſit, ut medicus conventus, & procurator, ſeu ſindicus apoſtolicus, idque ſemel tantum, cum frugalitate, & modeſtia.

101. In conventibus non retineantur jumenta, vel boves; ſed adſint ſolum in ipſis dolia ad reponendum vinum, quod emendicatur. Neque habeantur mappæ lineæ ad abſtergendum, niſi pro infirmis, advenis, & iis, qui ſudore madidi domum revertuntur. Alii adhibeant pannos laneos, qui colorem habeant tunicæ.

102. Nemo adoretur pulverem *tabacci*, aut habeat clavem ad cellæ ſuæ oſtium claudendum; quod & guardianus ipſe obſervet, non interdicto ei tamen, ut armarium claudat, aut arcam, in qua ſervantur ſcripturæ, ſigillum conventus, & alia ſimilia.

103. Exceſſiva prandia non fiant, etiamſi dies recurrat ſolemnis, aut adveniant ſuperiores majores. De ſero autem carnes non apponantur, niſi raro; quod obſervetur etiam diebus quadrageſimas proxime antecedentibus.

104. Fratres deſtinati ad conquirendas eleemoſynas, aliique, nemini porrigant ſupplices libellos, ut illas habeant, abſque licentia guardiani, & diſcretorum. Nemo etiam, abſque eorumdem licentia, mittat, vel recipiat epiſtolas, ſub pœna, arbitrio ſuperioris, in quam & ipſe oſtiarius incurrat, ſi ſecus egiſſe repertus fuerit.

105. Conſtitutiones prædictæ legantur in communitate fratrum quotannis, diebus, ſecunda Januarii, prima Aprilis, prima Julii, & prima Octobris.

106. Guardianus, expleta lectione, exigat ab omnibus, præter novitios, & ter-

& tertiarios, schedulam transgressionum, quam singuli eodem die guardiano tradant. Ipse interim schedulas omnes legi faciat coram discretis, ex quorum consilio provideat. Discretus, qui in hoc egerit vel cum dolo, ac partium studio, vel cum crassa ignorantia, privetur officio, & alius loco ipsius substituatur.

107. Commissarii generales non amplius deputentur ad provincias Indiarum orientalium. *Ex debito*. Anno VII.

108. Pro iis, qui appellare voluerint a sententia provincialis, & diffinitorii, per eumdem ministrum, & diffinitorium in capitulo deputetur unus ex maturioribus, & doctioribus patribus, tamquam præses, qui cum duobus patribus graduatis appellanti non suspectis judicet diffinitive causas non provinciæ, ex qua ipse est, sed alterius. Et, si moriatur, vel quocumque modo deficiat, eligatur alter ejus loco etiam extra capitulum, & congregationem.

109. Commissarius ad visitandum assumatur non ex illa provincia, in qua capitulum est celebrandum, sed ex altera, proponendus prius una cum duobus aliis a ministro, ac diffinitorio, & patribus provinciæ, superiori generali, qui si quatuor mensibus ante celebrationem capituli non respondeat, tunc proponentes possint arbitrio suo eligere unum ex tribus.

110. Fratres recollecti in Hispania non sint exclusi a voce passiva ad provincialatum, & custodiatum ex eo, quod constitutiones ipsis præscribant unum diffinitorem. Assumpto autem provinciali, seu custode, vel utroque ex recollectis, ob convenientiam totius provinciæ, aut ob qualitatem personæ, debeat nihilominus dari eisdem recollectis suus diffinitor. *Emanavit*. Anno IX.

111. Oblatas eleemosynas prædicatores non recipiant per se, vel alios ullo modo, sub pœna proprietarii, & privationis actuum legitimorum per sexennium. Guardiani, quorum culpa contigerit, hanc legem non observari, eidem pœnæ subsint. Eleemosynæ vero integre transmittantur ad sindicos conventuum. *Exponi nobis*. Anno X.

112. Fratrum, qui moriuntur, libros ministri provinciales transmittant ad communes bibliothecas, sub pœna privationis officiorum. Libri autem in bibliothecis positi non alienentur, aut commutentur, sub pœna excommunicationis.

113. Privationi officiorum subjaceant iidem ministri, qui singulis annis ducentos ad minus aureos nummos, diffinitorum interventu, & consilio, de communibus eleemosynis, non applicaverit bibliothecis.

114. Instituantur in capitulis, & congregationibus bibliothecarii, qui sint vel prædicatores, vel universali, & competenti librorum notitia polleant, & nemini fratrum dent libros, nisi accepta schedula, quæ traditorum librorum numerum contineat ab iis, qui libris uti volunt, subsignata. Neque permittant usum librorum extra bibliothecas, nisi unius mensis spatio ad summum. Qui contrafecerint, si sint bibliothecarii, priventur officiis, sin alii, librorum participatione.

115. Qui furto substulerit librum a bibliothecis, incurrat sententiam excommunicationis summo pontifici reservatæ.

116. In

116. In qualibet provincia reformatorum antiquior frater ex illis, qui theologiam legerint, seu docuerint duodecim annos, connumeretur inter patres provinciæ, sive connumeratus declaretur. *Exponi nobis*. Anno X.

117. Loca Sancta Palæstinæ custodiantur, regantur, & gubernantur a fratribus observantibus, sicut antea. *Exponi nobis*. Anno X.

118. Sindici ordinis gaudeant privilegio fori in causis civilibus, criminalibus, & mixtis, etiam motis ante deputationem, seu institutionem eorum in sindicos, & nonnisi coram judicibus conservatoribus de justitia teneantur. *Alias*. Anno X.

119. Fratres ultramontani, qui Romæ quacumque ex causa morantur, sint subjecti officiali curiæ ultramontanæ, & teneantur communem vitam servare, divinisque officiis interesse. *Religionis*. Anno XII.

120. Abbatissæ monasteriorum ordinis, singulis annis, dum a ministro, vel commissario visitantur, debeant ab eisdem petere absolutionem ab officio, nedum verbo, sed etiam facto, eaque renuntiatio, si opus fuerit, acceptetur. *Exponi nobis*. Anno XII.

121. Sindici, seu oeconomi monasteriorum debeant reddere rationem bonorum, & expensarum eorumdem superioribus ordinis fratrum minorum.

122. In familia cismontana servetur alternativa inter observantes, & reformatos in electione commissarii generalis, sic ut una vice commissarius eligatur ex reformatis, altera ex observantibus. *Inter gravissimas*. Anno XII.

123. Conventualitates concessæ a superioribus generalibus, quacumque verborum forma, ad favorem religiosi assignati, vel assignandi in aliquo determinato conventu, sint omnino nullæ. At prælatus inferior religiosum removere non debeat, quin causam remotionis exponat superiori generali. Non liceat tamen subdito, qui removetur, vel ad horam contradicere. *Ex decreto S. Congr. Episcop.* Anno 1685.

124. Nemo sæcularium, absque legitima superiorum ordinis facultate, gestet habitum minorum cum mantello, vel sine, sub pœna carceris. Caputium vero concedi non possit a superioribus eisdem, neque etiam ab ordinariis locorum, aut nuntiis apostolicis. *Ex eodem*. Anno 1686.

125. Si in synodo provinciali, vel diœcesana nulli sint judices designati in conservatores regularium, liceat regularibus in conservatores deputare personas, quæ habent qualitates a sacris canonibus requisitas. *Ex decreto S. Congr. Concilii*. Anno ....

126. Commissarius generalis nationis Germano-Belgicæ in omnibus capitulis, & congregationibus provinciarum sibi subjectarum habeat votum, & præsidentiam. *Ex decreto ministri generalis*. Anno 1686.

127. Idem commissarius eligatur a ministro generali, cui ex eadem natione selecti quatuor patres præsententur, in quos major pars vocalium consenserit. *Ex eodem*. Anno 1688.

128. Agens in Urbe pro provinciis Germano-Belgicis eligatur, seu deputetur a sua natione. *Ex decreto S. Congr. Episcop.* Anno 1689.

ANNO 1689. ALEXANDER VIII.

1. Vicarius generalis ordinis eligi queat sine licentia sedis apostolicæ, & cardinalis protectoris. *Ex decreto patrum*,

trum,

trum, *quibus id judicandum commiſit protector ordinis*. Anno 1690.

2. Vicarius generalis compleat sexennium miniſtri generalis defuncti. *Ex eodem*.

ANNO 1691. INNOCENTIUS XII.

1. Protector ordinis nullam habeat facultatem ſtatuta condendi, vel condita immutandi, aut ſuſpendendi. *Chriſtifidelium*. Anno III.

2. Non poſſit etiam I. Prælatum, ſeu officialem quemcumque inſtituere, aut deſtituere, aut ab officio ſuſpendere, ac impedire, quominus officium exerceat.

II. Fratrem ad lectoratum, aut quamcumque lecturam, ſeu ſtudium, vel gradum promovere, aut promotos ab eis removere, ſeu etiam revocare.

III. Fratres de loco in locum mittere, aut mutare, ſive alicui eundi ad aliquod monaſterium, vel locum alium, vel domum, vel perſonam, licentiam dare.

IV. Aliquem punire de quocumque crimine, vel a pœna, ſeu pœnitentia liberare, aut eam minuere, augere, immutare.

V. Alicui locum, cameram, cellam, libros, vel alias res ordinis concedere, vel ejus uſui deputare; vel quemcumque per prælatos ordinis, aut alios deputatum quomodolibet amovere.

VI. De rebus, & correctione fratrum, niſi in caſibus contentis in regula, ſe intromittere non queat.

3. Subſint fratres correctioni protectoris, ſi communitas, vel generale capitulum in articulis regulæ, aut conſtitutionum ordinis deficiat.

4. Si quis fratrum contra hanc inhibitionem aliquid impetraverit, ipſo facto ſit ſuſpenſus ab officio, & privatus actibus legitimis.

5. Procurator generalis reformatorum eligatur de ſexennio in ſexennium in capitulo generali per vota vocalium familiæ ciſmontanæ reformatorum tantum, qui una cum miniſtro generali congregentur. *Cum nos*. Anno III.

6. Si officium procuratoris vacaverit ante expletum ſexennium, recurratur ad ſummum pontificem pro obtinenda proviſione.

7. De ſexennio quoque in ſexennium eligantur in capitulo generali procurator ordinis, & commiſſarius curiæ, ſuffragium ferentibus una cum miniſtro generali vocalibus illius familiæ tantum ciſmontanæ, vel ultramontanæ, ex qua iidem reſpective erunt aſſumendi. Et in caſu vacantiæ ante ſexennium, habeatur recurſus ad ſummum pontificem. *Sacroſancti*. Anno III.

8. Fratres minores tam de familia, quam reformati, ſint capaces legatorum bonorum mobilium, quæ unica ſolutione, ſeu præſtatione adimplentur, tam in pecunia numerata, quam in aliis ſpeciebus; dummodo legata ſint in quantitate moderata, & non in fraudem paupertatis. *Ex declaratione Sedis Apoſtolicæ*. Anno.

9. Nec per ſe, nec per interpoſitam perſonam poſſint eadem legata in judicio exigere, ſed per ſindicum ſedis apoſtolicæ tantum judicis officium implorare, dummodo erogentur in fratrum neceſſitates.

10. Extra judicium poſſint legata a fratribus accipi per ſeipſos, ſi in aliis ſpeciebus conſiſtant, & accipiantur in ea ſolum quantitate, quam vera, & imminens

minens eorum necessitas postulat. Res vero superfluæ, & pecuniæ a sindico tantum accipi queant, dum tamen id omne in fratrum necessitates convertatur.

11. Non liceat fabricæ S. Petri in hujusmodi legata bonorum mobilium se ingerere infra annum, ex quo dies legati cessit. Post annum ei id liceat ad præscriptum suarum facultatum.

12. Valeat legatum annui redditus factum sacristiæ, vel fabricæ ecclesiæ conventus fratrum tam de familia, quam reformatorum, nisi adsit excessus in quantitate.

13. Fratres nec per seipsos, nec per alios, præter sindicum apostolicum dumtaxat, possint in judicio exigere hujusmodi legata.

14. Convertantur annui redditus non in usus fratrum, sed in eos, quos testator præscripsit.

15. Fabrica S. Petri nec infra, nec post annum se ingerat in proprietate horum legatorum, cum hæredibus transigendo, aut alias disponendo de eorum proprietate. Possit autem se immiscere in præstationibus, seu fructibus ab anno decursis, & non solutis. Non autem infra annum, ex quo dies præstationis cessit.

16. Fratres tam de familia, quam reformatorum, non sint capaces legatorum annuorum, quæ fiunt adjecto onere celebrationis missarum, quorum jus manet apud fratres, & sunt ipsis directe relicta. Pro his nequeant in judicio experiri, aut judicis officium implorare.

17. Possint fratres illa accipere per modum eleemosynæ a sponte offerentibus, celebrando missas ad rationem rei acceptæ, citra ullam obligationem ad onus perpetuum, & dummodo prius protestentur, se illorum capaces non esse.

18. Solus sindicus apostolicus possit accipere hujusmodi legata, si in pecunia consistant, pro fratrum necessitatibus.

19. Nequeant fratres talia legata extinguere, aut illorum proprietatem vendere, & pretium erogare in usus fabricæ, vel sacristiæ.

20. Fabrica S. Petri possit, juxta præscriptum suarum facultatum, sibi vindicare eorumdem legatorum proprietatem cum onere missarum celebrandarum, tam elapso anno, quam antea, & similiter annuas præstationes decursas, & non solutas, tam post annum, quam antea.

21. Fratres tam de familia, quam reformatorum, non sint capaces legatorum, quæ fiunt sine aliquo onere, aut modo adjecto, nisi ad effectum illa extinguendi, sive illorum proprietatem, & pretium convertendi in usus fabricæ, vel sacristiæ.

22. Solus sindicus apostolicus possit petere in judicio illorum proprietatem, & illam convertere in usus fratrum.

23. Si fratres cœperint illorum annuas præstationes accipere, eo in casu decernatur, quod non liceat amplius fratribus eorum proprietatem vendere, & pretium erogare in usus fabricæ, vel sacristiæ. Ideoque agendum cum summo pontifice.

24. Fratres nullo modo possint in judicio exigere annuas eorumdem legatorum præstationes.

25. Teneantur protestari, se esse incapaces eorumdem legatorum. Ac possint, illa per modum eleemosynæ a spon-

Digitized by Google

a sponte dantibus accipere, etiam per seipsos, si in aliis speciebus consistant. Si consistant in pecunia, ea non accipiatur, nisi per sindicum apostolicum.

26. Hæredes nullam in foro conscientiæ habeant obligationem illa fratribus solvendi.

27. Fabrica S. Petri nullus jus habeat sibi vindicandi hujusmodi legatorum proprietatem, nisi elapso anno, juxta suas facultates, neque jus sibi vindicandi annuas præstationes, nisi ab anno decursas.

28. Hæ leges locum non habeant in legatis infra decennium, sed in iis tantum, quæ fiunt ad decem annos, & ultra.

29. Ministri provinciales diligenter inquirant de morigerata, & christiana conversatione admittendorum ad habitum, & exigant legales, & juratas attestationes parochi, præcipue quod instructionem doctrinæ christianæ, & ecclesiæ sacramenta frequentaverint. *Ex decreto ministri generalis ut apostolici reformatoris*. Anno 1695.

30. Eosdem admittendos ad habitum oretenus interrogent coram toto diffinitorio per se, vel alium asceticæ professionis expertum, de inspiratione divina, super id, quod petunt, an a parentibus, vel aliis fuerit eis persuasum hujusmodi vitæ genus.

31. Non recipiatur qui totam saltem grammaticam bene non calleat, suique profectus in ea, vel alia superiori arte liberali testimonium non deferat sui præceptoris legale, & juratum, asservandum in archivo una cum aliis ad novitium spectantibus testimonialibus literis.

32. Examinetur diligentissime super grammatica in pleno diffinitorio, & non per ministrum provincialem tantummodo, etiam de compromisso diffinitorii.

33. Non sufficiat, quod de vita, & moribus, ac de statu libero exhiberi consuevit testimonium, nisi expresse in eo dicatur, quod recipiendus non habeat parentes, & sorores, aut fratres impuberes, pauperes, & qui sine ipsius ope, utpote aliis filiis, vel majoribus fratribus, aut aliis sui curam habentibus destituti, vivere nullatenus possunt.

34. Probetur honestas parentum, aut cognationis non per terminos generales, sed per oppositionem in authenticis documentis coram toto diffinitorio verbatim perlegendis, conditionis genitorum, & consanguineorum in primo gradu, videlicet an sint doctores, nobiles, cives, mercatores, artifices &c.

35. Nemo recipiatur artis, vel conditionis vilis, vel infamis infamia juris, vel facti, qui genitores, vel consanguineos habeat bannitos, galeotas, vel extremo suplicio damnatos, vel satellites; sicut etiam nullus, cujus mater, soror, cognata, aut amita honestatis mala fama, vel publica suspicione laboret, seu aliquando laboraverit.

36. Dispensationes concedi solitæ a superiore generali pro tertiariis, donatis, & servitoribus conventuum, non valeant, ut aliquis ad clericalem habitum recipiatur, sed tantum ad laicalem.

37. Nullus officialis Romanæ curiæ, vel superior, sub pœna privationis officii ipso facto, consensum præbeat, ut aliquis contra formam prædictorum de-

Digitized by Google

decretorum, ab aliquo tribunali, vel summo pontifice gratiam extorqueat, vel obtineat, cujus vigore ad habitum clericalem admitti possit.

38. Sub eadem pœna nemo eorum consensum præbeat pro ascensu laici ad statum clericalem, sive is sit novitius, sive professus. Qui autem intra provincias Italiæ a statu laicali ad clericalem transierit, etiam legitimis ex facultatibus, sint inhabiles ad omnia ordinis officia, actusque legitimos, nec missam celebrent.

39. Promotus ad clericatum a statu laicali non permittatur ad sacros ordines promoveri, nisi prius documenta necessaria diffinitorio provinciæ authentice exhibuerit. Non possit vero sacramentales confessiones audire, sine licentia superioris generalis.

40. Nullæ sint ipso facto receptiones aliter factæ, quemadmodum & receptiones conversorum hebræorum, aut hæreticorum, si quid contra præsentium decretorum tenorem commissum fuerit. Receptores autem sint privati officiis, & inhabiles ad alia consequenda, omni remota appellatione. Insuper ex talium transgressionum reatu provinciæ ipsæ incurrant irremisibilem privationem vestiarii.

41. Novitii receptio, examen, & sindicatio authentica transmittatur ad prælatum generalem a diffinitorii provinciæ patribus, nec ab eodem prælato approbetur, nisi de consilio patrum ordinis, & congregationis ad hoc specialiter deputatæ.

42. Minores observantes non possint retinere capsulas pro conservandis eleemosynis missarum celebrandarum, licet earum retentio ab Innocentio XII. sit permissa aliis regularibus, ut ex decreto S. Congregationis Concilii. Anno 1708.

43. Nullus minister provincialis habeat jus suffragandi in electione vicarii generalis ordinis. *Ex decreto diffinitorii generalis*. Anno 1697.

44. Fratres fugitivi annuatim requirantur, & cogantur ad claustra reverti. *Ex decreto S. Congr. specialiter deputatæ*. Anno 1694.

45. Annus integer, qui præscribitur in pœnitentia, & jejunio ad ejiciendos incorrigibiles, restringatur ad sex menses continuos.

46. Facultas attributa generalibus prælatis de consilio, & assensu sex graviorum patrum eligendorum in singulis capitulis, & congregationibus generalibus, ad causas ejiciendorum, extendatur etiam ad provinciales, qui electis pariter in comitiis provincialibus sex gravibus patribus provinciæ, a generali confirmandis, de eorum consilio, & assensu causas hujusmodi cognoscant, ad effectum expellendi incorrigibiles, accedente approbatione prælati generalis.

47. Processus conficiantur juxta regulas, constitutiones, ordinationes, & stylum ordinis, donec aliter a S. Congregatione fuerit provisum.

48. Instante tempore capituli, vel congregationis provinciæ Romanæ reformatorum, guardianus conventus S. Bonaventuræ de Urbe convocet discretos suos, tractaturus mature cum illis super idoneitate patrum diversorum, qui in conventibus recessus commorantur, pro guardianatu ejusdem conventus. *Alias*. Anno V.

49. Quinque, vel sex de aptioribus ex illis assumptos præsentet toti communitati, quæ, simul cum discretis,

voce activa, & passiva præditis, per secreta suffragia, ac ballottationes, duos vel tres eligat præsentandos diffinitorio, ut unus ex eis ab eodem diffinitorio libere, & canonice in guardianum eligi valeat.

50. In paritate votorum, fiat novum scrutinium, dataque iterum paritate, recurratur ad superiorem generalem, qui ex illis duos, vel tres designabit, præsentandos eidem diffinitorio, quos judicaverit digniores.

51. Præsentationes guardianorum, vicariorum, & magistrorum novitiorum in conventibus aliis, fiant similiter post maturam discussionem habendam a præfatis discretis, duoque, vel tres ex illis præsententur, qui per secreta suffragia, & ballottationes habuerint pluralitatem votorum.

52. Præsentationes, & electiones aliter factæ sint nullæ, & devolvantur ad superiorem generalem, qui, utendo jure devolutivo in illo casu, & non alias, continere se debeat in eligendo infra numerum præsentatum a discretis.

53. Guardianus conventus S. Bonaventuræ possit præsentare, & nominare religiosos, pro singulis conventibus de familia collocandos, ministro provinciali, & diffinitorio, qui, spectata discreta, & oeconomica distributione, ipsam confirmabit.

54. Nemo, antequam dentur suffragia a communitate conventus S. Bonaventuræ faciat quascumque colligationes, subornationes, functiones &c., secus, ad arbitrium ministri, vel prælati generalis, gravissime puniatur.

55. Confessarii monialium electi in capitulis, seu congregationibus ordinis, aut admittantur per triennium ab episcopis, aut omnino rejiciantur. *Ex decreto S. Congr. Episc.* Anno 1696.

56. Ordinarii locorum possint visitare confraternitates laicorum erectas in ecclesiis regularium, respectu administrationis redditum; non autem respectu altarium, imaginum, sacrarum supellectilium, aliarumque rerum, quæ sunt superioribus regularibus demandatæ. *Ex eodem*. Anno ....

57. Procurator, seu sindicus fratrum gaudeat privilegio fori in causis civilibus, criminalibus, & mixtis, nec compelli possit ad exercenda munia publica communitatis, neque a quopiam molestari, nisi coram legitimo conservatore. *Ex decreto S. Congreg. Immunitatis*. Anno 1695.

58. Sindici, sive agentes monialium, qui gaudent privilegio fori, sint exempti a represaliis. *Ex eodem*. Anno 1695.

59. Sindicus fratrum sit exemptus ab oneribus communitativis. *Ex decreto S. Congr. Boni Regiminis*. Anno 1698. Hanc tamen sententiam abrogavit eadem S. Congregatio, edicens, *Sindicos teneri ad onera communitativa.*

60. Fratres obtenta licentia ab ordinariis locorum faciendi processiones, etiam extra limites conventuum, cum statua, aut reliquia alicujus sancti, possint uti pluviali, ususque pluvialis non sit signum jurisdictionis. *Ex decreto S. Rituum Congr.* Anno 1699.

61. Advenarum cellæ in conventu Aracæli nemini dentur, nisi advenis ipsis hospitii causa, neque ad usus alios inserviant, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ prælatis contrafacientibus. Unam ex eisdem cellis habere possit prælatus generalis, si expleto officio ibidem residere velit.

Ex

Ex decreto S. Congr. Episcoporum. Anno 1697.

62. Commissarius curiæ, seu quisvis alius habens votum in capitulo generali, si eodem tempore sit minister provinciæ, habeat non duplex votum in capitulo, sed unum tantum. Provinciæ autem indulgendum, ut alium eligat, qui loco ministri ejusdem in capitulo suffragium ferat. *Ex eodem*. Anno 1700.

ANNO 1700. CLEMENS XI.

1. Liceat ministro generali assumere tertium secretarium linguarum. *Ex decreto Cardinalis protectoris*. Anno 1702.

2. Missionarii reformatorum post servitium in missione Æthiopica per duodecim annos perseveranter, & laudabiliter præstitum, reversi in provincias suas gaudeant prærogativis exprovincialium, sic ut inter ipsos exmissionarios, & exprovinciales servetur æqualitas, & quoad ordinem præcedentiæ sola prioritas, seu antianitas paternitatis attendatur. *Iustitiæ*. Anno IV.

3. Instituatur Romæ procurator generalis pro discalceatis, & recollectis, cum socio, qui ei inserviat in munere secretarii. *Alias*. Anno V.

4. Ejus officium duret per sexennium ab uno capitulo generali in aliud, isque res peragat omnium discalceatorum, & recollectorum Hispaniæ, Italiæ, Galliæ, aliarumque provinciarum, exceptis Germano-Belgicis, quæ remaneant sub procuratore generali observantium, & Poloniæ, Bohemiæ, atque aliis, quæ hactenus fuerunt sub procuratore generali reformatorum, sub quo remanere debeant; eique nullum præjudicium inferatur, sed præcedentia, aliaque jura illæsa serventur.

5. Una vice procurator assumatur ex recollectis, altera ex discalceatis, & eligatur in capitulo generali ab eorum vocalibus per schedulas, & vota secreta, nemine proponente. Socius vero procuratoris secretarii munere functurus quum procurator erit recollectis, assumatur ex discalceatis, & quum erit ex discalceatis, assumatur ex recollectis.

6. Munus procuratoris ejusdem sit in omnibus omnino simile muneri procuratoris generalis reformatorum cismontanæ familiæ.

7. Si gravi aliqua ex causa prorogari contingat capitulum generale post sexennii terminum, possit quidem prorogari officium ministri generalis, procuratoris, commissarii curiæ, & diffinitorum generalium. Quoad vero commissarium generalem cismontanum is officio absolvatur, & eligantur duo vicecommissarii generales, unum de observantibus, alter de reformatis, qui suis fratribus respective præsint. *Cum sicut*. Anno VI.

8. Vicecommissarii generales habeant votum in capitulo generali, & in omnibus capitulis, & congregationibus provincialibus, sintque perpetui discreti familiæ cismontanæ. *Cum sicut*. Anno VII.

9. Ministri provinciales, & guardiani possint licite suos subditos intra septa conventuum delinquentes, & contumaces transferre ab ecclesiis eorum respective conventuum ad carceres claustrales. *Ex decreto S. Congr. Immunitatis*. Anno 1734. *Indultum postea fuit reductum ad terminos juris cum dependentia superiorum regularium*;

 qui

Digitized by Google

qui delinquentes ab eccleſiis extrahere voluerint, ab ordinariis locorum.

10. Agens nationis Germano-Belgicæ habeat in conventu Aracæli manſiones ſibi, & ſucceſſoribus ſuis conſtitutas, & expleto ſexennio obtineat præmium taxatum per ſuam nationem. *Ex decreto S. Congr. Episcop.* Anno 1704.

11. Religioſi, qui Romam adveniunt a locis Terræ Sanctæ, ſubſint immediate juriſdictioni commiſſarii generalis Terræ Sanctæ, non procuratoris, aut commiſſarii curiæ. Quoad mores vero, & regularem diſciplinam ſint ſubjecti ſuperiori locali conventus Aracælitani. *Ex decreto S. Congr. de Propaganda Fide*. Anno 1706.

12. Superior generalis eligat duodecim religioſos idoneos ex quibuslibet provinciis, non minores annis XXV., nec XXX. majores, qui miſſionibus operam præſtare voluerint, eosque collocet in collegio, vel ſeminario S. Bartholomæi in Inſula de Urbe. *Commiſſi*. Anno 1710.

13. Liceat lectoribus jubilatis, & ſexennalibus theologiæ, dummodo quadrageſimum annum non excedant, & robuſta polleant corporis valetudine, in collegio recipi pro obeundis miſſionibus. Alii juvenes ſint tales, ut theologiæ curſum compleverint, ac lectores, ſeu concionatores fuerint, aut ſaltem in theologia morali bene verſati.

14. Miniſtri provinciales, guardiani, aliique nequeant retrahere eos, qui miſſionibus cupiunt ſe adjicere, et, ſi ſecus fecerint, etiam ſuaſione, ac conſilio, ſubſint pœnæ privationis vocis activæ, & paſſivæ, aliiſque arbitrio S. Congregationis de Propaganda Fide.

15. In ingreſſu ſinguli faciant exercitia ſpiritualia per decem, aut ſaltem octo dies, & deinde immediate in manibus ſuperioris generalis ciſmontani præſtent juramentum, ſe non diſceſſuros a collegio, niſi ex legitima cauſa admittenda ab ipſo ſuperiore generali, & tandem ituros ad fidem catholicam propagandam in quaſcumque terras, arbitrio ipſius generalis. Juramentum tranſmittatur ad S. Congregationem.

16. In collegio permaneant ſpatio duorum annorum, & non ultra; niſi fortaſſe cum aliquo, ob inſignis ſpem profectûs, vel aliam legitimam cauſam, cenſuerint lectores, protrahendum eſſe moram ad triennium; idque cum diſpenſatione ſuperioris generalis ciſmontani, & S. Congregationis.

17. In omnibus collegiales, & eorum lectores ſubſint obedientiæ guardiani, & ſuperiorum ordinis reſpective, ſicut cæteri de familia, & conſiderentur tamquam fratres provinciæ Romanæ. Si qui fuerint inter eos lectores jubilati, gaudeant præcedentia, & præeminentia ipſis competente. Idem ſit de lectoribus ſexennalibus, quorum ſi aliqui in propria provincia locum non habeant, ſint immediate poſt ultimum aggregatum de numero.

18. Cuique ſtudentium veſtiarium detur a propria provincia. Eorum ſex ſubminiſtrentur neceſſitates ex pecuniis Terræ Sanctæ; aliis ſex a guardiano dicti conventus. Lectoribus autem tam veſtiarium, quam neceſſitates ſubminiſtrentur ex pecuniis præfatis.

19. In collegio adſint duo lectores, unus contraverſiarum, & alter linguæ

Ara-

Arabicæ. Possit vero superior generalis tertium addere pro lingua Illyrica.

20. Lector controversiarum si fuerit lector jubilatus de non numero, habeat præcedentiam inter lectores jubilatos de numero, ultimo loco. Si fuerit lector sexennalis, inter exdiffinitores.

21. Eadem præcedentia gaudeant lectores linguarum, si fuerit jubilati, vel sexennales. Si instituti tantum fuerint lectores theologi, sedeant inter exdiffinitores juxta antianitatem habitus. Si non sint lectores theologi, & XXX. annum compleverint, immediate post vicarium; si non compleverint eumdem annum, inter lectores artium cum prærogativis secundum morem, & statum ordinis.

22. Lector controversiarum binas ad minus singulis hebdomadis, tradat in scriptis lectiones utiles pro locis Terræ Sanctæ, & missionum aliarum, & post vesperas earumdem agat conferentiam. Singulis vero mensibus habeat disputationes de tradita doctrina, cum interventu aliorum lectorum, & fratrum ejusdem conventus.

23. Lectores linguarum legant ter in hebdomada, & repetitionem a studentibus exigant per horam post vesperas, singulis diebus, quibus legerint.

24. Nec studentes, nec lectores possint egredi a conventu, diebus lectionum, nisi ex, & exercitia, quæ fieri debent, integre sint expleta. Idem observetur diebus, quibus habentur theses, & in hoc guardianus sedulo incumbat.

25. Studentes possint habere interdum aliquem sermonem, seu concionem infra annum, occasione alicujus festivitatis, aut XL. horarum; tum etiam in mensa, vel in conventu. Nullo autem modo ipsi, aut lectores prædicent in quadragesima.

26. Guardianus corrigat studentes, quos negligentes repererit, aut desidiosos in studiis; & tam ipse, quam lectores de omnibus certiorem reddat prælatum generalem, ac etiam S. Congregationem.

27. Senis quibuscumque mensibus habeantur coram guardiano theses theologiæ, seu controversiarum latino, Arabico, et, quatenus fieri possit, Illyrico idiomate.

28. Superior generalis deputet aliquem religiosum, qui ad studentes singulis mensibus habeat concionem de missionariorum muneris præstantia.

29. Singulis saltem quatuor mensibus idem generalis, vel ejus delegatus visitet collegium, studentesque non proficientes ad propriam provinciam redire jubeat, monita S. Congregatione. Secretarius quoque ejusdem Congregationis bis in anno collegium visitet, absque superiorum interventu.

30. Diebus dominicis, & festis de præcepto, post vesperas studentes explicent, in loco destinando a superiore cismontano, cathechismum Romanum religiosis sacerdotibus, clericis, & laicis; & unusquisque continuet per mensem.

31. Completo biennio singuli studentes examinentur, præsente quoque cardinali ordinis protectore, qui cum superiore generali eligat illos ad loca sancta mittendos, & alios pro cæteris missionibus eidem cardinali bene visis, & quod actum fuerit S. Congregationi referatur.

32. Si

32. Si completo biennio, ſe occaſio non offerat accedendi ad loca ſancta, vel ad alias miſſiones, ſuperior generalis illos revocet ad proprias provincias, & collocet in aliquo principali conventu ejsdem grato, a quo, inconſulto ipſo, dimoveri non poſſint. Si quis ad locum deſtinatum accedere renueret, aut negligeret, plectatur arbitrio S. Congregationis.

33. Si quis in aliqua miſſione præfecti munus laudabiliter geſſerit per ſexennium, poſſit in reditu aliquem ex principalibus ſuæ provinciæ conventibus ſibi deligere, & habeat præcedentiam inter lectores jubilatos de numero juxta antiquitatem inſtitutionis.

34. Quod ſi idem præfectus ſit jam lector jubilatus ſeu de numero, ſeu de non numero, habeat præcedentiam ultimo loco inter exminiſtros provinciales, gaudeatque eorum privilegiis in propria provincia, ac ſi miniſteriatus officio perfunctus fuiſſet.

35. Ii pariter, qui per duodecim annos inſervierint in locis ſanctis, vel aliis miſſionibus, poſſint poſt reditum ſibi deligere unum ex principalioribus provinciæ ſuæ conventibus.

36. Si eorum aliquis non fuerit inſtitutus lector jubilatus, vel ſexennalis, habeat præcedentiam immediate poſt actuales diffinitores, ſupra quoſcumque alios. *Huic legi derogatum eſt in congregatione generali S. Montis Alvernæ anno 1765., in qua exmiſſionarii duodennales hujusmodi ſortiti ſunt præcedentiam immediate poſt lectores jubilatos de non numero.*

37. Si fuerit inſtitutus lector jubilatus, vel ſexennalis, habeat præcedentiam inter lectores jubilatos de numero, ſervata anterioritate inſtitutionis.

38. Si controverſias, aut linguas legerint lectores jubilati de non numero per quadriennium, ſexennales per octennium, lectores theologi tantum inſtituti, per decennium; non inſtituti vero linguas docuerint per quindennium, eadem lectorum jubilatorum de numero, ſervata anterioritate inſtitutionis, gaudeant præcedentia in ſuis provinciis.

39. Qui diſceſſerint a miſſionibus pro earum negotiis, & ad Urbem venerint de licentia S. Congregationis, maneant in conventu S. Bartholomæi, vel in alio de Aracæli, & habeantur ut fratres de familia, donec per S. Congregationem expediantur.

40. Superior generalis ciſmontanus deputet procuratorem pro miſſionibus, qui in conventu S. Bartholomæi, vel Aracæli commoretur, & habeat ſocium unum gratum, qui in gerendis miſſionum negotiis eum coadjuvet, & petita benedictione a ſuperiore locali, a conventu exeat. Procurator vero nemo inſtituatur, qui per ſexennium completum non fuerit præfectus, vel officialis locorum Terræ Sanctæ, vel per decennium miſſionarius, vel per idem tempus manſerit in ſervitio ejuſdem Terræ Sanctæ.

41. Miſſionarii nequeant recto tramite ſe conferre Hieroſolymam, ſed ſtatim ac pervenerint ad loca ſubjecta guardiano Terræ Sanctæ, oſtendant eidem, aut ejus vicario literas patentes, & recipiant ab eodem guardiano uti præfecto facultatem ad miſſionem, & curam animarum in locis deſtinatis, reſervata ipſius præfecti tam circa dictam facultatem, quam circa loca, & tempus eam exercendi, mo-

moderatione sibi bene visa. *Ex decreto S. Congr. de Propaganda Fide* . Anno 1712.

42. In omnibus sint subjecti eidem guardiano, & aliis superioribus subalternis, sicuti cæteri regulares Terræ Sanctæ, sic ut guardianus possit eos collocare in hospitiis, etiam sine cura animarum, & illorum opera uti pestis tempore, ut inserviant infirmis, ipsisque parochis. *Ex eodem*.

43. Teneantur superioribus locorum, per quæ transierint, ostendere literas patentes, seu facultatem a guardiano præfato ipsis tributam. Ac sint eisdem superioribus indistincte subjecti, sicut alii de familia, in omnibus, quæ regularem disciplinam respiciunt.

44. Possit idem guardianus cum consensu discretorii, suspendere, seu prohibere usum facultatum missionariis, qui non recte se gesserint, & interim certiorem reddat S. Congregationem de causa, ad hoc ut possint revocari, quoties non agatur de causa scandali; quod si interveniat, guardianus eos removere possit, de consensu discretorii; certiorata tamen eodem tempore S. Congregatione.

45. Missionarii quod præcedentiam servent consuetudinem custodiæ Terræ Sanctæ.

46. Commissarii visitatores provinciarum, eorumque secretarii, & socii nulla accipiant munera, seu contributiones in pecunia, vel realia, a provinciis, & conventibus, seu communi nomine, seu proprio, & particulari religiosorum. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1710.

47. Contenti tantum sint expensis necessariis pro itinere, quæ modestiam, & paupertatem ordinis decent.

48. Vestiarium, si eo indigeant judicio diffinitorii, detur eis non in pecunia, sed in specie tantum. Hæc omnia serventur in utraque familia cismontana, & ultramontana, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, aliisque in constitutione Clementis VIII., & Urbani VIII. de largitione munerum, & in statutis ordinis contentis.

49. Diffinitorium tam vetus, quam novum cujuslibet provinciæ transmittat ad prælatum generalem juratam attestationem, quod prædicta de commissariis visitatoribus, quantum ad eorum notitiam pervenire potuit, fuerint adimpleta.

50. Neque ordinarii locorum, neque vicarii generales possint dare licentiam parochis, aliisque subditis, benedicendi habitus tertii ordinis, eisque induendi personas sæculares in eorum ecclesiis. *Ex decreto ejusdem S. Congreg.* Anno 1711.

51. Si servus Dei beatificatus, vel canonizatus sit ex observantia, & mortuus sit filius alicujus provinciæ, vel custodiæ observantis, tam in actis, quam in picturis, sculpturis, laminis, libris &c. exprimatur, quod est ordinis minorum de observantia. *Ex decreto S. Congreg. Rituum.* Anno 1713.

52. Si sit ex reformatis cismontanæ familiæ, explicetur, quod est strictionis observantiæ, vel minorum observantium reformatorum.

53. Si sit ex discalceatis, vel recollectis familiæ ultramontanæ, dicatur ordinis minorum observantium discalceatorum, vel recollectorum, quod etiam addatur, si dicatur strictioris observantiæ.

54. Solemnitas, & processio prius fiant

Digitized by Google

fiant a conventu illius membri, cujus servus Dei, dum viveret, portio fuerat, videlicet reformatorum, si mortuus sit reformatus, observantium, si observans, discalceatorum, vel recollectorum, si discalceatus, vel recollectus. Quod si plures fuerint ejusdem membri conventus, fiant a principaliori. Deinde liberum sit cæteris etiam alterius membri, eodemque tempore cum aliis conventibus, (non tamen cum principaliori prædicti membri, ad quod sanctus immediate pertinet), eamdem celebrare festivitatem.

55. Ad processionem, quæ a principaliori præfato conventu fiet, teneantur concurrere communitates aliorum conventuum, & prælati cum suis familiis id facere renuentes priventur officiis, ac voce activa, & passiva.

56. Si in loco non exstiterit conventus immediatioris instituti illius novi sancti, solemnitas, & processio fiant primo in conventu ordinis antiquiori, ex quocumque membro observantiæ sit. Trangressores harum regularum, quas sanxit capitulum Victoriense anno 1694., subjaceant privationi vocis activæ, & passivæ.

57. Laici observantium, & recollectorum dent præcedentiam clericis in sacris non constitutis, quamvis in religione junioribus. *Emanavit*. Anno XIV. *Pro laicis, & clericis provinciæ Baticæ*.

58. Laici non denominentur patres, nec fruantur titulo reverentiæ; sed sint contenti titulo charitatis, sicut clerici.

59. Si aliquis diffinitorum legitime vocatus, & non legitime impeditus, recusaverit interesse electionibus faciendis in diffinitorio, tunc deveniri possit ad electiones ipsas, nulla facta subrogatione. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1715.

60. Electio episcopi in conservatorem non sustineatur, possintque fratres conservatorem sibi assumere in civitate viciniori alterius diœcesis. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno eodem.

61. Sindicus fratrum in iis, quæ concernunt correctionem morum, non sit exemptus a jurisdictione ordinarii.

62. Vicecommissarius generalis, expleto munere, in quavis provincia familiæ teneat locum immediatum post superiorem generalem, quo absente, & præsente commissario visitatore, immediate post eum; absentibus superiore generali, & visitatore, immediate post ministrum provincialem. *Ex decreto vicecommissarii generalis Laurentii a S.Laurentio*. Anno 1716

63. In conventu extra residentiam ministri provincialis, ipso, & prædictis aliis absentibus, teneat locum immediate post guardianum.

64. In conventu principaliori, ubi residere solet minister provincialis, exsistente visitatore in provincia, post captam possessionem, teneat locum præfatus vicecommissarius supra ministrum provincialem, quo absente, supra guardianum conventus ipsius.

65. Fratres neque ab ordinariis locorum, neque ab aliis regularibus prohiberi possint, quin in locis, ubi habent conventus, quærant eleemosynas per seipsos. Extra loca vero ostendere teneantur ordinario licentiam suorum superiorum. *Exponi nobis*. Anno XVII.

66. Non liceat tertiariis, sed tantum superioribus ordinis, aut aliis a iis

iis delegatis, conferre habitum tertii ordinis. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1717.

67. Mulieribus sæcularibus non detur habitus tertii ordinis, nisi sint ætatis XL. annorum, licentiam obtineant ab ordinario, sint bene moratæ, ac vitæ honestæ, & non cohabitent cum aliis hominibus, præter suos consanguineos in primo gradu. Non deferant autem velum, pectorale, patientiam, aliaque hujusmodi, alioquin ordinarii habitum eis detrahant. *Ex decreto ejusdem*. Anno eodem.

68. Exsecretarii generales non habeant supra se, nisi exministros provinciales, exvicarios provinciales, & exguardianos Hierusalem, & fruantur præcedentia supra quoscumque jubilatos de numero, etiam quantum ad cæteras patrum provinciæ prærogativas. *Ex decreto discretorii generalis*. Anno 1718.

69. Sacræ congregationes de Urbe non concedant fratribus aliquod privilegium personale, jus, vel præeminentiam, nisi habito speciali oraculo summi pontificis. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1718.

70. Exvicarii provinciales propriæ provinciæ habeant præcedentiam super illos, qui fuerunt ministri in provincia aliena. *Ex decreto discretorii generalis*. Anno 1719.

71. Prohibeantur literæ patentes indeterminatæ, vel in *albo*, pro religiosis in Terram Sanctam mittendis. *Ex decreto S. Congreg. de Propaganda Fide*. Anno 1720.

72. Literæ recognoscantur a provinciali cum diffinitoribus, quatenus ii apud ipsum sint, & præterea a discretis conventus, in quo moram fecerit ille, cui sunt concessæ.

73. Testentur iidem, an mittendus moribus sit præditus, atque idoneus ad bene satisfaciendum muneri suo in locis sanctis.

74. Hæc conditio in literis apponatur: *Dummodo antecedenter in servitium Terræ Sanctæ tres religiosi ejusdem provinciæ non reperiantur destinati, exceptis missionariis*.

75. Quilibet, expleto triennio in eisdem literis expresso, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, redeat in provinciam suam, ad nutum guardiani Hierosolymitani. Attamen discretorium Terræ Sanctæ possit protrahere moram eorum, quos eidem proficuos invenerit.

76. Exceptis missionariis, & eleemosynarum transvectoribus, nemo ad Terram Sanctam titulo devotionis, redire permittatur, postquam alias, tempore in patentibus literis præscripto, ibi moram traxerit. Si prælatus generalis erga aliquem redeundi cupidum propendat, prius exquirat discretorium ejusdem Terræ Sanctæ de moribus, & idoneitate ejus. *Ex decreto S. Congreg. de Propaganda Fide*. Anno 1720.

ANNO 1721. INNOCENTIUS XIII.

1. Missionarii ab urbe missi ad inserviendum Terræ Sanctæ, iique pariter, qui a custode fuerint tales instituti, antequam ad curam animarum deputentur, super idoneitate examinentur a custode, & discretorio. *Ex decreto S. Congreg. de Propaganda Fide*. Anno 1721.

2. Nullus religiosus Terræ Sanctæ, iis exceptis, qui vel in collegio S. Bartholomæi de Urbe moram traxerint, vel patentibus literis S. Congregationis muniti fuerint, se intromittat ad con-

versiones procurandas; quod iis tantum liceat, qui a custode, & discretorio idonei judicantur.

3. Si missionarii, vel parochi aggrediantur aliquam conversionem, id faciant absque ulla subministratione, seu exhibitione pecuniarum.

4. Ministri provinciarum Italiæ, & insularum adjacentium, invigilent disciplinæ augendæ, & conservandæ, observantiæ puritatis regulæ, & generalium constitutionum, illarum præsertim, quæ pro recollectionum conventibus præscriptæ sunt, omniumque illarum ordinationum, quæ in bulla innocentii XI. *Militantis ecclesiæ &c.* expresse comprehenduntur. *Ex mandato S. Congreg. disciplinæ regularium*. Habetur in actis capituli generalis LXXX.

5. Quilibet minister strictioris observantiæ in provincia sibi credita, erigat conventus recessus, seu *di ritiro*; idemque faciant in provinciis suis respective ministri provinciarum omnium regularis observantiæ.

6. Bona immobilia, vel quidvis aliud fructum illicitum ferens, sive ea connexa certa onera teneant, sive non, omnino abdicentur, sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ tam subditis, quam superioribus localibus, & provinciarum; superioribus quidem, ut exsequantur talem abdicationem; subditis vero, ut moneant superiorem generalem. *Ex mandato S. Congreg. Episcoporum*. Habetur in eisdem actis una cum iis, quæ sequuntur.

7. Superior generalis eos, qui in hoc deliquerint, a suis muneribus deponat.

8. Puniantur superiores conventuum, & provinciarum, qui fratrum infirmorum spolia, professioni non cohærentia, vel suis privatis usibus applicant, si infirmi decedant, vel ipsis fratribus reddunt, si convalescant.

9. Nullum negotium vel per totam communitatem, vel per fratres particulares, quod ante, vel post recitationem divini officii commode tractari potest, statis ad officium horis, sub quocumque prætextu, assumatur.

10. Si negotium, quod per communitatem differri nequit, vel præveniri, incidat in horam officii, tunc officium antea, vel postea celebretur, eique intersint omnes, & singuli, exceptis lectoribus, & prædicatoribus, quo die legunt, vel prædicant.

11. Si ipsi lectores, & prædicatores, notabiliter negligant interesse, a suis etiam muneribus absolvi queant.

12. Fratres habitualibus morbis impediti, vel devotionis contemptu culpabiles notabiliter, ad nullum officium, & gradum ordinis assumi possint, sub nullitate electionum, subrogationum, vel deputationum, usque dum per duos annos continuos a notorio defectu chorum frequentaverint.

13. Hanc eamdem inhabilitatem incurrant superiores conventuum, qui culpabiliter præfatos defectus vel in tota communitate, vel in aliquibus fratribus permiserint, aut dissimulaverint.

14. Ipsos superior provinciæ a superioritate, quam obtinent, extrudere tenentur, subjiciendus & ipse pœnis ad arbitrium prælati generalis, si adimplere neglexerit statuta hæc, quorum observantia injungitur visitatoribus.

15. Superiores locales, si quem de-

Digitized by Google

deprehendant sacerdotem, qui missam dicat sine gravitate, & modestia, ac celerius dimidia hora eam absolvat, pro prima vice illum subjiciant disciplinæ per integrum *miserere* in plena communitate; pro secunda, in publica refectione de genu in panc tantum, & aqua habeant; pro tertia, utrique correctioni prædictæ signa probationis adjiciant, nullatenus adimenda, donec stabiliter emendetur.

16. Quod si adhuc præbeat se incorrigibilem, omnino a sacris altaribus arceatur, suspendatur, & aliis servitiis applicetur.

17. Si gravis aliquis pater vitio isto laboraverit, superiores locales admoneant majores prælatos, ut efficax remedium adhibeant; quod si desides fuerint, voce activa, & passiva sexennio careant, quin possint reintegrari.

18. Pœnæ in largitores munerum constitutæ a Clemente VIII. *Religiosæ Congregationes &c.*, extendantur præsertim ad superiores provinciarum, & commissarios visitatores earum, si denarios maxime a guardianis acceperint, & superior generalis eas ipsis omnino infligere teneatur.

19. Superiores generales, qui denarios quomodocumque contrectaverint, eosque vel apud se, vel in conventu, vel alibi retinuerint, aut contractus, emendo, vendendo, commutando, fecerint, vel aliud quidpiam vel per alios, vel per se exsequuti fuerint, quod tantum per sindicos apostolicos præstandum est, incidant in pœnas per constitutiones apostolicas, & statuta ordinis latas, & in perpetuum voce activa, & passiva privari possint.

20. Eisdem subsint pœnis, & privationi, si rem aliquam se solis determinaverint, pro qua aut consilium, aut consensum discretorii conventus, vel diffinitorii provinciæ attendere adiguntur.

21. Si ministri provinciales appropriaverint sibi partem de stipendiis prædicatorum, & partem prædicatoribus reliquerint, subjiciantur pœnis, quas prædicatores ipsi luerent, si in eo delinquerent.

22. Ministri provinciales nulla habeant promptuaria ciborum sibi reposita, & superiores locales eumdem victum sibi, & aliis administrent.

23. Superior quicumque jusserit, vel dissimulaverit, vel permiserit, ut subditi sui professi, aut non professi mendicent pecuniam, deponatur statim ab officio, & vocis activæ, ac passivæ, perpetuaque inhabilitate condemnetur.

24. Subditi vero professi luant pœnam proprietariis inflictam, et, si professi non sint, a consortio fratrum perpetuo amandentur.

25. Qui plures, quam duas tunicas, vel plusquam unum caputium habuerit, exra communitatem conventus, ad usum suum, si ad id superioris permissu expresso, veraque careat necessitate, statim privetur ipsis, & ad superioris arbitrium puniatur.

26. Si vera necessitate adactus, expressa tantum careat facultate, prout id vel incogitantia, vel contumacia fecerit, secreto, vel palam corrigatur.

27. Puniantur superiores locales, qui permiserint vendi pharmaca ab aromatariis conventuum, aut capsulas retineri ad nummos excipiendos.

28. Visitatores provinciarum perquirant, quo pacto aromatariæ fuerint

 ad-

Digitized by Google

administratæ, & in superiores tam locales, quam provinciales, qui indormierint malæ administrationi, severe animadvertant.

29. Visitatores, qui in forma probante defectus fratrum tollere non curaverint, & superiorem generalem minutim de provinciæ statu, decretisque a se factis non monuerint, regestumque de omnibus istis ad novi diffinitorii notitiam non efformaverint, nec eligi in ministros propriæ provinciæ, nec ad alterius provinciæ visitationem transmitti unquam possint.

30. Reformentur a guardianis, ministris, & visitatoribus ædificia publica, quæ paupertatem, & simplicitatem seraphicam non præseferunt, addita in auctores ipsorum privatione actuum legitimorum.

31. Nullæ privatæ fratrum habitationes pluribus constent cellis, vel spatio in plures cellas divisibili; neque ornatæ sint marmoratis, neque picturis, vel re humilitati contraria.

32. Superiores per S. obedientiam apponant his remedium, quibus si subditi mediate, vel immediate restiterint, ipso facto excommunicationem incurrant. Quod si superiores defuerint, & irremisibiliter, & gradatim, ad aliorum majorum arbitrium puniantur.

33. Exercentes mercaturam mediate, vel immediate, incurrant ipso facto excommunicationem majorem, a qua, donec se revera correxerint, per neminem absolvi possint.

34. Si, citra notabile scandalum, institui causa in ipsos queat, subjaceant pœnæ in proprietarios, sine ulla dispensatione, vel diminutione,& voce activa, ac passiva perpetuo priventur.

35. Provinciæ, in quibus sunt lanificia, possint erogare pannum aliis provinciis, in quibus lanificia non extant; sicuti & novitiis suis ad habitum ordinis admittendis.

36. In utroque casu, erogatio panni quæstum non redoleat, aut mercaturam, & eleemosynæ pecuniariæ tractentur, & recipiantur a solis sindicis apostolicis.

37. Pannus lanificiorum non distrahatur in fratres sive professos, sive novitios aliarum provinciarum, quæ & ipsæ lanificiis sunt instructæ. Deputati lanificiorum,si contrafecerint,deponantur in perpetuum a tali deputatione.

38. Pannus in usum fratrum elaboratus non vendatur sæcularibus; nec alius cujuscumque generis pannus fabricetur, in sæculares, vel alios alienandus. Ministri, qui permittendo, jubendo, dissimulando in hos absusus consenserint, puniantur a superiore generali, usque ad depositionem ipsorum, si opus fuerit.

39. Deputati vero ad lanificia curanda, si in aliquo eorum culpabiles reperiantur, careant decennio actibus legitimis, ad quos interim rehabilitari non possint, & inhabiles perpetuo sint ad eamdem deputationem exercendam.

40. Visitatores inquirant sedulo omnia hæc, & præsertim qua æquitate, & fidelitate lanificiorum negotium administretur.

41. Si æquitas minor sit, de provinciæ discretorum consilio, ipsum melius instituant.

42. Si fidelitas desideretur, procedant in reos omnes ad pœnam proprietariorum, eam infligendo etiam ministris actualibus, & patribus gravibus, non quoad carceres, sed quoad privationem actuum legitimorum, si rei

vel

vel complices deprehendantur.

43. Prohibitiones, & pœnæ constitutæ in literis Urbani VIII. *Admonemur &c.* contra procurantes favoribus officia ordinis, extendatur ad procurantes eisdem favoribus officium visitationis.

44. Carceres plures, vel pauciores, prout necessitas postulaverit, in qualibet provincia exstruantur, non subterranei, nec luce penitus destituti; & qui tales fuerint reducantur ad debitam formam, vel alii excitentur.

45. Quoad suspensiones, privationes, aliasque pœnas, & præsertim carceribus mancipationes, servetur præscriptum generalium constitutionum ordinis; & superiores in his aliter procedentes, pœnis & ipsi subsint, quæ a constitutionibus ipsis taxantur contra male punientes.

46. Quum aliquis in choro est incensandus, ille præferri debeat, qui sedem occupat digniorem. Quamobrem, exsistente in choro patre ordinis, qui guardianum, vel ministrum provincialem actu præcedit, non guardiano, vel ministro, sed ordinis patri honor incensationis adhibeatur. *Ex mandato pontificis, auditis cæremoniarum apostolicarum præfecto, & ordinis patribus*. Ita legitur in actis capituli generalis LXXX. impressis Romæ anno 1730. ad calcem paginæ XXXIX.

47. Novitii laici observantes, reformati, & tertii ordinis in Sicilia nequeant admitti ad professionem, nisi coram testibus votum, seu juramentum emittant cedendi præcedentiam clericis, sub nullitate professionis. Contrafacientes sint privati officiis, & voce activa, & passiva. *Dudum*. Anno I.

48. Minores pœnitentiarii ordinis reformatorum in basilica Lateranensi de Urbe, expleto decennio officii, gaudeant in suis provinciis præcedentia, & prærogativis exministrorum provincialium, servata inter ipsos, & exprovinciales sola prioritate, seu antianitate paternitatis. *Romanus*. Anno I.

49. Guardianus Terræ Sanctæ, durante ejus officio, in locis, ubi non sunt episcopi ritus latini in propria diœcesi residentes, possit conferre sacramentum confirmationis oleo, & chrismate etiam antiquis, si nova haberi non possint, per catholicum antistitem benedictis. *Cum ad infrascriptam*. Anno I.

50. Commissarii generales etiam de curia, procuratores, & secretarii generales possint eligi in commissarium generalem, quamvis ab eisdem muneribus per tempus in constitutionibus præscriptum non vacaverint. *Cum sicut*. Anno II.

51. Subrogationes vocalium, qui ex regionibus longinquis ultra mare accedere noluerint ad capitulum generale, nullæ fiant. *Humilibus*. Anno 1723.

52. Fiat quotannis solemne anniversarium Innocentii XIII. etiam in ecclesiis monialium ordinis. *Ex injuncti*. Anno III.

53. Qui fuerunt missionarii apostolici, & lectores linguæ Arabicæ in collegio S. Bartholomæi de Urbe, non habeant titulum *Admodum Reverendi*, nec alterum *lectoris Arabici jubilati*; nec demum debeatur eis præcedentia supra lectores in sacra theologia de non numero jubilatos. *Ex decreto S. Congreg. de Propag. Fide.* Anno 1723.

54. Guar-

54. Guardiani tantum, aliique superiores ordinis possint distribuere habitus, quibus cooperta cadavera defunctorum ad tumulum deferuntur. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1724.

ANNO 1724. BENEDICTUS XIII.

1. Comitiorum provincialium, & visitationum tempore, omitti possit lectio bullæ, seu decreti S. Officii quod incipit: *Cum non sine gravi*. Anno 1591. *Ex oraculo SS.* Anno 1724.

2. Fratres illi, quibus conventus, ubi degant, pro suo arbitrio sibi seligere concedunt ordinis constitutiones, de conventibus sibi magis acceptis humiliter sibi provideri postulent a superioribus generalibus, vel provincialibus. *Universalis*. Anno I.

3. Superiores procurent, ut ipsi collocentur in conventibus postulatis, pro singulorum meritis, & qualitate, exceptis conventibus Romæ, ubi ne ordinis quidem discreti, sed tantum patres provinciæ Romanæ collocari queant.

4. Discreti ordinis, expletis eorum officiis, Roma ad proprias provincias redeant, ibique subsint guardianis, sine quorum expressa licentia, qualibet vice obtinenda, extra claustra egredi non possint.

5. Superiores generales sub pœna privationis suorum officiorum; provinciales vero sub pœna arbitrio superiorum generalium, non concedant ullam gratiam, aut officium cuilibet, ad instantiam, & requisitionem personarum extra ordinem, etiam cardinalatus honore, aut regali dignitate fulgentium.

6. Qui favores extra ordinem procuraverint, aut acceptaverint sponte oblatos, subsint pœnæ carceris, a bitrio superiorum. Quam pœnam i quoque subeant, qui auctoritatem e tra ordinem interpellaverint, ad exto quendas a suis superioribus facultat vagandi, vel transeundi de uno in aliu conventum.

7. Nullum cuilibet jus sit, diffin tores, vel guardianos nominandi, pra sentandi, seu proponendi in capitulis congregationibus, ac quovis titulo co venientiæ, aut directionis superinte dendi provinciis, conventibus, & fr trum collocationibus, sub pœna priv tionis vocis activæ, & passivæ, ac i habilitatis ad officia.

8. Superiores, diffinitores gener les, officiales curiæ Romanæ, min stri provinciales, custodes, diffinit res &c. perfuncti officiis, nullum h beant jus, arbitrium, aut superinte dentiam in præfatis rebus, aliisqu dispositionibus, quæ nullo ad patr habito respectu, liberæ relinquanti ministris provincialibus, & diffir toribus.

9. Provinciales ipsi, & diffinitor conventus sibi invicem non partiantu titulo convenientiæ, directionis, vel ali quocumque, nec in eisdem inter se d visis guardianos nominent, proponant vel præsentent, sub pœna privation officiorum.

10. Vocales in capitulis, & co gregationibus, in quibus hæ literæ l gantur, nulla habita patrum ratione libere eligant in provinciales, cust des, diffinitores, ac guardianos, fr tres digniores, prævia meritorum qu lificatione.

11. Sub pœna privationis vocis ac væ, & passivæ, aliisque arbitrio s perioris generalis, familiæ fratrum

ca-

capitulis, & congregationibus deputentur ab integro diffinitorio, & conventus destinentur.

12. Sub pœna etiam carceris formalis, fratres teneantur se conferre ad conventus sibi assignatos, & in illis morari, nisi excusentur legitima causa, approbanda a diffinitorio.

13. Guardiani, qui sine causa aliquem respuerint, priventur officio. Si causam habeant eum respuendi, examinetur illa a provincialibus superioribus, qui, si eam legitimam, & rationabilem judicaverint, possint fratrem alio destinare.

14. Abrogentur omnia, & quæcumque perpetua suffragia in provinciis tam de observantia, quam reformatorum, discalceatorum, recollectorum, tertiariorum, & electiones in capitulis fiant a guardianis, diffinitoribus, custodibus, ministris, & præsidentibus capitularibus, exclusis aliis, præter ministrum immediatum, qui votum etiam consultivum, & decisivum habeat in omnibus actibus capitularibus, quibus absolutis, soli ministri provinciales, custodes. & diffinitores votum obtineant in diffinitoriis particularibus, & congregationibus intermediis.

15. Idem fiat in capitulis, & congregationibus generalibus. At superiores generales in arduis ordinis, vel familiæ negotiis aliquos ex discretis, & patribus ordinis, quos maluerint, consulere debeant, &, si id commode fieri possit, vocare ad congressus ordinarios.

16. In subrogationibus faciendis in capitulis, & congregationibus tam generalibus, quam provincialibus, servetur hic ordo. I. Subrogentur ordinis, & familiæ discreti. II. Exofficiales curiæ Romanæ. III. Exdiffinitores generales. IV. Exministri, & provinciæ patres respective.

17. Exministri provinciales, exguardiani Hierusalem, exsecretarii generales, excommissarii generales in partibus Indiarum, ac lectores jubilati de numero, in subrogationibus talem servent ordinem, quod illi primo loco subrogentur, qui prius inter provinciarum patres, seu exministros locum fuerunt adepti, quamvis exinde ipsos provinciarum ministros, qui revera officio functi sunt, post alios non antea ministros contingat suffragari.

18. Fratres harum regularum transgressores, ac ii, qui favores extra ordinem petierint, non incurrant in pœnam excommunicationis, sed tantum in pœnam privationis officiorum, non relaxandam, nisi a summo pontifice.

19. Regulares promoti ad quascumque dignitates extra ordinem, nequeant secum adsportare, & propriis usibus aplicare libros, & alia, quæ tempore suæ promotionis habent, tametsi non ad eos, sed ad ordinem pertinerent. *Postulat.* Anno I.

20. In provinciis observantium S. Francisci, Romana, Marchiæ, Tusciæ, Genuæ, Mediolani, Terræ Laboris, S. Nicolai, S. Angeli, Bononiæ, S. Antonii, Septem Martyrum, & Basilicatæ possint ad habitum admitti bis in anno octo clerici, & quatuor laici. *Ex decreto S. Congreg. Disciplinæ.* Anno 1725.

21. In provinciis Principatus, Calabriæ, S. Bernardini, S. Thomæ, S. Didaci, Brixiæ, & Corsicæ, sex clerici, & duo laici. In provinciis Vallis Mazariæ, Vallis Noti, & Siciliæ, decem

cem clerici, & quatuor laici.

22. Provinciæ, in quibus aut omnes, aut major pars fratrum fuerint inobservantes, vel non habuerint conventus novitiatus, in quibus vigeat observantia regularis, careant facultate recipiendi novitios, nisi superior generalis opportune providerit.

23. In omnibus, & singulis, quæ absolute concernunt victum, vestitum, religiosum usum, & commercium fratrum, nullum ipsi solvant datium, gabellam, seu vectigal. *Sollicitudo*. Anno II.

24. Ab eodem datio sint exempti super commolitione frumenti, vino, oleo, carne, animalibus etiam vivis, tam emptis, quam in eleemosynam acceptis, & quocumque alio comestibili; lanis insuper ad eorum vestitum necessariis, portu tam maris, quam fluminum, gabellis in exitu, & ingressu terrarum, locorum, civitatum, aut transitu pontium, & viarum, ac in doganis.

25. Sint exempti a solutione portus omnium, & singularum epistolarum in semifolio scriptarum, una cum eorum involucris, quæ a tabellariis deferri solent, ac per ordinis superiores eorum subditis, & per subditos ipsis superioribus cum publici sigilli munimine diriguntur. Pro iis involucris, quæ sine munimine hujusmodi alicui ex eis particulariter mittuntur, possint tabellarii aliquid prætendere a conventibus.

26. Fratres tertii ordinis sub proprio tecto viventes possint sub propria cruce, vel sub cruce fratrum minorum se conferre ad publicas processiones, associationes cadaverum, aliasque ecclesiasticas functiones sub proprio habitu per ordinis constitutiones designato. *Paterna*. Anno II.

27. Nemo sæcularis, vel subditu generalis ministri possit uti privilegi fundandi tertium ordinem in locis, ul est jam fundatus, multoque minus ja fundatas tertii ordinis congregatione ad se recipere, etiamsi tertiarii ipsi conventu, apud quem, & sub cuj directione vivunt, recedere voluerin

28. Subjecti sint tertiarii curæ, jurisdictioni ministri generalis, & pr vincialis respective.

29. Jubilati de numero familiæ u tramontanæ teneant locum immedi tum post diffinitores actuales, & sul rogationem obtineant inter exdiffinit res. *Ex decreto S. Congreg. Episcop rum*. Anno 1725.

30. Solus summus pontifex poss concedere facultatem religiosis tran eundi ab uno in alium ordinem reg larem. *Licet sacra*. Anno II.

31. Fratres de observantia ubiq in processionibus, aliisque actibus ta publicis, quam privatis, obtineant gniorem, & honorabiliorem locu supra reformatos, ac ipsos reforma præcedant, nulla habita ratione maj ris, vel minoris antiquitatis conve tuum. *Pastoralis*. Anno II.

32. Fratres tertii ordinis provinc Lusitaniæ, & Algarbiorum subsint u tantum ministro generali, ex cujus sp ciali delegatione habeant jus erig di, & fundandi in suis conventib congregationes tertii ordinis, ex s cularibus, easque visitandi, corrig di, & gubernandi, cum omnimoda dependentia a ministris provincialib & guardianis observantium. *Ex dec to ministri generalis edito ex facult SS*. Anno 1726.

33. In qualibet provincia observ tium, & discalceatorum nationis H paniæ

Digitized by Google

paniæ designentur duo conventus a diffinitorio, in quibus juvenes post absolutum triennium in studio theologiæ scholasticæ, in ea examinati, habilesque, & idonei reperti, vacare teneantur per continuum biennium studio theologiæ moralis, & sacrorum canonum; aliter nec prædicatores, nec confessarii sæcularium institui queant. *Ex eodem*. Anno 1727.

34. Lectores in his studiis sint ex habilioribus, nec eligantur, nisi publice per aliquot annos docuerint theologiam scholasticam, vel ad minus absolverint cursum integrum philosophiæ; ita tamen, ut pro quolibet studio unus tantum lector instituatur, qui prolixitatem vitet, sequatur opiniones saniores, & intra duos annos tradat studentibus plenam notitiam theologiæ moralis.

35. Lectores singulis annis per septem menses continuos habeant lectionem quotidianam, præsideant conferentiis moralibus, propugnent conclusiones mensiles, atque infra annum generales, seu publicas, non secus ac lectores theologiæ.

36. Tempus, quod hi lectores insumpserint, computetur eis ad gradum jubilationis, non secus, ac si theologiam scholasticam docerent.

37. In omnibus diffinitoriis, capitulis, & congregationibus observantium, recollectorum, & tertii ordinis familiæ ultramontanæ, suffragentur minister provincialis, custos, quatuor diffinitores, ac exminister immediatus, si mos hujusmodi in provinciis viguerit ante promulgationem constitutionis: *Universalis*. Vide superius. *Alias nos*. Anno IV.

38. In provinciis observantium pariter ultramontanis præter prædictos, suffragium ferat, in locum patris antiquioris, alius religiosus ex senioribus, & antiquioribus cujuslibet provinciæ, qui deligatur quolibet triennio juxta graduationem eorum, sic ut patres ordinis præcedant exministros provinciales, & patres actuales præcedant illos, qui vocantur habituales.

39. Si non adsint patres his qualitatibus prædìti, admittantur lectores jubilati, & alii, qui jus habent subrogationis.

40. Hujusmodi patres per triennium votum habeant in capitulis, congregationibus, diffinitoriis; deinde vacent per triennium alterum, tametsi exacto triennio, eligantur ad quemvis gradum, seu in locum aliorum patrum subrogari valeant.

41. Si pater ordinis uno triennio vocem habuerit, sequenti triennio, nisi alius pater ordinis, sive actualis, sive habitualis adfuerit, succedat pater provinciæ servato ordine subrogationis.

42. Officia divina, diebus maxime solemnibus, & festis celebrentur cantu firmo Gregoriano. *Nuper*. Anno IV.

43. Fratres laici discalceatorum dent præcedentiam clericis professis, & nondum in sacris ordinibus constitutis sub pœnis excommunicationis, & perpetuæ privationis juris suffragandi in communitatibus ipso facto incurrendis. *Dudum*. Anno IV.

44. Liceat fratribus reformatis provinciæ Vallis Mazariæ recipere eleemosynas pecuniarias, ac etiam procurare pro missis celebrandis. *Dudum*. Anno IV.

45. Tertiarii sæculares vel sub pro-

Digitized by Google

pria cruce distincti, vel sub cruce fratrum minorum procedentes, præcedant omnibus, & singulis confraternitatibus laicalibus in quibuscumque functionibus ecclesiasticis. *Ad nostram*. Anno V.

46. Nullus conventus mendicantium, aut etiam fratrum de observantia erigi possit in Hispania intra quinque, vel saltem quatuor leucas a conventibus jam erectis fratrum de observantia, recollectorum, excalceatorum, seu reformatorum. *Apostolici*. Anno V.

47. Assistant omnino ministro, & commissario generalibus diffinitores generales pro consultationibus negotiorum ordinis, ut in aliis capitulis generalibus ordinatum fuit. *Ex Epist. Cardinalis Lercari ad patres capituli Mediolanensis*. Anno 1729.

48. In provinciis reformatorum instituantur studia grammaticæ, & rhetoricæ in conventibus secundi novitiatus, seu professoriis.

49. In capitulis generalibus distribuantur officia, ratione habita omnium, & singularum nationum.

50. Sancti, beati, & doctores ordinis defuncti ante concilium Constantiense denominentur titulo: *ordinis minorum*. Qui postea obierunt denominentur illius instituti, in quo vixerunt, & ex hac vita migrarunt.

51. Nemini sæcularium, vel ecclesiasticorum liceat, sub pœna carceris, deferre habitum franciscanum oblongum cum mantello, vel sine eo, absque superiorum minorum de observantia, & cujusvis instituti, seu congregationis ejusdem ordinis, licentia in scriptis. *Cum sicut*. Anno V.

52. Sub eadem pœna, aliisque, nemo eorum, etiam obtenta hujusm[...] licentia, deferat eumdem habitum c[...] caputio, vel tunica, seu mantello.

53. Fratres criminosi post tria g[...] via delicta ejusdem, vel diversæ s[...] cici, intra, vel extra claustra c[...] missa, si aliquando de iis moniti, puniti juridice, vel paternaliter f[...] rint, & constet per juridica acta, per provinciæ regesta, in carceri[...] per aliquod tempus detineantur. [...] *audientia SS*. Anno 1729.

54. Dum in carcere manserint, e[...] minentur acta alias facta, seu sen[...] tiæ contra ipsos latæ, vel nova [...] conficiantur, & si juridice constet tribus gravibus delictis, declarari [...] sint incorrigibiles a ministro, & [...] nitorio provinciæ.

55. Nequeant tamen expelli, [...] prius a superiore generali, cui hujusmodi mittantur, de consilio graviorum patrum, & voto D. [...] sultoris sæcularis, sententia ejecti[...] fuerit approbata, & confirmata.

56. Si officialis curiæ moriatur, munus suum deponat, vel ad dig[...] tem extra ordinem promoveatur, a[...] eligatur per patentes literas mini[...] generalis, de consensu majoris p[...] diffinitorii generalis apud ipsum [...] stentis. *Ex audientia SS*. Anno 17[...]

57. Id tamen ea fiat conditione si vacet officialis curiæ cismontar[...] & minister generalis fuerit ultran[...] tanus, commissarius generalis fam[...] cismontanæ nominet tres partes, [...] rum unum minister generalis eli[...] omnino teneatur.

58. Idem fiat viceversa, si v[...] officialis curiæ ultramontanus, & [...] nister generalis fuerit cismontanus

59. Si vacet officialis curiæ u[...] mo

Digitized by Google

montanus, & minister generalis fuerit ejusdem familiæ, ad ipsum pleno jure electio spectet, cum consensu majoris partis diffinitorii generalis apud ipsum exsistentis. *Hæc omnia concessit pontifex dicto anno ad preces Iosephi Mariæ ab Ebora commissarii generalis, dummodo non adversentur constitutioni:* Universalis &c.

60. Qui exercuerint minora officia tam provincialia, quam generalia, possint, nullo attento vacantiæ tempore, statim eligi ad majora, aut æqualia. *Ex audientia SS.* Anno eodem.

61. Si lectores linguæ Arabicæ jam acquisiverint graduationem inter exdiffinitores, connumerentur completo octavo anno inter excustodes. Si alia graduatione non gaudeant, habeant locum inter exdiffinitores. *Exponi nobis.* Anno VI.

62. Si lectores controversiarum non fuerint jam jubilati, legant per duodennium, quo completo, gaudeant privilegio lectorum jubilatorum. Si fuerint jubilati, legant per sexennium, & postea connumerentur inter patres provinciæ, seu lectores jubilatos de numero quoad præcedentiam, sine jure subrogandi.

ANNO 1730. CLEMENS XII.

1. Omnia, quæ ordinata sunt in literis Benedicti XIII. *Universalis.* Anno I., reducantur ad formam statutorum, & constitutionum generalium ordinis. *Circumspecta.* Anno I.

2. Collegium missionariorum in conventu castri de *Ozzier*, provinciæ Sardiniæ, maneat sub jurisdictione, & regimine superioris generalis, salva auctoritate S. Congregationis de Propaganda fide. *Exponi nobis.* Anno I.

3. Loca pia viæ Crucis, seu Calvarii erecta, vel erigenda per fratres minores in ecclesiis, oratoriis, monasteriis, hospitalibus &c. ministro generali non subjectis, nec ab eo dependentibus, accedentibus licentia ordinarii loci, & consensu parochi, superiorumque ecclesiarum, oratoriorum &c. hujusmodi, fruantur eisdem indulgentiis, & privilegiis, quibus fruuntur loca pia erecta in ecclesiis minorum. *Exponi nobis.* Anno I.

4. Fratres tam observantes, quam reformati ministro generali ordinis subjecti, privative quoad alios quoscumque, habeant facultatem erigendi, & instituendi pia loca viæ Crucis.

5. Loca hujusmodi ab aliis erecta non gaudeant indulgentiis. *Ex decreto S.Congreg. Indulg.* Anno 1731.

6. Nemo possit ea erigere, nisi fuerit superior ordinis, aut, ex commissione superioris, religiosus alius pariter ordinis ejusdem, qui sit prædicator, aut saltem confessarius approbatus.

7. Erigantur ubique prout usu receptum est in ordine, nempe cum quatuordecim stationibus, crucesque, aut imagines repræsentent mysteria passionis. Si loca, in quibus eriguntur, successu temporis evadant indecentia, superiores teneantur exercitium viæ Crucis suspendere.

8. In ecclesiis, & oratoriis amplioribus, ubi commode fieri potest, erigantur duo loca viæ Crucis, unum pro feminis, alterum pro masculis. Quod si unum extra ecclesiam erigatur, alterum semper erigi debeat intra ecclesiam, dummodo ea sit capax, nullaque oriatur confusio.

9. Si exercitium viæ Crucis fiat processionaliter a populo sub directione

Digitized by Google

unius, vel plurium sacerdotum, proceſsio ita disponatur, ut primo incedant masculi seorsum, deinde feminæ, uno, vel pluribus sacerdotibus inter agmen utrumque intermediis. Ante quamlibet stationem clericus, vel sacerdos legat meditationem mysterii in imagine exhibiti, recitatoque *Pater*, & *Ave*, & emisso actu contritionis, procedatur modeste ad alteram stationem cum cantu hymni: *Stabat Mater*, aut alterius orationis.

10. Qui privatim hujusmodi exercitium peragunt, non teneantur ante quamlibet stationem recitare sex *Pater*, & *Ave*; sed meditentur etiam breviter paſsionem Domini.

11. Non peragatur exercitium viæ Crucis in ecclesia, tempore divinorum officiorum, & missæ, aut quando ex nimio populi concursu confusio, vel tumultus suboriri potest.

12. Si via Crucis erigenda sit in monasterio, aut conservatorio monialium, religiosus ætatæ maturus, & qualificatus, qui illam eriget, clausuram non intret, sed, præmissa ordinarii loci licentia, ad crates monasterii benedicat cruces, & pium, bremque sermonem de opere pietatis habeat ad moniales.

13. Non appendatur ad sacella, vel stationes viæ Crucis nota ulla indulgentiarum, neque quisquam determinatum earum numerum designet; sed tantum dicatur, quod quicumque sanctum exercitium peregerit, lucrabitur indulgentias ex concessione summorum pontificum, quas lucraretur, si personaliter stationes viæ Crucis Hierusalem visitaret.

14. Superiores locales non facile permittant, ut via Crucis erigatur in omnibus locis, ne ex multitudine or tur confusio, aut contemptus. *Ex epi superioris generalis Crescentii Krispe* Anno 1731.

15. In parvis civitatibus, & op dis, ubi fuerint conventus ordin erigantur tantum in conventibus dem, & in civitatibus amplioribus bita distantia observetur, ac in dul habeatur recursus ad superiorem neralem.

16. In locis, ubi non fuerint c ventus, superior localis conventus cinioris habeat facultem erigendi tiones viæ Crucis. Si conventus c sint æqualiter vicini, eam habeat perior conventus antiquioris. Si s æque antiqui, superior observanti præcedat reformatum, & ita serve respective quoad fratres discalceat

17. Dubia omnia, quæ enasci p sunt, dirimantur a superiore gener qui contrafacientes afficiat pœnis arbitrium.

18. In monasteriis monialium o nis subjectis non erigatur via Cruc nisi de consensu superiorum respe ve. In monasteriis aliarum moniali non erigatur, nisi superior gener deputet religiosum ad erectionem ciendam.

19. Exvicarii provinciales ex ceatorum, qui provincias Hispan & Indiarum, ultra biennium adm straverint, expleto officio, vocen & sint patres provinciæ, cum pra gativis, quibus isti gaudent. *Ex nobis*. Anno I.

20. In iis provinciis, in quibus tius diffinitorii consensus accesse & in quibus præteritis temporibus rit usus cantu simplici, etiam Gre riano canendi, non valeant literæ

stc

Digitized by Google

stolicæ relatæ superius. *Exponi nobis*. Anno eodem.

21. Si commissarius generalis nationis Germano-Belgicæ confirmari contigerit, post consumptam confirmationem, unus ex duobus antea nominatis Belgis, vel Germanis, instituatur commissarius. *Apostolici*. Anno II.

22. Possint fratres ejusdem nationis retinere denominationem recollectorum, uti caputio acuminato, & mantellorum ligneis, aut eburneis ligamentis.

23. Fratres observantes, & reformati sint exempti a solutione alimentorum pro iis, qui detinentur in carceribus S. Officii. *Ex decreto S. Congreg. S. Officii*. Anno 1732.

24. Constitutio: *Circumspecta*. Anno I. extendatur etiam ad fratres reformatos, excalceatos, & recollectos. *Nuper*. Anno III.

25. Exsecretarii generales præcedant exprovinciales, qui tales sunt ex indulto apostolico, tamquam exministri proprii, & in rigore sumpti. *Ex decreto commissarii generalis ex audientia SS.* Anno 1732.

26. Superiores locales conventuum observantium, & reformatorum non teneantur ad solvendas gabellas pro molitione frumenti, sed tantum ad exhibendam fidem juratam, per quam testentur quantitatem frumenti, & usum ejusdem pro conventibus, & ad recipiendam a mancipe cedulam obsignatam, alias *bolletta*. Idem fiat in aliis rebus. *Ex epistola thesaurarii generalis*. Anno 1732.

27. Ordinarii locorum non possint adimere omnibus simul unius conventus confessariis facultatem audiendi confessiones. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1732.

28. Superiores interdicant subditis suis fraudulenta commercia adversus jura principum, & supplicio delinquentes coerceant. *Ex epist. encyclica commissarii generalis Joseph Mariæ de Ebora*. Anno 1732.

29. Non permittant, ut sæculares accumbant communi fratrum mensæ, nisi rarissime; rarius autem pernoctent in conventibus. Perfugis receptum tribuant in exterioribus ecclesiarum, vel domorum atriis.

30. Si omnes provinciæ conventus impares essent alendis novitiis, ita ut in nullo eorum novitiatus collocari posset, a patribus diffinitorii, & provinciæ discretis fiat taxa pro necessitatis modo, quam sindici apostolici conventuum a novitiis, vel eorum actoribus exigere possint.

31. Nemo ad habitum admittatur, nisi prius coram duobus testibus formalem, & juridicam attestationem ediderit propria manu subscriptam, se nulla vi coactum, sed libere, ac sponte religiosum institutum amplecti. Ea attestatio recognoscatur a novitio ante professionem, & confirmetur coram testibus.

32. In qualibet provincia observantium sint conventus aliqui recollectionis, vel professorii, in quibus juvenes imbuantur sacris ritibus, christianæ, & religiosæ vitæ præceptis, atque humanioribus literis.

33. Designentur quoque conventus aliqui *recessus*, in quibus vigeat severior vivendi disciplina.

34. In studiis provincialibus tradantur more scholastico præcepta theologiæ moralis, salvis lectorum juribus, & prærogativis.

35. Im-

Digitized by Google

35. Impressio thesium, quæ publice defendi solent, fiat sumptibus conventuum, omissis dedicationibus, & iconibus, nisi aliter suadeant causæ particulares approbandæ a ministro provinciali, seu prælato generali.

36. Curent superiores locales, ne sæculares doceantur in gymnasiis, vel etiam privatim a fratribus.

37. Lectores, quo tempore legunt, non prædicent, neque alia exerceant officia, sive sint observantes, sive reformati. Studentes vero clerici bis intra mensem, sacerdotes semel in hebdomada, recreationis titulo, a conventu egredi permittantur.

38. In studiis generalibus observantium unus sit lector jubilatus, qui præfecti munus adimpleat, cum exemptionibus, quæ theologiæ lectoribus conceduntur. Is præsideat scholasticis exercitationibus, recognoscat theses imprimendas, curet, ut elenchus servetur, quoad vacationum dies, & seriem tractatuum.

39. Ministri provinciales, adhibitis studiorum præfectis, tempore sibi beneviso, studentes examinent. Qui, expleto triennio studii theologici, inventi fuerint inhabiles ad propugnandas publice theses, & regendas cathedras, dimitti possint ad studia theologiæ moralis.

40. Lectores, & præfecti non concedant studentibus consuetas attestationes, nisi religiosæ vitæ specimen dederint, suoque muneri laudabiliter, & strenue satisfecerint. De his, interposito juramento, testimonium ferant.

41. Nemo instituatur lector artium, nisi, propugnatis publice thesibus, ad oppositionis aleam pro lectura consequenda idoneus reperiatur.

42. Nemo instituatur prædicator qui triennio non studuerit theologiæ theses publice defenderit, & in coena culo, vel alibi coram communitate sex ad minus conciones habuerit.

43. Simplex institutio lectoris, ve prædicatoris nemini det titulum, ni actu legerit, vel prædicaverit.

44. Sequuta electione officialiun curiæ Romanæ in capitulo generali minister generalis proponat diffinitori generali sex religiosos debitis qualita tibus præditos, ejusdem nationis, e qua fuerit officialis electus, & ex illi tres seligantur a diffinitorio, e quibu minister generalis unum ad sui libitun in officialem deputare teneatur, in casu vacantiæ. *Cum sicut*. Anno III.

45. Si contigerit, alterum ex hi tribus decedere, aut inhabilem fore facultas ministri generalis limitata s ad duos reliquos. Si duo decedant, ve sint inhabiles, facultas limitata sit a unicum superstitem.

46. Si tres decesserint, vel fuerir inhabiles, tunc deputetur religiosu dignior illius nationis, de qua erat o ficialis electus in capitulo, demandato in casu absentiæ religiosi ita deputa ti, exercitio muneris secretario officiali cedentis, vel decedentis.

47. Delectus trium religiosorur hujusmodi fiat pro fratribus de obse vantia, reformatis, excalceatis, & r collectis, ab eorum respective diffin torio generali.

48. In gradibus, seu officiis gen ralibus, nulla requiratur, vel atten debeat temporis vacatio in ascensu a inferiori ad superiorem gradum. I descensu vero a superiori ad inferi rem gradum, vel transitu ad æqualer intercedere debeat duplex vacati

idest

Digitized by Google

idest per tempus duorum capitulorum generalium, seu duodecim annorum. *Exponi nobis*. Anno III.

49. Superiores generales careant facultate extrahendi a provincia S. Didaci discalceatorum in Mexico religiosum aliquem, absque consensu prævio capituli provincialis, vel pleni diffinitorii provinciæ. *Nuper*. Anno IV.

50. Excommissarius curiæ, & exprocuratores generales tam observantium, quam reformatorum familiæ cismontanæ, habeant votum perpetuum consultivum, & decisivum in capitulis, & congregationibus suarum provinciarum, post incœptum triennium continuum, & per notabile temporis spatium non interpolatum. *Exponi nobis*. Anno IV.

51. Fratres discalceati, & recollecti, sive transeunter, sive permanenter maneant in conventu Aracælitano, vel in aliis subjectis familiæ cismontanæ, subsint circa mores, & disciplinam regularem, juxta eorum particulares constitutiones, commissario generali curiæ, tamquam superiori generali in sua jurisdictione. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1734.

52. Lectores generales, & jubilati præ patribus aggregatis, atque etiam diffinitoribus, & custodibus habitualibus, digniorem locum habeant. *Exponi nobis*. Anno V.

53. In receptione novitiorum apud reformatos, deficientibus uno, vel altero ex diffinitoribus, substituantur patres digniores, qui gaudent jure subrogationis, nec guardiani suppleant vices eorumdem diffinitorum, nisi quatenus nullus ex patribus dignioribus in provincia adesset. *Exponi nobis*. Anno VI.

54. Ordinarii locorum non habeant facultatem privativam recipiendi a monialibus ordinis secreta suffragia, occasione receptionis educandarum, acceptionisque ad habitum, vel professionem; sed ea privative resideat penes superiorem ordinis. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1735.

55. Conventus SS. Quadraginta de Urbe pertineat ad provincias discalceatorum Hispaniæ, nullaque alia natio habeat jus mittendi fratres de familia in ipsum, præter eosdem Hispanos, & provincias Indiarum catholico regi subjectas, salvo jure procuratoris generalis, cujuscumque sit nationis, residendi in dicto conventu, cum suis necessariis ministris, & recipiendi advenas discalceatos, & recollectos, qui ad Urbem accesserint. *Exponi nobis*. Anno VII.

56. Liceat fratribus de observantia admittere ad habitum tertiarias sine votis, irrequisito ordinario loci, absque tamen ulla earum exemptione. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1738.

57. In singulis conventibus, qualibet dominica, explicetur catechismus religiosis laicis. *Ex decreto S. Congreg. Disciplinæ*. Anno 1739.

58. Si procurator generalis observantium discedat a curia, jus assistendi in capella pontificia habeat procurator generalis conventualium. *Ex decreto S. Congreg. Rituum*. Anno 1740.

59. Congregatio tertii ordinis erecta a fratribus discalceatis sustineatur, licet eam jam pridem in eodem loco observantes instituerint. *Ex decreto S. Congreg. Episcoporum*. Anno 1740.

ANNO 1740. BENEDICTUS XIV.

1. In studiis secundæ classis minorum

Digitized by Google

rum obſervantium inſtituatur tertius lector theologiæ moralis, canonicæ, vel dogmaticæ, qui fruatur privilegiis, & prærogativis aliorum lectorum. In ſtudiis vero provincialibus ſit lector theologiæ moralis. *Ex epiſt. ſecretariæ status*. Anno 1740.

2. Altaria in eccleſiis ordinis, in quibus celebrantur miſſæ in die obitus pro eorum animabus, qui juriſdictioni miniſtri generalis ſubjiciuntur, ſint perpetuo privilegiata. Eodemque privilegio gaudeant altaria in eccleſiis monialium, etiamſi in ipſis celebret ſæcularis, vel alterius ordinis ſacerdos. *Cum ſicut*. Anno I.

3. Altaria, in quibus celebrant miniſtri generales ordinis, ſint privilegiata. *Cum ſicut*. Anno I.

4. Liceat parochis erigere viam Crucis in propria eccleſia, vel in ejus diſtrictu, obtenta licentia in ſcriptis ordinarii, ſub directione cujuslibet fratris obſervantium, ſeu reformatorum, aut recollectorum, confeſſoris tamen, vel prædicatoris, de quocumque conventu proximo, vel remoto, ad parochorum arbitrium, de conſenſu tamen, & permiſſu ſuorum ſuperiorum eligendi. *Cum tanta*. Anno II.

5. Via Crucis in iis civitatibus, oppidis, & locis, ubi erecta reperitur in eccleſiis fratrum minorum, non erigatur, niſi, licet in alia civitate, oppido, & loco erecta fuerit, ea ſit itineris longitudo, vel aſperitas viæ, ut chriſtifideles non ſine graviſſimo incommodo, aut nullo pacto, illuc accedere valeant. Hoc in caſu ordinarii locorum omnia ordinent, & præſcribant.

6. Eccleſiæ monialium S. Claræ gaudeant indulgentia Portiunculæ, die ſecunda Auguſti, a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis, ſicut cæteræ eccleſiæ fratrum minorum. *Ex decreto S. Congreg. Indulg.* Anno 1741.

7. In literis teſtimonialibus, quas guardianus S. Mariæ Angelorum Aſſiſii tradet iis, qui ad lucrandam indulgentiam acceſſerint die dicta Auguſti, declaretur, præfatam indulgentiam uni dumtaxat anni diei eſſe affixam. *Ex eodem*. Anno 1742.

8. Eleemoſynæ prædicatorum fideliter tradantur ſindicis apoſtolicis conventuum, referendæ in librum rationum, ſub pœna proprietarii, & ſuſpenſionis ab officio prædicationis. *Ex epiſtola encyclica miniſtri generalis*. Anno 1741.

9. Inſtituantur in ſingulis conventibus communitates pannorum laneorum, & lineorum, pro fratrum neceſſitatibus.

10. Panni pro indumentis non ſint ex lanis coloratis, ſive nigris, ſive cæruleis, nec levigati. Habitus ſint abſque multis plicaturis; chordæ ex cannabo, & craſſiores. Pallia parum excedant genua; auferantur ſudariola circa collum, & birecta in capite, niſi aliquis eis indiguerit; capſulæ, ſeu thecæ pro *tabacco* ſint modeſtiſſimæ; in cellis non adſint picturæ cum coronis inauratis, vel curioſis; lecti cooperiantur panno humili, & uniformi. Fratres vero, qui coguntur portare calceamenta, non mittantur extra domum.

11. Titulus prædicatoris *clariſſimi* mutetur in titulum prædicatoris generalis, ſalvis remanentibus eiſdem privilegiis.

12. Expenſas pro conventibus faciant ſindici, vel eorum ſubſtituti, nec quiſquam, ſive guardianus, ſive ſubditus,

ditus, sub pœnâ proprietarii, recipiat stipendia missarum, pretium solvat operariis, vel instituat pacta, conventiones, aliaque hujusmodi.

13. In refectorio eadem mensa, atque iidem cibi, panis, & vinum parentur omnibus tam superioribus, quam subditis, & laicis.

14. Novitii religiose, & liberaliter educentur, & instruantur exemplis desumptis a sacra scriptura, & historia ordinis nostri, amota quarumdam provinciarum rusticitate, in quibus mos est, ut in abstergendis ollis omnibus, & patinis immorentur, ut lapides integros ad collum appensos deferant, aliasque graves, ac sæpe etiam ridiculas pœnitentias subeant, & injuriosis verbis a superioribus excipiantur.

15. Neque guardiani, neque magistri audeant novitios afficere alaphis, pugnis, aut calcibus, veluti si miseri juvenes ad triremes damnati forent.

16. Novitiis, & clericis recollectis permittantur noctu lucernæ, ut legere possint librum: *Il Cristiano istruito del Segneri*, quem secum deferre debeant, dum habitum suscipiunt.

17. Sacerdotes, & clerici studentes, qualibet Dominica, prædicent *per turnum* in refectorio, adhibeantque conciones Pauli Segneri, quæ a perito aliquo viro breviores reddi poterunt.

18. Clerici omnes post refectionem serotinam in sacello superiori canant litanias B. Mariæ Virginis cum *Tota Pulchra*, antiphona S. Francisci, responsorio S. Antonii, & dicant *De profundis*, submissa voce. Postea curet guardianus, vel vicarius, ut unusquisque cellam suam repetat.

19. Singulis quatuor mensibus examinentur studentes philosophiæ, & theologiæ coram lectoribus.

20. Statutis diebus habeantur lectiones, & conclusiones, nisi extraordinarius casus aliquis contigat, ob quem habenda sit vacatio. Præfectus autem vacationem indicere nequeat, sed obsequi tantum possit lectorum voto, si simul congregati vacationem necessarium esse judicaverint, dummodo nemo eorum dissentiat, quod si accidat, nulla sit vacatio.

21. In studiis provincialibus legatur tantum theologia moralis scholastica methodo, & habeantur conclusiones diurnæ, quibus adsint confessores conventus. Lectores gaudeant eisdem prærogativis, ac si legerent theologiam scholasticam.

22. Nemo lectorum prædicet in quadragesima, nisi in suggestis generalibus. Guardiani vero nullo modo conciones habeant.

23. Diffinitores provinciarum non eligantur, nisi fratres doctrina prædi ti, & ingenio, qui quæstiones, seu processus instituere sciant, aut saltem intelligant, aptasque in judiciis ferre sententias.

24. Superior generalis non permittat, ut capitulum, vel congregatio celebretur in iis provinciis, quæ ad se prius non miserint juratam attestationem, quod in conventibus regula, & constitutiones ordinis exacte observentur.

25. Superiores non possint quæstionem instituere contra quemquam, vigore literarum, quæ scribi solent suppresso nomine.

26. In conventibus nemo pueros doceat, neque sæcularibus dentur le-

ctiones cantus, vel soni. Fiant autem exercitia spiritualia in communi, saltem in quadragesima, de quo superiores locales testimonium exhibere teneantur diffinitorio, & diffinitorium superiori generali.

27. Fratres reformati literas, quas mittunt superiori generali, dirigant ad conventum S. Francisci Transtiberim. *Ex alia encyclica ministri generalis*. Anno 1741.

28. Observentur statuta ordinis circa quæstuationes, & quilibet conventus se contineat intra suos limites. Contrafacientes puniantur ut pacis perturbatores.

29. Quæstores statim ac pervenerint ad locum aliquem, ubi fuerint conventus ordinis, teneantur se præsentare superiori locali.

30. In singulis ecclesiis ordinis erigatur altare S. Francisci, & debite ornetur.

31. Sindici apostolici conventuum non sint exempti ab oneribus communitativis. Attamen juxta temporum, & rerum circumstantias attendi poterit benignitas, & liberalitas summi pontificis. *Ex decreto Congreg. particularis, & Auditoris SS.* Anno 1741.

32. Tertiarii in suis domibus viventes præcedant omnibus, & singulis confraternitatibus laicalibus, sive ipsi sub propria cruce distincti, sive sub cruce fratrum minorum incedant in processionibus. *Ad nostrum*. Anno V.

33. Indiarum provinciis liceat constituere procuratores sibi bene visos, pro earum negotiis in quocumque loco, sine licentia, consensu, aut consilio commissarii generalis Indiarum. *Exponi nobis*. Anno III.

34. Procuratores hujusmodi, pr ter literas obedientiales, & mandati procuræ, non teneantur ostende commissario generali instructiones s cretas, & singula negotia per provi cias commissa.

35. Quatuor ad minus vicibus quolibet anno, in adventu, & qu. dragesima, verbi Dei prædicatores i concionibus, & aliis quibusvis actic nibus, & functionibus publicis, con mendent fidelibus necessitates locorun Terræ Sanctæ. *Emanarunt*. Anno III

36. Tertiariis in processionibus com petat præcedentia etiam supra omnes archiconfraternitates, dummodo incedant in habitu exteriori proprii ordinis. *Ex decreto A. C.* Anno 1744.

37. Fratres, qui per literas obedientiales superioris generalis collocantur de familia in aliquo determinato conventu extra provinciam, possint exsequi easdem literas absque consensu ministri provincialis; idque observetur in familia cismontana apud observantes pariter, & reformatos. *Ex decreto ministri generalis*. Anno 1744.

38. In singulis conventibus, initio communis mensæ, legatur tabula fratrum defunctorum, cum annotatione anni, & diei obitus, deinde lector dicat: *Quorum animæ, aliorumque ob negligentiam omissorum, per misericordiam Dei, requiescant in pace*. His factis, dicatur psalmus: *De profundis*, cum oratione: *Absolve, Domine, animas fratrum nostrorum*; quæ etiam post benedictionem mensæ dici queant. *Ex epistola encyclica ministri generalis*. Anno 1744.

39. Superiores locales in obitu parentum alicujus religiosi curent, ut canatur saltem una missa, & in conventi-

Digitized by Google

ventibus majoribus dicantur quatuor, in minoribus duæ a defunctorum filio, si fuerit sacerdos.

40. In solemnitate Nativitatis Domini relinquantur liberæ cuilibet sacerdoti saltem duæ missæ, quas applicare ipse possit in suffragium parentum suorum.

41. Si moriatur minister generalis, & pater dignior, cui sigilla competunt, non adsit præsens, gubernium interinum sit apud discretorium generale, quod habeatur bis in hebdomada. *Ex decreto Secretariæ Status*. Anno 1744.

42. Guardianus Terræ Sanctæ habeat facultatem conferendi Sacramentum confirmationis, & exercendi pontificalia. *Ex audientia SS.* Anno 1744.

43. Nemo, qui in Indiarum provincias pergit, aut ab eis revertitur, permaneat extra claustra in domibus sæcularium, sub pœna apostasiæ. *Ex decreto ministri generalis*. Anno 1744.

44. Custodes, qui suffragantur in capitulis generalibus, non habeant præcedentiam supra lectores jubilatos de non numero, nullo tamen illis præjudicio illato circa præcedentiam sibi debitam in provincia, tamquam excustodibus. *Ex eodem*. Anno 1744.

45. Exministris provincialibus competat semper præcedentia supra exvicarios, etsi illi diu post hos proprovinciam administraverint. *Ex eodem.* Anno 1745.

46. Vicarius provincialis electus a diffinitorio non possit neque a diffinitorio ipso, neque a ministro generali declarari minister.

47. Lector generalis, qui lecturam interpolavit, vel occasione eundi ad comitia generalia, tamquam vocalis, vel quia exstitit commissarius, teneatur supplere tempus, quo vacavit, ut jubilationem obtinere possit.

48. Moniales, quæ antequam essent discretæ, electæ fuerunt in abbatissas, expleto triennio, gaudeant præcedentia, ac voce consultiva, & decisiva super illas, quæ fuerunt post eas ad idem munus promotæ, & jam erant prius connumeratæ inter discretas; dummodo id non adversetur alicui decreto municipali. *Ex eodem*. Anno 1745.

49. Fratres de observantia non habeant jus privativum, quoad recollectos, & discalceatos, erigendi tertium ordinem S. Francisci; sed ipsum etiam recollecti, & discalceati erigere possint in conventibus, & locis suis quibuscumque, tametsi de novo fundatis, & ubi jam fratres de observantia conventus habent, & loca, in quibus tertius ordo erectus reperitur. *Laudabile*. Anno V.

50. Missionarii franciscani in Anglia subjiciantur omnimodæ jurisdictioni vicariorum apostolicorum. *Emanavit*. Anno VI.

51. Provinciæ recollectorum Galliæ subsint tantum ministro generali ordinis, non autem commissario generali familiæ. *Ex decreto ministri generalis*. Anno 1745.

52. In guardianum montis Syon eligatur in comitiis generalibus, de communi patrum consilio, & extra eadem comitia, de aliquorum discretorum, & generalium diffinitorum approbatione, per superiorem generalem, religiosus ætate gravis, doctrina, & eruditione insignis, & prudentia clarus, rerum agendarum usu peritus,

ritus, & vitæ innocentia, optimisque moribus undequaque probatus. *In supremo*. Anno VI.

53. Si aliquis his prærogativis insignitus reperiatur in custodia Terræ Sanctæ, is cæteris pro electione præferatur.

54. Taliter electus teneatur literas suæ electionis exhibere S. Congregationis de Propaganda Fide, ab eaque tam suæ electionis confirmationem, quam literas patentes præfecti missionum a custodia Terræ Sanctæ dependentium recipere, nullamque jurisdictionem in sanctam custodiam exercere valeat, quo ad usque patentes literæ institutionis, & confirmationis inibi formiter publicentur.

55. Ipse sit verus, immediatus, & unicus superior totius Terræ Sanctæ, & omnium, ac singulorum fratrum in ea commorantium, cujuscumque nationis, gradus, & conditionis exsistant, eo prorsus modo, quo quisque minister provincialis est superior provinciæ suæ.

56. Possit paternaliter corripere, & punire omnes religiosos, cujuscumque; int graduationis, etiam vicarium, & procuratorem generalem, si delinquentes eos repererit; certiorata tamen S. Congregatione prædicta, quoad missionarios.

57. Possit juridice contra eosdem procedere, sicuti contra diffinitores provinciæ procederet minister provincialis; et, de consilio, ac voto discretorum, tam vicarium, quam procuratorem prædictum proprio respective officio per sententiam privare; simulque cum discretorio alium instituere vicarium, aut procuratorem, usque dum a superiore generali aliter fuerit provisum.

58. Sit ex officio visitator generalis super totam familiam Terræ Sanctæ, eamque tam in capite, quam in membris visitet, ut uniuscujusque habeatur testimonium meritorum, vel demeritorum, superiori generali transmittendum. Qui pariter S. Congregationem certiorabit in iis, quæ ad missionem, & missionarios pertinent.

59. Statim ac ad S. Civitatem pervenerit, sindicationem instituat, ac diligenter inquirat de peractis a prædecessore suo, a vicario, procuratore, cæterisque fratribus, & ministrum generalem adamussim informet.

60. Exacte visitet officinas SS. Salvatoris, una cum discretis, integram habere curet notitiam status custodiæ, videlicet, eleemosynarum exsistentium tam in variis procuræ capsulis, quam apud sindicos, & procuratores conventuum, atque hospitiorum custodiæ, rerumque omnium, & ornamentorum, quæ asservantur in officinis procuræ, sacrarii, cellarii, coquinæ &c. conventuum SS. Redemptoris, Bethlem, Nazareth, S. Joannis in Montana, confrontando inventaria, & examinando, si omnia correspondeant.

61. Singulis annis visitet per se conventus, & hospitia parum distantia ab urbe Hierosolymis. Cætera, singulo triennio saltem, visitet per religiosos idoneos, & visitationum transumptum authenticum transmittat ad superiorem generalem, una cum iis, quæ ipse decreverit, post communicatam discretorio Terræ Sanctæ visitationem.

62. Singulis annis mittat ad superiorem generalem catalogum omnium fratrum, in quo eorum officia indicentur, & terminus eorum mansioni præfixus.

63. Su-

Digitized by Google

63. Superior generalis exhibeat catalogum missionariorum S. Congregationi de Propaganda Fide.

64. Deferendis scripturis hujusmodi, vel alteri cuicumque negotio apud superiorem generalem non delegetur ullus missionarius, vel is, quem ad Terram Sanctam iterum reverti necesse est; sed eædem mittantur per religiosos, qui vel ob completum triennium, vel ob aliam causam, redituri sunt in provincias suas.

65. Fratres, cujuscumque sint nationis, statim ac ad Terram Sanctam appulerint, certiorem faciant guardianum de eorum adventu, & ab eo collocationem petant, quam guardianus de consensu discretorii determinet, & obedientiales literas expediat, absque eo quod illas vicario, vel procuratori consignare teneatur. Idem faciat in translatione fratrum ab uno in alium locum.

66. Ad guardianum simul cum discretorio pertineat instituere, & eligere discretos, guardianos, vicepræfectos, præsidentes, parochos, capellanos, procuratores, viceprocuratores, sindicos, interpretes, omnesque alios officiales. Pariter Constantinopolim pueros mittere ad effectum addiscendi linguam Turcicam.

67. Deputandi ad curam animarum, cujuscumque sint nationis, examinentur a guardiano, & ejus discretorio.

68. Parochiæ, & capellaniæ Gallorum non conferantur alumnis alterius nationis, nisi deficientibus religiosis Gallis idoneis; super quo guardianus, & discreti iis prudenter attendant, quæ vicarius repræsentaverit.

69. Nemo, cujuscumque sit nationis, sub pœna apostasiæ pergat de uno in alium locum, sine licentia guardiani in scriptis. In casu gravaminis, licitus sit recursus ad discretorium, sed in devolutivo tantum.

70. Guardianus non permittat, religiosos, qui semel sanctuaria visitavere, hinc inde vagari, sive in equis vectos, sive pedestrer; neque sinat, ut gestent arma lævia, etiamsi ad sui tuitionem id velint facere.

71. Quicumque verbo, vel scripto asseruerit, guardianum non esse superiorem, aut esse superiorem in spiritualibus tantum, non in temporalibus; vicarium esse superiorem Gallorum, procuratorem Hispanorum &c. puniatur. Si is fuerit religiosus, statim in christianitatem regredi cogatur; si interpres, vel servitio Terræ Sanctæ addictus, privetur officio, & servitio, ac dimittatur; si christianus sit in domibus Terræ Sanctæ habitans, expellatur. Eodem modo puniantur illi, qui transgressi fuerint mandata superioris generalis.

72. Quolibet anno in singulis custodiæ ecclesiis, latino, & Arabico idiomate, publicetur inter missarum solemnia, feria quinta in Cœna Domini, excommunicatio summo pontifici reservata, contra eos, qui eleemosynas Terræ Sanctæ usurpaverint, vel infideliter administraverint, vel fuerint in causa, quod Terræ Sanctæ avaniæ factæ fuerint.

73. Guardianus charitative, benigne, & paternaliter se gerat cum omnibus fratribus, & æqualem se faciat cunctis, absque personarum, vel nationum acceptione.

74. Non permittat, ut eleemosynarum transvectores moram trahant in Terra Sancta plus quam duos menses,

nec,

Digitized by Google

nec, ut per ſeipſos, aut alios ſanctuaria emant, quamvis ab aliqua perſona ſe ad hunc effectum eleemoſynam recepiſſe dicant. Sed dictam eleemoſynam tradi mandet procuratori, qui præfata ſanctuaria procuret.

75. Neminem inſtituat equitem, S. Sepulchri, niſi prævio conſenſu diſcretorum, adhibitiſque ſolemnitatibus, & niſi latis in eleemoſynam ab equite inſtituendo centum *zecchinis* Venetis, ad conſervationem S. Sepulcri unice applicandis.

76. Sigillum, quo patentes equitum muniri ſolent, aſſervetur in arca trium clavium, in qua reponuntur eleemoſynæ pecuniariæ; nec poſſit extrahi, niſi præſente diſcretorio, ad cujus etiam præſentiam patentes ſigillo muniri debeant, ac ſtatim ſigillum reponatur in arca.

77. Non poſſit guardianus ullum interpretem pro ſuo particulari ſervitio aſſumere; ſed a diſcretorio interpres deputetur, ſi neceſſe fuerit, ipſo guardiano proponente.

78. Si dubium oriatur circa particularia exercitia, cœremonias, functiones eccleſiaſticas, pontificalia, ipſum diſcutiatur in diſcretorio, & deciſioni omnes obtemperare teneantur.

79. Guardianus in rebus gravibus ſolus judicium non ferat, ſed conſilium petat diſcretorum, & aliquando totius communitatis. Nec ſine aſſenſu diſcretorii poſſit deputare guardianos, vicepræfectos, præſidentes, curatos, etiam in conventibus, & hoſpitiis, ubi reperiuntur miſſiones.

80. Si tractare, vel expedire debeat aliquod negotium ad miſſiones pertinens, vel pro negotiis miſſionum ſcribere, aut reſpondere alicui prælato, vel miſſionario extero, præter conſilium diſcretorii, exquirat etiam votum aliquorum patrum graviorum conventus SS. Salvatoris, & miſſionariorum in eodem conventu forte exſiſtentium. Non tamen miſſionarios advocet ab aliis locis, quibuſcum per literas, ſi neceſſe fuerit, negotia pertractare poterit.

81. Si guardianus deficiat, vel abſit a cuſtodia, ſuperior ſit præſidens inſtitutus a diſcretorio, vel miniſtro generali. Si præſidens, & guardianus abſint a conventu SS. Salvatoris, ſuperior ejuſdem conventus ſit vicarius.

82. In quocumque conventu, & hoſpitio, vicarius conſideretur tamquam prima perſona poſt guardianum, quantum ad honorem, præcedentiam, & peragendas ſacras functiones, quando non eſt præſens guardianus.

83. Nominetur tantum vicarius S. Montis Syon, vel vicarius cuſtodialis Terræ Sanctæ, & nullo modo vicarius generalis, & in functionibus, quæ fiunt, conveniente communitate S. Salvatoris, abſente, vel impedito guardiano, præſideat, & præferatur; ipſeque tum in SS. Sepulchro, tum in aliis conventibus, dictas functiones, quas exerceret guardianus, ſi præſens eſſet, exſequatur.

84. Præcedentiæ ordo inter vicarium Montis Syon, & procuratorem generalem Terræ Sanctæ, ſervetur ubique per Terram Sanctam, qui Hieroſolymis ſtatutus eſt.

85. Vicarius in proceſſionibus procedat ante indutos ſuperpelliceis, etiam dum guardianus abeſt, & tempore, quo miſſam celebrat, nullum in capite birectum geſtet, neque in refectorio aliquid particulare cibi, vel potus habeat,

beat, neque in vestitu, & aliis rebus a cæteris religiosis differat, sub pœna privationis officii.

86. Pro sui arbitrio socium sacerdotem, vel laicum habere possit; vestes etiam sacras, & paramenta distincta in sacristia ad missam celebrandam inferiora tamen eis, quibus utitur guardianus; & in choro, absente guardiano, ter incensari debeat.

87. Non possit vicarius, visitatis semel sanctuariis, a civitate Hierosolymitana, & adjacentibus ejus exire, nisi gravissima ex causa, a discretorio approbanda. Idem statuitur pro omnibus, & singulis discretorii patribus.

88. Nequeat dare obedientias fratribus custodiæ, sub pœna privationis officii, aut retinere sigillum, sub pœna falsarii.

89. Curam habeat procurator rerum temporalium ad Terram Sanctam spectantium, non ut superior, sed ut administrator in omnibus, & per omnia a guardiano, & discretorio dependens.

90. Habeat ad arbitrium duos socios, quos dimittat, si graviter deliquerint. Judicium levitatis, vel gravitatis delicti pertineat ad discretorium.

91. Non possit pro arbitrio distribuere domos ad Terram Sanctam spectantes, nec tributum, seu *caragium* pro christianis pauperibus solvere; sed utrumque spectet ad discretorium, cui parochus familiarum christianorum Hierosolymis degentium præsentet catalogum, & statum earumdem.

92. Sine consensu discretorii nequeat solvere literas *cambiales*, quæ summam ducentorum *zecchinorum* excedunt, procuratoribus conventuum, & hospitiorum Terræ Sanctæ; nec munera dare, aut pecunias, horologia, vestes &c., neque avanias solvere, sub pœna privationis officii.

93. Quoties aliquid, de consensu discretorii, erogaverit, tali modo se gerat, ut Turcis, & etiam Christianis innotescat, quod hæc non præstat nomine proprio, ac veluti caput, & superior Terræ Sanctæ; sed nomine guardiani, & totius discretorii.

94. Nec vestimenta, nec sandalia, nec alia hujusmodi ulli religioso tribuat, absque licentia, vel mandato in scriptis guardiani. Accepto autem mandato, sine mora tribuat, vel tribui curet quod ordinatum fuerit.

95. Sub pœna privationis officii, nequeat ad conventus, & hospitia custodiæ transmittere supellectiles sacras, calices, paramenta, & similia, sine consensu discretorii. Discretorium vero curet, ut conventus, & hospitia æqualiter, & servata debita proportione, provideantur.

96. Provisiones facere nullo modo possit, absque expresso mandato discretorii, tam circa quantitatem, quam circa qualitatem rerum providendarum; possitque discretorium, duos religiosos deputare, qui res easdem, tempore consignationis, videant, & examinent.

97. Singulis mensibus rationem reddat discretorio quantitatis, & qualitatis rerum emptarum, & monetarum, quas recepit, & solvit, cum expressione speciei earumdem, & pretii, si ex commutatæ fuerint in alias monetas. Suos computos veridicos esse probet per attestationes.

98. In omnibus conventibus, & hospitiis, excepto conventu SS. Salvatoris, semel in mense reddantur computi,

puti, præsentibus religiosis inibi commorantibus, cum expressione speciei, & varietatis monetarum; iidemque computi a religiosis subscripti mittantur ad procuratorem generalem, qui eos præsentabit discretorio pro ulteriori examine, & approbatione. Qui noluerit computos subscribere, non fugiet, sed sua motiva per epistolam discretorio communicet.

99. Teneantur procuratores, & alii officiales conventuum, & hospitiorum Terræ Sanctæ transmittere ad guardianum, & discretorium computos, eorumque libros, & similia, si fuerint requisiti. Qui non obtemperaverit, si religiosus fuerit, remittatur ad christianitatem: si sæcularis, amoveatur ab officio, & servitio Terræ Sanctæ.

100. Procurator in emptione sanctuariorum explicet varia eorum pretia, notetque quot juxta taxatum jam pretium, quotque juxta inferius ordinario emerit, & reddat rationem discretorio sanctuariorum, quæ emerit, ac distribuerit; præterea qualitatis, & quantitatis eorum, quæ in qualibet capsa ad christianitatem transmittenda reposuerit.

101. Tempore, quo capsæ componuntur, & replentur, præsentes sint duo religiosi a discretorio destinati, unus Italus, alter Gallus, aut Germanus, qui discretorio referant, capsas tales esse, quales a procuratore declarantur. Liberum tamen sit discretis, & cuique ipsorum, assistere compositioni capsarum.

102. Procurator invigilet super ministris officiorum sacristiæ, cellariorum, coquinæ, & procurationis, certioremque reddat guardianum, ut provideat in casu negligentiæ, vel infidelitatis.

103. Una sit clavis cujuslibet officinæ retinenda a proprio respective officiali, qui procuratorem in eam introducat, si procurator eam visitare voluerit.

104. Sub pœna apostasiæ procurator non accedat ad capitulum generale, nec minister generalis possit super hoc dispensare. Sed computos a discretorio approbatos, & ab omnibus discretis subscriptos, sigillisque munitos guardiani, & procuratoris, consignet guardiano, qui eos deferat ad capitulum generale.

105. Eleemosynæ omnes, quæ in Terram Sanctam transvehuntur, in arca sub tribus clavibus asserventur, quarum una sit apud guardianum, vel præsidentem pro tempore, altera penes vicarium, tertia penes procuratorem sub pœna suspensionis officii guardiano, qui id exsequi neglexerit.

106. Commissarii Terræ Sanctæ determinate ad hunc, vel illum locum custodiæ supellectiles sacras, vel profanas, non transmittant; sed cuncta discretorio dirigantur, distribuenda secundum conventuum necessitates.

107. Si supellectiles aliquæ a benefactoribus applicentur alicui determinato conventui, vel sacristiæ, commissarius, qui eas receperit, notificet id discretorio, nomine benefactoris apposito. Discretorium vero ad illum locum eas mittat, cui a donante fuerint assignatæ.

108. Eleemosynarum, & rerum omnium, quas commissarii Hierosolymam transmittunt, receptuæ fiant, & subscribantur a guardiano, & discretis pro tempore præsentibus.

109. Commissarii clare, & distinctæ discretorio Terræ Sanctæ notificent

cent eleemosynas, quas transmittunt, eas videlicet, quæ libere a benefactoribus dantur in subsidium custodiæ, & eas, quæ pro missis sive perpetuis, sive manualibus celebrandis, specificando quantitatem eleemosynæ cuique oneri correspondentis. Discretorium clare, & distincte omnia notet, ut benefactorum intentioni satisfieri queat.

110. Procurator habeat inventaria subscripta a guardiano, & discretorio, rerum omnium, quæ in officinis exsistunt, tum suæ procurationis, tum in sacristiis, cellariis, coquinis conventuum SS. Salvatoris, S. Joannis in Montana, Bethlem, & Nazareth; rationemque reddat, maxime singulo anno, in visitatione a guardiano peragenda.

111. Singulis officiorum ministris tradantur singula inventaria rerum, quas respective in officio illis credito contingit adinveniri, ut ipsi quoque per guardianum in omni eventu cogi possint ad reddendam rationem, coram discretorio.

112. Procurator habeat rationale, seu librum, in quo, coram guardiano, & discretis, fideliter scribat numerum eleemosynarum, quæ recipiuntur, cum expressione nominis, & patriæ benefactorum, nominisque, & nationis commissarii, qui eleemosynas mittit, & illius, cujus opera Hierosolymam mittuntur.

113. Quando aliquis religiosus de novo venit Hierosolymam, procurator scribat fideliter libros, & supellectilem, quam novus frater portat, qui etiam debeat scribere. Si contingat, hujusmodi fratrem exire de Terra Sancta, libri, & supellectiles ipsi dentur.

114. Discretorium Terræ Sanctæ componant guardianus, vicarius, procurator, & alii quatuor, unus Italus, alter Gallus, alter Hispanus, alter ex natione Germanica.

115. Discretorium ita sit triennale, ut semel electi in discretos, durante triennio, nequeant eligi in guardianos conventuum, vel præsidentes hospitiorum, nec collocari de familia extra conventum SS. Salvatoris. Possint continuari ad aliud triennium, si id expediens videatur discretorio, & dummodo per secretas ballottationes quatuor ad minus suffragia pro continuatione concurrant.

116. Deficiente, quacumque ex causa, aliquo discreto, alius ejusdem nationis eligatur a discretorio.

117. Electio hujusmodi fiat hoc modo, sub pœna nullitatis. Præsententur tres religiosi a guardiano, si eligendus fuerit Italus, aut Germanus. Si vero Gallus, aut Hispanus, præsentatio fiat a vicario, vel procuratore respective. Deinde in discretorio fiat discussio meritorum. Postea guardianus digniorem proponat, & præstito a singulis electoribus juramento coram imagine Crucifixi, de meliore eligendo, electio fiat per secretas ballottationes; &, si majorem votorum partem habuerit, pro discreto legitime electo habeatur; sin secus, alium ex tribus proponat guardianus, usque dum per votorum pluralitatem habeatur electio.

118. Nec religiosi tertii ordinis, nec laici in discretos eligi valeant, nisi in casu necessitatis, & deficientibus primi ordinis religiosis idoneis illius nationis, ex qua discretus est assumendus.

119. Secretarius guardiani non possit

sit eligi in discretum.

120. Semel in hebdomada congregetur discretorium, loco, die, & hora ab eodem discretorio destinatis, & ex officio ad ipsum accedant singuli discreti, absque necessitate convocationis, aut citationis.

121. In absentia guardiani, aut præsidentis custodiæ, præsidentiam in discretorio habeat vicarius, aut provicarius, cunctaque fiant eodem prorsus modo, ac si præsens foret guardianus, cui etiam liberum sit, discretorium extraordinarium convocare, si id necessarium judicaverit.

122. Nonnisi in discretorio aperiri, aut legi possint literæ, vel scripturæ ad ipsum discretorium directæ, & sine discretorii consilio, & assensu, nihil grave præcipere, vel facere possit guardianus, neque ulli christiano orientali ad christianitatem pergendi licentiam concedere.

123. Pro servitio conventuum, & hospitiorum assignetur numerus centum sacerdotum, & sexaginta laicorum, augendus juxta circumstantias, si opus fuerit, a superiore generali, admonente discretorio.

124. Guardianus, possessione inita officii sui, transmittat ad superiorem generalem catalogum fratrum, etiam missionariorum, illic degentium, subnectendo cuique, juxta taxatas moras, quo tempore ad propriam dimittetur, & informando, singulis annis, de numero mortuorum. Superior autem generalis exhibeat S. Congregationi de Propaganda fide catalogum missionariorum.

125. Triennalia sint officia guardiani, vicarii, procuratoris, discretorum, aliorumque officialium. Sed a conventu SS. Salvatoris discedere nequeant guardianus, vicarius, & procurator, nisi post adventum successorum; excepto casu capituli generalis, ad quod accedat guardianus, electo prius per discretorii patres idoneo præsidente.

126. Minister generalis possit quemlibet eorum ad aliud triennium confirmare, si per juratam totius discretorii attestationem utilitati custodiæ sic convenire sibi constiterit.

127. Nemo, cujuscumque sit nationis, exceptis missionariis, immoretur in custodia Terræ Sanctæ ultra triennium, quo elapso, guardianus omnes, & singulos remittat in proprias provincias. Ipsi autem statim literas obedientiales sibi traditas exsequutioni mandent, sub pœna privationis perpetuæ vocis activæ, & passivæ, etsi ob aliquod motivum ultra decennium ibidem commorati fuissent.

128. Si religiosum aliquem, pro excercendo officio, ultra triennium retinere necesse fuerit, id fiat de consensu discretorii, usque dum alius religiosus, qui tale officium exercere valeat, advenerit.

129. In conventibus, vel hospitiis, ubi non sunt missiones, non collocentur de familia missionarii, nisi post expletum ipsis taxatum missionum exercendarum tempus. Sed possit guardianus eisdem licentiam dare visitandi loca sancta.

130. Fratribus redeuntibus a Terra Sancta, post exhibitum, triennio consueto, servitium commendabile, procurator concedat sanctuaria ad trium *piastrarum* sumptum, reddat libros, si quos secum portaverint, & assignet unum illud, (nisi admodum con-

consumptum fuerit), quo ad Terram Sanctam pervenerunt, indumentum.

131. Superiores conventus S. Joannis in Montana, & hospitiorum Ramæ, Joppen, Damasci, Nicosiæ, & Constantinopolis, assumantur ex natione Hispanica, quoties ex eadem idonei ad hæc religiosi inveniantur; & servetur consueta alternativa pro superioritatibus Bethlem, & SS. Sepulchri.

132. Si ex natione Hispanica religiosi idonei non reperiantur, possit discretorium easdem superioritates religiosis cujuslibet nationis conferre.

133. In principalioribus ecclesiis custodiæ primus sacrista sit sacerdos, qui sit exemptus ab officio hebdomadarii, horis matutinis, & nocturnis, exceptis diebus, quibus occurrit officium primæ, vel secundæ classis. Is assistat functionibus sacris superpelliceo indutus, supellectiles, vasa sacra, & paramenta disponat, & custodiat. Secundus sacrista sit laicus, qui ecclesiam mundet, & laboriosa alia munera peragat. *Legem abrogavit deinde pontifex*: *Exponi nobis*. Anno VI. *sicuti & alteram circa processiones*.

134. Pro unoquoque ministerio hebdomadæ sanctæ, & novenæ Nativitatis Domini, religiosi nominentur, ac deputentur ab antiquiori discreto cujuslibet nationis, videlicet Itali a guardiano, Galli a vicario, Hispani a procuratore; idemque servetur in festis S. Jacobi, & S. Ludovici ab Hispanis, & Gallis respective.

135. In conventibus, & hospitiis, absente superiore locali, præsidentiam habeat, & curam sacerdos antiquior inibi de familia. Si vero laici solum de familia reperirentur, & adesset sacerdos etiam hospes, ad ipsum pertineat gubernium. Sin minus, præsidentiam, & curam habeat laicus antiquior.

136. Nemo ædificia nova construat, aut vetera resarciat, siue prævia approbatione discretorii, quam discretorium non det, nisi ex facultatibus necessariis obtentis tam a gubernatoribus, quam ab aliis ministris, ad quos de jure, vel regionis consuetudine pertinuerit.

137. Quolibet mense discretorium examinet, utrum exacte sit satisfactum oneribus missarum tam perpetuis, quam manualibus, ad præscriptum constitutionis Innocentii XII. *Nuper*; singulisque annis, per juratam attestationem, reddat certiorem prælatum generalem de hujusmodi satisfactione.

138. Habeantur in sacristia libri, in quibus adnotentur onera missarum distincte, cum expressione benefactorum, & eleemosynarum; & quilibet celebrans scribat in eis propria manu, cujus intentioni celebrabit. Tabella etiam literis perspicuis exarata exponatur, in qua onera missarum perpetua, vel ad tempus distincte notentur.

139. Si in aliqua ecclesia custodiæ reperiantur legata, pro quibus a legatariis eleemosynæ non solvantur, distinctam de eis notitiam cum juramento a discretorio subscriptam mittat guardianus superiori generali, qui de remedio cogitabit.

140. Omnes, sive superiores, sive subditi, sive officiales servent vitam communem in victu, vestitu, choro, ecclesia &c. Contrafacientes, si fuerit officiales, priventur officio; si subditi, remittantur ad proprias pro-

Digitized by Google

vincias. Attamen relinquantur prudentiæ, & charitati guardiani, officiales aliquos, & cæteros discrete dispensare, quando id conveniens, vel necessarium judicaverit.

141. Nemo sit exemptus a legendis in refectorio, die sabbati, officis communitatis, nisi vicarius, procurator, chronologus, curatus, lector mysticæ, & linguarum, sacrista, & medicus.

142. Laici exerceant per hebdomadam officium accolytorum, associent sacerdotes missas quotidie celebrantes in sacello B. M. Virginis in Monte Calvarii, & in ejus sepulchro in valle Josaphat, deferant alimenta fratribus, qui de familia in SS. Sepulchro clausi morantur, aliaque hujusmodi humilitatis officia præstent, exceptis curatore, pharmacopola, sacrista, janitore, & sociis procuratoris.

143. Ad eadem teneantur omnes, etiam eleemosynarum transvectores, eorumque socii, si, ob aliquam causam a distretorio approbatam, ultra bimestre manserint in custodia.

144. Parochl librum habeant, in quo omnes notentur eleemosynæ, quas pro concionibus, aliisque spiritualibus laboribus acceperint, deque eis bis in anno superiori locali reddant rationem.

145. Si de expensis, & pecuniis, quas in pauperes distribuent, notabile aliquod residuum supersit, superior localis de eo admoneat guardianum Hierosolymitanum, qui eas residuas eleemosynas consignari curet in manus sindici, & cum aliis Terræ Sanctæ incorporari.

146. Servetur perpetuum silentium in refectoriis conventuum SS. Salvatoris, SS. Sepulchri, Bethlem, S. Joannis in Montana, in eisque, quamdiu refectio duraverit, non intermittatur lectio, sub pœna privationis officii guardiano, vel superiori alteri, qui contrarium egerit, vel permiserit.

147. Instituatur a discretorio lector, qui in refectorio conventus SS. Salvatoris, ter in hebdomada habeat lectiones theologiæ moralis, & mysticæ, primam latino, reliquas Italico sermone. Lector habeat a guardiano literas patentes suæ institutionis, & ultra exemptionem ab officio hebdomadarii, sit dispensatus a matutino, diebus, quibus leget.

148. In conventu SS. Salvatoris stricta observetur clausura, nec mulieres ingrediantur infirmariam, vel transeant per dormitorium, vulgo dictum: *taglia panno*.

149. Frater infirmarius, seu chirurgus non possit mederi, vel scindere venas mulieribus infirmis, tam intra, quam extra conventum, sine expressa licentia guardiani.

150. Loca interiora conventuum SS. Salvatoris, & SS. Sepulchri, Bethlem, Nazareth, non ingrediantur sæculares, intus secundam portam, etiamsi fuerit interpres, aut familiaris conventus; neque mulieres, neque pueri, nisi ad audiendas missas recto tramite foras regressuri. Peregrini vero, & interpretes linguæ Arabicæ, & Turcicæ, introire possint, tempore, & loco designatis, & non alias.

151. Sub pœna excommunicationis majoris ipso facto, & privationis vocis activæ, & passivæ, nullo modo religiosi distrahant per se vel alium, coronas, rosarios, vel alias id genus devotiones Hierusalem.

152. Spolia defunctorum consistentia in rosariis, crucibus, aliisque devo

Digitized by Google

votionibus, & alia quæcumque, uti extracta fuerint ex peculio procuratoris, ita nonnisi eidem restituantur.

153. Nullus superioribus generalibus inferior, quavis causa, etiam peregrinationis, mittere possit fratres Hierosolymam, sub pœna privationis activæ, & passivæ.

154. Superiores generales eos tantum mittant, quos per juratam provincialium, & diffinitorum fidem, noverint esse specialis probitatis, vitæ irreprehensibilis, & solo devotionis motivo ductos.

155. Ex unaquaque provincia non mittantur nisi duo; ac propterea ministri provinciales tam observantium, quam reformatorum, recollectorum, discalceatorum, transmittant superiori generali singulo quoque triennio, attestationem juratam, & subscriptam a diffinitorio, in quo præsentent fratres sacerdotes, aut laicos mittendos.

156. Nemini dentur literæ patentes indeterminatæ, seu in albo. Eæ vero, quæ dantur, recognosci debeant a ministro provinciali, & diffinitoribus, si secum sint, & a guardiano, ac discretis conventus, in quo moram fecerit ille, cui fuerunt concessæ. Prædicti autem a tergo patentium attestationem faciant cum juramento, quod religiosus, qui mittitur, sit vir probus, & idoneus ad inserviendum Terræ Sanctæ.

157. Idem observetur quoad illos, qui eleemosynarum conductores, vel transvectores appellantur.

158. Commissarii Terræ Sanctæ in portubus christianitatis, nullum talibus requisitis, & attestationibus non munitum in Terram Sanctam ire patiantur, neque viaticum ad hoc subministrent, sub pœna privationis officii.

159. Nemo pergat in Terram Sanctam, ne eleemosynarum quidem conductoribus exceptis, nisi prius commissarius Terræ Sanctæ, guardianus, & discreti coventus, visitent ea, quæ ad illam deferuntur, eaque notent in inventario, quod ab ipsis subscriptum consignent religiosis ituris.

160. Inventarium, sive attestatio, exhibeatur commissariis portuum tum christianitatis, tum orientalium, ad quos appulerint.

161. Nihil transferatur in Terram Sanctam, sub pœna privationis officiorum commissariis, & guardianis contrafacientibus, quod negotiationem sapiat, vel mercaturam; sed ea tantum ipsi transferri permittant, quæ usui, & necessitati fratrum sunt convenientia.

162. Guardianus Hierosolymitanus, & discreti, sub pœna privationis officiorum, cuncta examinent, quæ a Terra Sancta transferuntur a redeuntibus, & inventarium fidele ab unoquoque eorum subscripto fratri redeunti consignandum conficiant, ut supra de euntibus cautum est.

163. Fratres mercaturæ, vel sæcularibus negotiis operam dantes, guardianus remittat ad proprias provincias, & denuntiet superiori generali, ut in provincia juxta gravitatem excessus puniatur.

164. Nullus religiosus a custodia discedens etiam missionarius, secum deferat vasa, paramenta sacra, vel ecclesiastica, supellectiles, calices, planetas &c. Nec procurator talia ulli concedat, quamvis alicujus navis officio capellani esset functurus.

165. Fratres omnes a Terra Sancta re-

Digitized by Google

redeuntes, statim ac in regiones christianorum portuum appulerint, adeant commissarios, aut vicecommissarios, vel, ipsis absentibus, guardianum conventus vicinioris, illumque precentur, ut in calce suarum patentium subscribat diem sui adventus, & recessus ab illo conventu.

166. Nemini eorum liceat Romam venire, sine speciali licentia superioris generalis, sub pœna apostasiæ.

167. Neque guardianus, vicarius, aut procurator Terræ Sanctæ, expletis officiis, ulla fruantur prærogativa, nisi prius, per attestationem discretorii cum juramento, constiterit superiori generali, eos laudabiliter proprium officium exercuisse, &, quantum in ipsis fuit, observasse, & observari curasse exacte hæc statuta.

168. Statuta præsentia legantur de trimestri in trimestre in plena communitate omnium conventuum, & hospitiorum custodiæ. Alia edita jam pro bono ejusdem custodiæ regimine, & laudabiles consuetudines inibi vigentes, serventur, si his statutis non sint contrariæ.

169. Capellæ publicæ fratrum recollectorum nationis Germano-Belgicæ, gaudeant, donec residentiam inibi fratres duxerint, omnibus indulgentiis, & privilegiis, quæ cæteris ecclesiis ejusdem ordinis sunt concessæ, dummodo christifideles ad illas confluant ad sacrum audiendum, & ad percipienda ecclesiæ sacramenta. *Ex decreto S Congreg. Indulg.* Anno 1746.

170. Collegia in regnis Hispaniæ, pro missionibus fratrum minorum de observantia, subsint jurisdictioni ministri generalis. *Quæcumque.* Anno VII.

171. Singulæ ecclesiæ fratrum recollectorum in natione Germano-Belgica, ubi in missionibus, & aliis pietatis, & misericordiæ operibus occupantur, gaudeant altari privilegiato in perpetuum, duabus feriis cujuslibet hebdomadæ, absque expressione numeri missarum. *Ex decreto S. Congreg. de Indul.* Anno 1747.

172. Ecclesiæ contiguæ residentiis, hospitiis, seu domibus fratrum recollectorum ejusdem nationis, gaudeant præfato privilegio, nec non ecclesiæ conventuum, & residentiarum, quæ non alunt tot sacerdotes, quot requiruntur pro privilegio duarum feriarum. *Ex eodem.* Anno 1748.

173. Sacerdotes dictorum conventuum, seu residentiarum, ut gaudeant privilegio, actu non debeant esse occupati in missionibus, aliisque piis operibus; sed sufficiat, ut id peragant habitu.

174 Missionarii duodennales minorum de observantia præcedant lectoribus jubilatis de non numero. *Ex decreto S. Congreg. de Propaganda Fide.* Anno 1747. Nota. *Hoc decretum jussit summus pontifex, ut exsequutioni non mandaretur.* Eodem Anno.

175. Superiores generales nemini licentiam concedant accedendi ad collegia Urbis S. Bartholomæi in Insula, & S. Petri in Monte Aureo, ut inibi educetur pro missionibus peragendis, nisi constiterit ex juratis attestationibus ministrorum provincialium, diffinitorum, guardianorum, & discretorum respective, eum, qui in collegia admitti postulaverit, exemplaris esse vitæ, & spiritus Dei ductum ad ministerium missionum. *Ex epist. ministri generalis.* Anno 1747.

176. Nemo sive superior, sive sub-

subditus, directe, vel indirecte, impediat eos, qui voluerint miſſionibus operam dare, & prædictis qualitatibus fuerint præditi, sub pœna excommunicationis ipso facto, ministro generali reservata.

177. Sub eadem pœna, ministri, diffinitores, guardiani, & discreti non denegent attestationes iis, qui eas petierint, eisdemque digni fuerint, alias religiosus, qui se gravatum senserit, recurrat ad superiorem generalem.

178. Nequeat guardianus Hierosolymitanus mutare de familia religiosos, absque consensu discretorii. Ut vero mittat eos ab uno in alium locum ob religiosa negotia, vel aliud quodcumque, non indigeat consensu, vel dependentia discretorii. *Ex eadem*. Anno 1747.

179. Vicarius Hierosolymitanus absente, vel impedito guardiano, peragat omnes illas functiones, quæ natura sua pertinent ad guardianum, quasque interinus præsidens Terræ Sanctæ perageret, qui, absque usu tamen pontificalium, institutus esset a discretorio, si guardianus decederet, vel pergeret ad capitulum generale.

180. Celebrante guardiano, idem vicarius peragat functiones omnes, quæ pertinent ad patrem digniorem. Hinc, dominica Palmarum, ipse præsentet palmam guardiano, primus omnium ejus manum deosculetur, & similia faciat, quæ nullo modo spectent ad præsidentem SS. Sepulchri.

181. In processionibus solemnibus, in quibus vicarius, & procurator incedunt pluviali induti, pergant immediate ante guardianum, & post cantores, ipsique primi deosculentur manum guardiani.

182. Procurator concedere possit licentiam Græcis, & Armenis sacra faciendi, aliasque functiones peragendi in ecclesiis, & sanctuariis ordinis, dummodo id antea consuetum fuerit. Si de aliqua functione extraordinaria agatur, licentiam dare nequeat, sine consilio, & assensu discretorii.

183. In absentia guardiani, & vicarii, superioritas conventus SS. Salvatoris spectet ad procuratorem, si fuerit sacerdos. Si vero fuerit laicus, is præcedat laicis aliis, teneatque primum locum post ultimum sacerdotem.

184. Si communitas conventus SS. Salvatoris sacris functionibus sit occupata in loco SS. Sepulchri, & in eodem conventu remaneant aliqui senes, possit procurator in refectorio dispensare lectionem.

185. Habeat procurator in sacristia paramentum particulare, quod si super communem mensam poni nequeat, ponatur in tabula peculiari, ut ipse sine mora sacrum facere possit.

186. Fratres de observantia, reformati, recollecti, discalceati nullimode recurrant ad sæculares, vel alias personas extra ordinem, pro obtinenda aliqua gratia intra ordinem, vel vitanda pœna, sub excommunicationis sententia, ipso facto. *Sacrosancti*. Anno VIII.

187. Superiores provinciales, generales, & alii quilibet sub eadem pœna, nemini concedant ullam gratiam, ullamque dignitatem, officium, vel administrationem, aut pœnam aliquam remittant, ad instantiam, & requisitionem personarum sive laicarum, sive ecclesiasticarum, extra ordinem, etiam cardinalium, & quacumque dignitate ducali, reali, vel imperiali fulgentium.

188. Re-

Digitized by Google

188. Recurſus fiat a gravamine guardiani ad provincialem, a provinciali ad commiſſarium generalem familiæ, (ſi de negotio, & cauſa agatur familiam dicti commiſſaſii concernente; alias, immediate ad generalem), & ab iſto ad generalem miniſtrum.

189. Cauſæ, antequam a miniſtro generali cognitæ, & definitæ fuerint, nequeant deferri, & agitari extra ordinem.

190. Valeat lex non ſolum in appellationibus, ſed in quibuslibet recurſibus, & querelis, & inviolabiliter obſervetur, ipſæque S. Congregationes nequeant cognoſcere cauſas, niſi prius eis legitime conſtiterit, prædictum recurſus ordinem eſſe ſervatum.

191. Prælati monaſteriorum, bis, aut ter in anno, confeſſarium extraordinarium univerſis monialibus in eis degentibus offerant. Quod ſi ipſi intra præſcripta tempora omiſerint, vel ſemper ſacerdotem ordinis ad hunc effectum deputaverint, ita ut moniales ſemel ſaltem in anno confeſſarium extraordinarium e clero ſæculari, vel regulari alterius ordinis non habeant, epiſcopi dioeceſani ſuppleant, electo ab ipſis confeſſario extraordinario e clero ſæculari, vel regulari alterius ordinis. *Paſtoralis*. Anno VIII.

192. Quo tempore extraordinarius confeſſor officio fungitur, confeſſor ordinarius nullum ei impedimentum afferat, nec alicujus monialis, ſive ſuperioriſſæ, ſive novitiæ, ſive converſæ, aut alterius perſonæ intra monaſterium, vel piam domum commorantis, ſacramentalem confeſſionem audiat.

193. Confeſſarii, expleto officio, non accedant ulterius ad idem monaſterium, neque ullius generis commercium intra ipſum quomodocumque continuent, aut foveant, etiam ſub prætextu, & colore ſpiritualis cauſæ, aut neceſſitatis.

194. Eccleſiæ fratrum minorum altari privilegiato perpetuo non decoratæ habeant unum altare privilegiatum perpetuum, deſignandum ab ordinariis locorum, pro miſſis, quæ a fratribus ordinis celebrantur. *Ex audientia SS.* Anno 1748.

195. Fratrum tertii ordinis ſæcularium habitus ſit, non ſolum veſtis totalis, ſed etiam particularis, ſcilicet ſcapulare, & cingulum exterius delatum, in quo ſi fratres prædicti, in regnis Hiſpaniarum tantum degentes, incedant, ſive ſub cruce fratrum minorum, ſive ſub propria, gaudeant præcedentia ſuper omnes alias confraternitates laicales. *Emanavit.* Anno IX.

196. Ad miniſtrum, ſeu vicarium provinciæ, in qua, vel cujus territorio mori contingat commiſſarium generalem Novæ Hiſpaniæ, ſpectet habere ſigilla, convocare, præſidere, & ſuffragari in electione vicecommiſſarii, ſic ut verba illa: *in cujus territorio*, intelligantur relate ad provinciam, quæ habet conventum proximiorem loco, ubi deceſſerit idem commiſſarius. *Exponi nobis*. Anno X.

197. Commiſſarius, ſeu vicecommiſſarius Novæ Hiſpaniæ, nequeat viſitare provinciam S. Didaci in Mexico, niſi verſus finem triennii cujuſcumque miniſtri provincialis, nempe poſt duos annos, & ſeptem menſes ab electione ejuſdem miniſtri. *Exponi nobis*. Anno X.

198. Accedat perſonaliter ad viſitandos omnes provinciæ conventus,

nec

nec in uno moretur, ut eo advocet superiores aliorum conventuum ab illo distantes.

199. Anniversarium pro Benedicto XIV. quotannis perpetuo celebretur in omnibus ordinis conventibus, idque in tabulas ordinis referatur. *Exponi nobis*. Anno X.

200. In conventibus recessus nemo invitus collocetur de familia. Si contingat, aliquem rigori parem esse non posse, liberum ei sit, discedere; neque sine rationabili causa impediatur qui petit, in iis conventibus permanere, quando adsit locus. *Ex epist. ministri generalis*. Anno 1750.

201. Habeatur sæpe, & semel saltem in mense, in singulis conventibus, publicum exercitium viæ Crucis, illudque concionatores verbi Dei, quadragesimæ, & adventus tempore, faciendum promoveant in illis parochiis, in quibus concionantur, curando, ut in singulis observentur ea, quæ decernuntur in brevibus pontificiis.

202. Ministri, & guardiani summa diligentia se gerant in coercenda licentia apostatarum, & profugorum, iisque, si qui fugere tentaverint, capiendis, & ad proprias provincias caute, & sine mora interposita, reducendis.

203. Superiores, ad quos spectat, provideant, ne lectoribus, & studentibus quidquam desit, quod concernit honesta, & religiosa eorum commoda, ut sancta paupertas rite ab illis servetur, ipsique ad literarum studia facilius, & utilius incumbant.

204. Curent quoque, ut lectores non vacent a lectionibus, aut ad res alias obeundas, studiorum tempore, destinentur. Item, ne studentes quotidie extra conventum vagentur; sed plenissime hac super re observari faciant constitutiones ordinis.

205. Studentes, statis temporibus, coram tota communitate, exibeant specimina artis, qua pollent, in concionando.

206. Conventus SS. Quadraginta martyrum de Urbe sit incorporatus provinciæ S. Joannis Baptistæ Valentiæ, cum his conditionibus, nempe ut provincia S. Joannis Baptistæ debeat complere communitatem numero religiosorum, & pro eorum de Urbem conductione expensas subire.

207. Debeat se obligare ad satisfacienda debita ex fabrica conventus causata, cunctosque redditus necessarios assignare, donec in sua ultima perfectione fuerit constitutus.

208. Provincia, & conventus præfati teneantur, gratis alere, & hospitio recipere advenas cæterarum provinciarum, qui vel pro causis personalibus ad Urbem accesserint, vel a provinciis missi fuerint, pro earum respective prætensionibus, & negotiis.

209. Debeat suppeditare necessaria, quoad victum, & vestitum, procuratori generali, & secretario Hispanis pro tempore futuris, nec non eorum sociis a procura dependentibus, firma remanente obligatione omnium provinciarum contribuendi annuum subsidium pro expensis eorum respective officio necessariis. *Ex eadem*. Anno 1750.

210. Trina sit alternativa officii procuratoris generalis discalceatorum, & recollectorum, inter nationes Franciæ, Hispaniæ, & Lusitaniæ. *Nuper*. Anno X.

211. Una natio habeat procuratorem generalem, alia secretarium gene-

Digitized by Google

ralem curiæ, alia vero agentem, qui a præfato procuratore generali in omnibus, & per omnia dependeat, & gaudeat prærogativis, quæ conceduntur exsecretariis generalibus curiæ.

212. In proximo capitulo generali LXXXIV. eligi debeat procurator generalis ex natione Lusitana, secretarius curiæ ex Francia, agens ex Hispania; & sic postea successive.

213. Guardianus conventus S. Bonaventuræ de Urbe, (qui director est omnium, & singulorum conventuum recessus), non eligatur, nisi religiosus frater, qui pietate, prudentia, & zelo insignis, saltem munere guardiani in uno ex aliis recessus conventibus semel laudabiliter functus fuerit. *Quas apostolicæ*. Anno XI.

214. Vicarius ejusdem conventus is eligi dumtaxat possit, qui discreti officium in quolibet recessus conventu exstiterit.

215. Guardianus, & vicarius sint discreti, ac reliqui tres sint fratres ejusdem conventus S. Bonaventuræ antiquiores, dummodo ea idoneitate præditi reperiantur, ut nullis corporis assiduis incommodis laborent, & alias in quovis conventu recessus, vel guardiani, vel discreti ministerium obierint.

216. Officium discreti antea triennale, reducatur ad unicum anni spatium. Quod si per legitimum cessum, sive decessum, vel quamcumque rationem, justamque causam, officium vacet, ad illud obeundum substituatur frater quilibet antiquior, & idoneus.

217. Guardianus, & discreti S. Bonaventuræ, invigilent, ut omnes, & singuli aliorum conventuum recessus fratres, quocumque gradu, vel prærogativa præcipui, ad exactam suarum constitutionum observantiam rite, sancteque adimplendam incumbant.

218. Si post salutaria fraternæ charitatis exhibita argumenta, sæpius addita monita, justasque pœnas sumptas, animadvertant, aliquem fratrem adhuc desperatæ emendationis esse, ipsum ad eorum ministrum provincialem statim remittant.

219. Ejiciendus, qui emiserit professionem in aliquo conventu recessus, mittatur ad provincialem provinciæ Romanæ, qui sine obstaculo eum admittat, & in aliquo provinciæ conventu collocet. Quod si provincialis non acquiescat, guardianus, & discretorium recurrant ad superiorem generalem, ut facta dimissio suum sortiatur effectum.

220. Si frater de sua dimissione conqueratur, & reclamet, provincialis provinciæ Romanæ, ad quem remissus fuerit, causam dimissionis cognoscat, quam, si justam agnoverit, suo suffragio confirmet. Si secus senserit, guardianus, & discretorium recursum habeant ad superiorem generalem, a cujus definitiva sententia, absque strepitu, & forma judicii ferendalis, & controversia decidatur, neque ab eadem reclamandi locus partibus amplius relinquatur.

221. Leges prædictæ in Italicam linguam versæ addantur constitutionibus, & regulis recessus, & legantur eidem modo, forma, & tempore, quibus eædem constitutiones legi solent.

222. Fratres, & sorores tertii ordinis sæcularis S. Francisci de pœnitentia, sub cujuscumque ordinis regularis S. Francisci directione, ac regimine,

Digitized by Google

mine, tam in cujuslibet ordinis conventibus, sive alias collegialiter, quam in domibus privatis seorsum viventes, revocatis concessis antea indulgentiis, sequentes consequantur. *Ad Romanum.* Anno XI.

I. In primo fratrum, vel sororum ingressu, seu receptione habitus, si vere pœnitentes, & confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, *plenariam*.

II. Qui similiter vere pœnitentes, confessi, & sacra communione refecti, (quæ conditio semper subintelligatur), in festis S. Francisci die IV. Octobris, S. Claræ, S. Titularis eorum ecclesiæ, oratorii, seu capellæ, & in die dedicationis S. Mariæ Angelorum II. Augusti, a primis vesperis usque ad occasum solis, suam ecclesiam, oratorium, vel capellam devote visitaverint, & inibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, & S. Matris ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces fuderint, singulis diebus, quibus id egerint, *plenariam*.

III. In cujuslibet eorum mortis articulo, si confiteri, & sacra communione refici non possint, ac SS. Jesu nomen ore, si possint; sin minus, corde devote invocaverint, *plenariam*.

IV. Qui suam ecclesiam, capellam, seu oratorium, diebus stationum in missali Romano descriptis, devote visitaverint, &, ut præfertur, oraverint, consequantur easdem indulgentias, quas, præfatis diebus visitantes ecclesias Urbis, & extra eam, consequuntur, perinde ac si ipsas Urbis ecclesias personaliter visitarent.

V. Qui in festis impressionis sacrorum stigmatum, S. Ludovici Galliarum regis, S. Elisabeth reginæ Portugalliæ, S. Elisabeth Hungariæ reginæ, S. Margaritæ de Cortona, & in duodecim aliis anni feriatis, vel dominicis diebus per ipsosmet eligendis, & a superioribus ordinis approbandis, visitaverint, ut supra, &, ut præfertur, in eis oraverint, quo die præfatorum id egerint, *septem annos, & totidem quadragenas*.

VI. Qui missis, & aliis divinis officiis in ecclesia, oratorio, seu capella hujusmodi, pro tempore celebrandis, & recitandis, seu congregationibus publicis, vel privatis tertii ordinis, ubivis faciendis, interfuerint, *centum dies de injunctis, seu quomodolibet debitis pœnitentiis*.

VII. Eamdem indulgentiam consequantur qui pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, & procuraverint, corpora fratrum, et sororum, aliorumque ad sepulturam associaverint.

VIII. Item qui processiones de licentia ordinarii faciendas, et SS. Sacramentum Eucharistiæ tam in iis, quam, quum ad infirmos, seu alias quocumque defertur, comitati fuerint; vel impediti, campanæ ad id signo dato, semel orationem, et salutationem angelicam per necessitatibus S. M. E., sive pro animabus defunctorum fratrum, et sororum, recitaverint; aut devium aliquem ad salutem reduxerint, et ignorantes præcepta Dei, et quæ ad salutem sunt, docuerint; aut aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint; toties, quoties aliquid horum egerint.

223. Sindici, et procuratores domorum, et monasteriorum fratrum mino-

minorum regularis obſervantiæ , et monialium S. Claræ , Conceptionis , Annuntiationis ordinum , et ſororum tertiæ regulæ S. Franciſci , qui pro tempore ſingulæ domui , et monaſterio prædictis inſerviunt, gaudeant una cum uxoribus , et liberis , ſingulis indulgentiis , peccatorum remiſſionibus, favoribus , gratiis , quibus fratres ipſi gaudent , et gaudebunt . *Exponi nobis*. Anno XI.

224. In quibusvis cauſis , & rebus ipſos ſindicos , & procuratores concernentibus , civilibus , criminalibus , & mixtis , nonniſi coram judicibus conſervatoribus domorum illarum , quibus ſindici , & procuratores fuerint, de juſtitia ipſi ſindici , & procuratores reſpondere teneantur .

225. Judices , commiſſarii eccleſiaſtici , & ſæculares , quacumque auctoritate præditi , ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ , non audeant ſe intromittere , quovis quæſito colore , ſeu prætextu , directe , vel indirecte , de cauſis motis contra dictos ſindicos , & procuratores .

226. Sententiæ latæ contra ſindicos , & procuratores , ſicuti & proceſſus confecti contra ipſos per alios , quam per dictos judices conſervatores , ſint nullius roboris , vel momenti .

227. Gaudeant prædicti ſindici , & procuratores privilegio fori , in cauſis tam civilibus , quam criminalibus , & mixtis , etiam motis ante eorum deputationem , ſeu inſtitutionem ad officium ſindicatus .

228. Inter provincias reformatorum majoris Poloniæ , & Pruſſiæ vigeat pax , & concordia in perpetuum , nec earum ulla prætendat plures conventus , quam aſſignatos . *Quæcumque* . Anno XI.

229. Omnium conventuum utriusque provinciæ veri , & legitimi fundatores , gaudeant eiſdem conſuetis ſuffragiis in utraque provincia acceptatis ante exdiviſionem .

230. Patres , & fratres quæſtuarii non contendant inter ſe de trangreſſione ſuæ reſpective quæſtuæ . Nihilominus , ultra tria milliaria non audeant approximari conventui alterius provinciæ , ſub pœna apoſtaſiæ .

231. Superiores conventuum , pro omni futuro tempore , tranſeuntibus per eorum conventus patribus , & fratribus utriusque provinciæ , ad invicem exhibeant omnimodam charitatem , & humanitatem .

232. In archivo provinciæ majoris Poloniæ , quæ mater eſt alterius , extrahantur originales fundationes conventuum , & monumenta quævis provinciam filiam concernentia .

233. In iis , quæ in parochiis , et doctrinis ſpectant ad exercitium curæ animarum , vitamque , et mores parochi ordinis noſtri in Indiis orientalibus , et occidentalibus , corrigi poſſit ab epiſcopis , et ordinariis locorum , eorumque viſitatoribus , æque ac a ſuis ſuperioribus . *Quum nuper* . Anno XII. *Literæ afficiunt quoque alios regulares* .

234. Rebus in omnibus , in quibus fratres animarum curæ præpoſiti epiſcoporum ſimul , et regularium prælatorum juriſdictioni cumulative ſubſunt , ſi aliter ab uno , aliter ab altero ſuperiore judicari contingat , epiſcopi judicium regularis ſuperioris judicio ſemper præferri debeat .

235. Tam epiſcopi , quam prælati ordinis , quoties id expedire judicaverint , fratrem parochum ab officio removere poſſint .

236.

Digitized by Google

236. Si id fiat, neque prælatus ordinis compelli possit ad remotionis causam episcopo significandam, neque episcopus causam notam facere teneatur prælato ordinis.

237. At episcopi ubicumque res bene constitutas invenerint, nec ullam eas immutandi necessitatem adesse compererint, ab innovationibus prudenter obstineant, nec mutent parochos regulares, maxime in novis populorum ad fidem reductionibus, si eos mutare non expediat.

238. Sine prævio examine, & approbatione episcopi fratres nequeant curam exercere animarum.

239. Abrogetur privilegium concessum fratribus utendi altari viatico, seu portatili, & super eodem missam celebrandi. *Magno cum animi*. Anno XI.

240. Præfectus missionum Ægypti, ordinis strictioris observantiæ, habeat facultatem conferendi sacramentum confirmationis, chrismate tamen ab episcopo benedicto, illis, qui a sacerdotibus latinis baptismum acceperunt. *Anno vertente*. Anno X.

241. At caveat, sacramentum illis conferre, qui septimum ætatis annum nondum attigerint, nisi forte periculum mortis immineat, ne, ingravescente morbo, sine hoc sacramento decedant.

242. Eadem facultas præfecto intelligatur concessa, quæ data est guardiano S. Sepulchri, qui, durante ejus officio, ubi episcopi latini in suis diœcesibus residentes non adsunt, in Terræ Sanctæ locis confert sacramentum confirmationis; facultas nimirum conferendi sacramentum hujusmodi, oleo, & crismate, etiam antiquis, si nova haberi non possint, per catholicum antistitem, gratiam, & communionem sedis apostolicæ habentem, benedictis.

243. Fratres ordinis, (*idem dicendum de aliis fratribus, & monachis*), ad episcopatum evecti, propriæ religionis habitum palam deferre teneantur. *Biennium*. Anno VI.

244. Fratribus minoribus Terræ Sanctæ liceat parochialia munia obire circa Græcos Melchitas, eisque sacramenta ministrare, in iis tantum locorum, & temporum circumstantiis, quibus omnino deficiat modus habendi parochum, aut alium antistitem Græci ritus. *Demandatam*. Anno IV.

245. Eo in casu fratres emolumenta legitimo jure debita percipere licite valeant, & a jurisdictione Antiocheni patriarchæ nullatenus dependeant.

246. Ei petenti teneantur, singulis annis, notulam tradere animarum Græci ritus, in civitate, seu loco exsistentium, utpote quæ in reliquis eidem patriarchæ omnino subesse intelligantur.

247. Guardianus Terræ Sanctæ in civitate Hierusalem, & in iis locis, ubi episcopus Græcus catholicus, jure suo, in propria diœcesi non residet, conferre possit sacramentum confirmationis, sub conditione, Græcis a simplici sacerdote confirmatis, ac sponte ab eo confirmari petentibus.

248. At id non faciat ubi episcopus catholicus residet, nisi de consensu ejusdem, quo dissentiente, abstineat.

249. Nemo missionariorum suadere præsumat Melchitis catholicis transitum a ritu Græco ad Latinum, aut id etiam cupientibus permittat, inconsulta sede apostolica, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, ac inhabilitatis ad gradus, & officia ordinis, ipso facto.

250. Sub

Digitized by Google

250. Sub eadem pœna, curent missionarii, ut omnia laudabilia ecclesiæ Græcæ instituta, ab antiqua patrum traditione, & apostolica comprobatione firmata, in suo vigore permaneant, atque a fidelibus istius nationis integre exsecutioni mandentur.

251. Item, nihil suggerant, aut suadeant, quod illorum contemptum, atque diminutionem inducere possit, multoque minus aliquid contra illa innovent, aut etiam super iisdem aliquam dispensationem concedere, vel admittere præsumant. Servent demum in his omnibus unitatem spiritus, & doctrinæ.

ANNO 1758. CLEMENS XIII.

1. Cura sit superiorum localium, ut in suis respective conventibus deputent sacerdotem, qui explicet laicis catechismum doctrinæ christianæ, & aliquod regulæ argumentum, singulis diebus dominicis, aut festis per annum. *Ex decreto S. Congreg. Disciplinæ.* Anno 1765.

2. Si quis secus fecerit, incidat in pœnam privationis, & suspensionis ab officio, ac privationis vocis activæ, & passivæ, aliisque gravioribus, arbitrio S. Congregationis.

3. Explicationi hujusmodi intersint quoque sæculares inservientes in conventibus, & commensales, sub eisdem pœnis a superiore incurrendis, qui illos ad eas accedere non coegerint.

4. Ministri, & visitatores provinciarum exigant a superioribus localibus accuratam schedulam, in qua notentur religiosus in catechistam deputatus, laici, professi, novitii, oblati, aut tertiarii, dies, quibus habita est explicatio, ac demum punitiones inflictæ negligentibus.

5. Bis quolibet anno superiores locales has S. Congregationis literas legi faciant in refectoriis suis, una cum literis aliis ejusdem datis anno 1758.

Nota. In postremis his literis hæc ulterius habentur. I. Conversi recipiendi ad ordinem examinentur de docrina christiana juxta præscriptum decretorum Clementis VIII. *De educatione novitiorum*; in eaque rudes non recipiantur.

II. Sedulo inquirant ministri, aliique in visitationibus, an superiores locales explicare fecerint laicis in suis conventibus docrinam christianam, laicosque examinent; quos si ignorantes repererint, puniant tum ipsos, tum superiores locales privatione, & suspensione ab officiis.

6. Diffinitores generales, expleto officio, habeant perpetuum jus suffragii in omnibus capitulis, congregationibus, & diffinitoriis suarum provinciarum. *Injuncti.* Anno IV.

Nota. Antea decretum fuerat, eos vocandos ad electionem vicarii, & commissarii generalis, ac in cæteris rebus arduis universum ordinem tangentibus consulendos, quando eumdem vicarium, & commissarium generales ex eorum familia eligi, vel institui contigerit. *Ex actis capit. Vallisoletani.* Anno 1593.

ANNO 1775. PIUS VI.

1. Diffinitores provinciales debeant ministrum suum omni obsequio, & veneratione prosequi, eumque recipere tamquam superiorem, & patrem primarium, ac digniorem ex eorum collegio, cui præter legum lationem, quam cum illis promiscuam obtinet, earumdem legum diligens, & fidelis executio commissa est. Quapropter in ejus

ejus munere sibi tantum demandato nunquam ipsum impedire, aut turbare quoquomodo audeant, sicuti nec debent, nec possunt se immiscere cognitionibus, & judiciis causarum mere spiritualium, quæ ad ministrum privative pertinent. *Ex decreto discretorii generalis a S. Congreg. distiplina approbato*. Anno 1791.

2. Ea, quæ in capitulis, & congregationibus provinciæ communi suffragio, & consensu statuuntur circa fratrum collocationem in conventibus, firma deinceps remaneant tam in genere, quam in specie, nisi in casu, quo minister a patribus diffinitorii obtinuerit placitum, & consensum aliter disponendi extra capitulum, & congregationes; quo assensu non obtento, literæ quæcumque obedientiales nulli fratrum a ministro dari queant, sintque prorsus nullæ, atque irritæ.

3. Quod si forte gravis urgeat necessitas, & diffinitores commode, & illico minister consulere nequeat, tunc is facultate polleat aliter disponendi; sed provisionaliter tantum, et ad tempus, donec ex diffinitorum placito, et assensu quid sit faciendum una cum ipso determinetur.

4. Singuli diffinitores, et cum eis custos jus habeant cumulative instituendi cum ministro, et nominandi guardianos, vicarios, aliosque publicos officiales singulorum conventuum, quibus de communi consilio approbatis in privato scrutinio, jus maneat ministro eosdem approbatos proponendi pro canonica eorum electione.

5. Guardianos, vicarios, cæterosque publicos officiales, nempe lectores, prædicatores, & confessores semel institutos, nominatos, & electos in capitulis, aut congregationibus minister officio privare non possit; sed solummodo gravi urgente necessitate ab officio suspendere, & suspensos declarare possit, & valeat; idque si forte eveniat, statim diffinitores advocet ad rem, præmisso maturo examine dijudicandam.

6. Eodem modo minister se gerat circa confessores monialium, nisi de causa agatur mere spirituali, quæ a civili, & politica penitus sejuncta sit, & diversa. Quo in casu diffinitoribus rem aperire, seu indicare saltem in genere teneatur, ne prætextu causæ spiritualis diffinitores propriam jurisdictionem lædi putent, ac inde querelæ, & dissidia oriantur.

7. Non possit minister sine diffinitoribus, vel eorum consensu, ubi lex non expostulat illorum præsentiam, ad religionis habitum quocumque modo sæculares quoslibet recipere, & jam admissos expellere, aut rejicere, nisi iis in casibus, in quibus ipsi hæc facultas tribuitur a statutis ordinis, seu a generalibus capitulis.

8. Item in officina lanificii tam relate ad opus textrinum, quam pannorum qualitatem, eorum distributionem, & operis præfectum, absque diffinitorum consensu nihil innovare debeat, vel possit.

9. Non audeat similiter literas encyclicas ad provinciam expedire, quæ contineant vel novas leges, vel aliquid, quod opponatur decretis in pleno diffinitorio editis, vel aliquo alio modo ipsorum diffinitorum jurisdictionem lædant.

10. Minister, & diffinitores, qui hæc non servaverint, incurrant in pœnam privationis vocis activæ, & passivæ,

Digitized by Google

sivæ, nen non inhabilitatis ad officia ordinis, ipso facto, juxta præscriptum constitutionis Benedicti XIII. *Universalis &c.*

11. Ministri provinciales in familia cismontana, expleto officio, nullam habeant vocem in capitulis, & congregationibus, quibus ne interesse quidem possint, quas tales, servata in cæteris forma constitutionis: *Universalis &c.* Benedicti XIII. *Ex audientia SS.* Anno 1784.

12. Nullum privilegium personale in Romana curia fratri cuilibet concedatur, nisi consentiat diffinitorium propriæ provinciæ. *Ex eadem*. Anno 1792.

APPENDIX ad leges hactenus expositas.

1. Lex recensita col. 163. num. 14. sic intelligatur, ut causa recessus exposita *prælatis* loci, idest discretis, examinari debeat a superiore generali, ad quem discedens iverit, qui judicet, an fuerit rationabilis, vel non. *Ex actis capituli generalis familiæ habiti Ferrariæ*. Anno 1509.

2. Diffinitores generales electi in capitulo non teneant aliquam præcedentiam in mensa, vel alibi propter tale officium. *Ex actis cap. generalis Burgensis*. Anno 1523.

3. Si superior generalis non accesserit ad capitulum generale, præsidens eligatur per scrutinium.

4. Casus reservati superioribus generali, & provincialibus sunt. I. Nomen Dei, aut D. N. Jesu Christi, aut Deiparæ Virginis Mariæ blasphemantes.

II. Rebus sacris abutentes.

III. Quidquam in religionis detrimentum extra religionem patefacientes.

IV. Discordias patrum, vel dispositiones prælatorum manifestantes.

V. Calumniam in judicio cuiquam imponentes, vel ad id faciendum inducentes.

VI. Falso, et scienter quempiam accusantes, et accusantem revelantes.

VII. Falsum testimonium deponentes, vel deponendum procurantes, aut alium quomodolibet infamantes.

VIII. Jurati veritatem negantes, et falsum affirmantes.

IX. Ter debite moniti obedire recusantes.

X. Consumatum carnis peccatum quodcumque admittentes.

XI. Denarios contra regulam accipientes, tenentes, vel asservantes.

XII. Rei sacræ, vel notabilis furtum perpetrantes.

XIII. Religionis bona extra ordinem dono dantes.

XIV. Fratribus, vel sæcularibus vendentes, aut quovis modo alienantes.

XV. Generalis, vel provincialis, aut eorum secretarii literas tum missas, tum accipiendas, impedientes, frangentes, falsificantes, aut quomodolibet intercipientes.

XVI. Sigillum ordinis, vel alicujus alterius prælati, aut personæ notabilis falsificantes.

XVII. Libellum famosum facientes, fieri procurantes, inducentes, consulentes, projicientes, vel publicantes.

XVIII. Graviter quempiam percutientes, aut contra prælatum machinantes. *Ex actis capituli generalis Vallisoletani*. Anno 1593.

5. Casus riservati eisdem pro reformatis. I. Veneficia, incantationes, sortilegia.

II. Inobedientia contumax post trinam

Digitized by Google

nam monitionem factam per unum diem naturalem.

III. Percussio gravis religiosorum, aut clericorum sæcularium.

IV. Manifestatio rerum infamantium ordinem, vel fratrem aliquem particularem.

V. Peccatum carnis voluntarium consumatum.

VI. Proprietas, quæ importat peccatum mortale.

VII. Furtum rei notabilis, vel iteratum.

VIII. Accusatio falsa cum infamia accusati, aut falsus recursus ad tribunalia.

IX. Falsum testimonium in judicio.

X. Falsificatio manus, vel sigilli superiorum, personæ notabilis, vel conventus.

XI. Aperitio literarum superiorum ad subditos, et horum ad illos, aut impedimentum earumdem.

XII. Compositio libelli famosi, etiam per consilium alteri datum, ejusque projectio, vel publicatio quæcumque.

XIII. Procuratio abortus, etiam per consilium, licet effectu non sequuto. *Ex actis capituli generalis XLX. cap. VII. de reformatis*.

6. Divinum officium persolvatur integre, attente, honeste, et religiose sine gestu, et cantu dissoluto, vel fracto. *Ex statutis Toletanis relatis in fine tomi I. Chronologiæ*.

7. Cantus fractus, seu musica non flat in ecclesiis ordinis.

8. Serventur cæremoniæ breviarii, & missalis juxta decretum concilii Tridentini, et quædam vulgari forma extrahantur universaliter ab omnibus observanda.

9. Matutinum etiam in minoribus conventibus dicatur media nocte, nisi ob aeris intemperiem, vel aliam necessariam ob causam probatam a ministro, & toto diffinitorio provinciæ recitari nequeat. Quo in casu dicatur summo mane, sic ut in ortu solis, vel circiter, Prima recitari possit.

10. Nullo modo matutinum recitetur post completorium, sub pœna suspensionis ab officio, superioris arbitratu, guardianis contrafacientibus.

11. Qui horis matutinis interesse nequit, aliqua necessitate præpeditus, id ministro provinciæ insinuet, qui licentiam non det, nisi gravi ex causa.

12. Lectores, & principales conventuum prædicatores, qui actu onus sustinent prædicationis, ab horis in choro persolvendis sint dispensati. At dum per occupationes licuerit, & diebus festis assistant Tertiæ, Missæ, vesperis, et solemnioribus matutinis.

13. Cæteri prædicatores horis singulis diurnis, nocturnisque assistant in hebdomada, in qua non sunt concionaturi. In hebdomada autem concionis intersint Tertiæ, Missæ, et vesperis. Pro qualibet tamen concione octo tantum noctibus a matutino eximantur.

14. Qui horis non interfuerit, secluso legitimo impedimento, prima vice recitet in communitate quinque Ave Maria; deinde pro modo culpæ, vel negligentiæ puniatur, arbitrio prælati.

15. Appellentur voce, et literis officiales curiæ, et diffinitores generales: *Admodum Reverendi*, commissarii visitatores provinciarum, commissarii provinciarum tempore generalis capituli, nempe dum provincias re-

Digitized by Google

regunt: *Reverendi*, diffinitores provinciales, et patres habituales, locorum superiores, et sacerdotes post annum quinquagesimum: *Multum venerandi*. *Ex actis capituli Romani*. Anno 1587.

16. In literis quisque suum nomen subscribat, patriam, et provinciam, ac etiam officium, et qualitatem, nisi aliunde sit notus.

Ad laudem Omnipotentis Dei, B. Mariæ Virginis Immaculatæ, ac B. P. Francisci explicit codex legum fratrum minorum impressus anno MDCCXCVI.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM.

Prima nota signat columnam, secunda numerum, sive paragraphum. In cæteris lector consulat *præfationem*, & *monitum*, quod præfationem subsequitur.

A

ABBATISSA quæ eligenda. 171. 18. = 461. 80. & seq. Quomodo eligenda. 461. 83. = 608. 4. Ubi. 461. 82. A quibus. 462. 85. & seq. = 696. 19. Quinam electioni præsentes esse debent. 163. 3. = 202. 28. = 696. 19. A quo confirmanda. 559. 15. & seq. Ætas abbatissæ. 461. 8. Officii duratio. 71. 2. = 181. 8. & seq. = 462. 87. & seq. = 607. 3. Officii exsecutio. 462. 89. & seq. = 467. 123. & seq. = 471. 146. Quid ab ea præstandum infra duos menses ab electione. 555. 189. Removenda ab officio ob malam administrationem bonorum. 556. 190. Privilegium expleto officio. 774. 48. Etiam ipsa comprehenditur in allocutione prohibita cum monialibus. 204. 38. = 681. 66.

ABSOLUTIO a censuris non petenda ante satisfactionem. 115. 102. Nec ab inferioribus. 139. 354. Sed a ministris. 488. 1. = 493. 3. = 508. 10. = 514. 14. = 560. 26. & seq. = 564. 7. & seq. A missionariis in terris infidelium. 488. 5. Danda a censuris quibuslibet. 576. 9. = 606. 18. Etiam in sæculo incursis. 575. 17. Quomodo absolvi possunt excommunicati. 588. 78. Et inferentes vim ecclesiis ordinis. 589. 86. Quando absoluti a censuris in eas relabuntur. 514. 15. A culpis quo in casu danda, vel neganda absolutio. 220. 73. & seq. Absolutio facienda in capitulo. 55. 287.

ABSOLUTUS ab apostasia puniendus pro aliis criminibus. 84. 11. = 193. 9. = 198. 17. Absolutus in confessione puniri potest in foro judiciali. 130. 284.

ACADEMIÆ. Ad eas qui destinandi. 55. 2.

ACCESSUS ad curiam vetitus. 164. 2. = 329. 16. Ad ministrum generalem quando permissus. 113. 148. & seq. Ad monasteria. 447. 1. & seq. 523. 48. = 556. 195. = 558. 7. = 570. 56. = 608. 3. Ad ipsa non accedendum sine licentia S. Congregationis. 617. 29. & seq.

ACCUSATIO quomodo recipienda. 547. 124. & seq. = 551. 154. Non facienda de occultis, & correctis. 71. 97. Nec contra fratres bonæ famæ. 551. 154. & seq. In certis casibus quomodo facienda. 49. 241. Et scribenda. 42. 186. Quid si aliquis illam revocaverit. 608. 5. Accusatio contra commissarium. 166. 11. Contra ministrum generalem. 53. 277. & seq. Contra provincialem. 50. 251.

ACCUSATOR quis censendus. 38. 163. Pœna ejus, si non probata, vel falsa deposuerit. *Ibid.* & seq. Nomen ejus non revelandum. 38. 165. = 130. 288. Quid de revelantibus. 39. 166.

ACCUSATUS audiendus. 42. 187.

ACTUS LEGITIMI qui sunt. 39. 169. = 220. 77.

AEDIFICIA quoad paupertatem. 1. 3.

1. 3. = 743. 30. Sumptuositatem. 5. 14 = 12. 2. = 12. 9. = 510. 35. Superfluitatem. 20 46. = 219. 70. Destructionem. 20. 47. = 334. 11. = 554. 180. Immutationem. 65. 52. = 334. 11. Costructionem. 76. 17. & seq. = 174.41. = 270. 81. = 554.180. = 654. 265. = 790. 136. Venditionem. 508. 6.

AEQUIPOLENTIA præceptis in regula, quæ sunt. 525. 4. Eorum observantia. 525. 3.

AGENTES Romæ Germano-Belgici a quo eligendi. 714. 128. Ubi habitare debent. 727. 10. Quibus subsunt. 371. 14. In eorum aliorumque institutione servanda distributio inter provincias. 410. 38. Post sexennium præmio donandi. 727. 10. Unde assumendi agentes discalceatorum in curia. 802. 211. & seq. Pro causis sanctorum instituendi. 435. 4. & seq. Vota agentium in capitulis abroganda. 398. 13. & seq.

ALCHIMIA non exercenda. 37. 157. Et cum alchimistis consortium vetitum. 301. 18.

ALTARE privilegiatum quale. 767. 2. & seq. S. Francisci altare habendum in singulis ecclesiis. 771. 30. Quænam ecclesiæ apud Germano Belgicos gaudent privilegio altaris. 795. 171. & seq. Quænam alibi. 800. 194. Altaris portatilis privilegium abrogatur. 809. 239.

AMBITUS puniendus. 48. 230.

